

COMMENTARIA.

IN PRIMVM

LIB. ETHICORVM ARISTOTELIS ad Nicomachum, autore doctore Petro Serrano Cordubensi, philosophie moralis apud Complutenses professore.

num. 36. ~~com.~~ profiore. 6. num. 37.



*S Y C O M P L V T I ,*   
Ex officina Ioannis Brocarij. 1556.

COLL. SOC. IESV SALM. EX DOKO REGVM

ILLVSTRISSI.  
MO AC REVERENDISSIMO  
DOMIN. D. LEOPOLDO AB AVSTRIA  
Episcopo Cordubensi, Doctor Petrus  
Serrano Cordubensis salutem  
& felicitatem.



V M IPSE MECVM ALI Q VAN  
do mente complecteter, quem  
potissimū patronum meorū stu  
diorum deligerem, tu in primis  
occurristi magnanime Leopol  
de, Princepsq; Ecclesiæ clarissime. Tum ob am  
plissimum genus tuum, cùm singulari virtutū  
ornamento coniunctum:tum ob gratitudinis  
officium erga te meum, propter eximia ea be  
neficia, quibus cùm Annis nuper elapsis tuę di  
gnitatis, & illustris nominis gratulandi gratia:  
atq; vt meum insuper animū tuis votis , & ob  
sequijs paratissimum declararem, te conueni  
rem:pro tua singulari humanitate, liberaliter  
comulatus sum. Quorum altero cùm nec ma  
iore aliqua re gratum mecum animum ostēde  
re queam, saltem paruum hoc munus offeren  
do, me beneficiorum esse memorem exhibeo,  
maiis si possem libenti animo præstitus . Al

\* 2 tero

## E P I S T O L A

tefo. verò, ita hisce philosophiæ studijs prospicere mihi videor, vt nomine tanti patroni non solum ab inuidiæ morsibus vel vna hac ratione tuta, & libera essint, quòd dum in minimo quispiam ipsis derogauerit, te eorum protectorem minus suspicere videbitur: sed vt hac item ratione pluris habeantur, & aestimentur: quòd substanti viri nomine foras prodierint, quem iure omnes colere & venerari debeant. Quippe ita natura comparatum est, vt viris virtute conspicuis, & suorum maiorum stemmatibus clarijs omnis honos & externus cultus debeatur. Atque tantò illis impensius, qui ab excellentiori, & sublimiori stirpe originem trahunt, quantò vera nobilitas maiorem generis claritudinem purius, & syncerius sequitur & comitatur. Nam etsi longe repetita antiquitate prioribus illis hominibus ob egregia virtutum opera, præcipue tamen fortitudinis & iustitiae, suos ciues ab hostiū incursibus defendendo, optimisq; legibus & statutis eos in officio retinēdo, vera nobilitas amplissimis condecorata patrimonij, contigerit: eorum tamē posteris genere & natura, legibus item suffragatibus: aduenire omnino planum videtur. Quod etiam hac ratione apertè colligitur, q  
natura

## N E N C V P A T O R U A

natura prouida, vt citius atque facilius virtutes morales homines assequentur, quarum exercitio vera nobilitas retinetur, augetur, & propagatur: naturales quasdam virtutes in ipsa hominum procreatione & generatione inseuit, quibusveluti seminibus primis, & inchoatiōibus, morum virtutes, præuenire visa est. Atqui tunc prædicta virtutum semina eam corporis temperaturam & coaptationem sequātur, quā filij a parentibus accipiunt: & ij elegantiorem, qui ab optimis parentibus fuetint procreati: & morales virtutes, & quę ipsis fulcitur nobilitatem, exordio ipso vitæ excipere evidēntur. Maximè igitur nobilitas genus ipsum sequitur, at quę gentilis maximè ea ratione cernit: et si ita sit, quòd virgutum studio colatur, augeatur & conservetur. Quamobrem eleganter satis secundo lib. Rheto. eam Aristoteles definiuit, honorem quendam progenitorū esse affirmans: & id item nobile, quod ganeris virtutem sequeretur. Quam etiā sententiā Theodectes prius complexus est, iactabundam Helenam sicioquentem inducens: utrinq; diuum stirpe me quis heu satam, seruā vocare possit, aut dignum putet ibi aperte indicat genus, & præcipue id quod amplissimum sit, quandam

## E P I S T O L A

nobilitatis fertilitatem, perinde atq; selectissimos agros fructuum vbertatem, continuo sequi. Quod etiam significantius tertio Dialogo de rep. docuit Plato, quū secundū quòd natura in distributione suorum donorum vt ingenijs, industriæ, solertiæ, & habilitatis, cum his largior cum illis verò parcior in hominum affectione extisset, aurum, æs, ferrum, & argentum seminasse dicit. Vario sanè metallorum genere varias, & diuersas virtutum inchoationes Deum optimum maximum humanis animis in ipsorum conditione largitum fuisse ostendēs. Nobilitatis ergo patrimonium (vt ex adductis sententijs planè constat) inchoatione quadam à natura ductum est: quod ètatis progressu, optima institutione, & ingenuarum artium eruditione accendentibus, virtutumq; studijs excitantibus, mirifice auctum, & locupletatum euadit. Non secus quām procérę arboris propago diligenti agricolæ cultura: quæ continuè vim suam exerendo, si non sublimior, saltē par & sui generis similior euadit. Natura igitur ipsa suggestente, atque hinc etiam legibus astipulantibus, iure optimo claris & generosis hominibus omnis honos atq; exterius cultus omnia nobis debetur. Quod usq; adeo antiqui illi obseruarunt

## NVNCPATORIA.

uarunt, vt eum qui ex claris parentibus, optimq; de repub. merentibus ortum duceret, nō quo quis cultu, sed tanquam diuino semine susceptum vererentur, & colarent. Hac nimirum ratione, quòd paternis moribus similes, ac parentes virtutes in natib; statim ipso vitæ exordio p̄ sagire viderētur. Quod si in cæteris hominum generibus ita natura sagax constituit, & ordinavit: quantum imperium, & dominiū in tuo tam præstantissimo genere præmolita erit? in quo augendo & amplificando, se diuitem & opulentam esse omni studio declarare visa est. Regio etenim genere præsul illustrissime gaudes, nec à quibusvis regibus & imperatoribus profecto, sed ab his qui propter heroica fortitudinis, & iustitię opera reipub. Christianæ impensa, & propter eximiam insuper pietatē quam Christi religionem augere, & amplificare omni opera curarunt: heroicis illis temporibus nunquam satis laudati fuissent. Nam qua rogo orationis vbertate Maximiliani incliti imperatoris parentis tui, animi præstantia & celsitudo, qua tot p̄ clara facinora, & penè diuinę opera gessit exprimi poterit? quo panegyrico inuictissimi Cæsaris nepotis tui ex fratre Philippe, animi magnitudo in hostibus religionis profligâ-

## EPISTOLA

dis, eorūq; petulantia coercenda, ac feritate domanda, efferti & celebrari poterit? heroica si quidem eius animi virtus & tremēda maiestas tot victorijs, tot reportatis triumphis condecorata semper incessit, vt ad sydera usque cuecta videatur. Vnde & in principem Philippū Anglorum Regem diuino quodam lumine splendens, mirum in modum iam propagata est. Nācum mirificè iustitię constantia, ac omniū virtutum luminibus apud suos Hispanos excelsus, & Cæsareus eius animus semper se exeredit, & manifestauerit: diuinitus tamen insuperabili fortitudine, & diuina prudencia, in reductione regni Angliæ ad Ecclesiæ obedientiam nuper facta, splendescere ac fulgorem suū mittere visa est. Cūm nō sine magna omnium admiratiōe, paternæ industriæ se ingenuum imitatorem esse declarauerit. Tot denique modis Cæsarex maiestatis insuperabilis animus, & insestabilis virtus Herocè semper se insinuauit, vt quātumvis facundissimus orator vix eius magnitudinem cogitatione cōsequi queat: nēdum oratione dicendo, minimam partē explicare. Sed tamen et si illustria omnia ea sint, quę pene diuinum hoc tuum genus continuè polliceatur, & reddat: ita tamen Princeps clarissime

## NVNCPATORIA.

rissime excellenti quadam omnium virtutum confusione huic publicę expectationi responderisti, vt meritò te omnes generosum suspiciāt, & venerentur. Quippe non solum eam virtutis partem quę proprium animum ornat, omni studio coluisti, sed omnino eā absoluere curasti, qua vim respiciēdi foras una quęlibet virtus fortita est. Nam vt eam functionem publicam omissam, qua dum Salmanticæ ageres, literarię reip. gubernacula geres, ingenui tui amī, valorem ad vota omnium indicasti. Verum postquam iuris Pontificij peritiam eleganter adeptus, ad Cordubensem Episcopatum ascitus fuisti, predictam virtutum vim, & rationem magno cū splendore, & tui nominis commendatione cōspicuam omnibus fecisti. In his siquidem gerendis, quae ad tuū tam amplæ administrationis munus spectant, ita fortem, & magnanimum te exhibuisti: ita in administranda iustitia iustum, & constantem: & in diuinis officijs soluēdis piū, & religiosum: vt industrie tuæ imitandæ non vulgare exemplū omnibus p̄bueris. Quod eò amplius p̄ cæteris immediā lucē p̄ducere obstrict' est, quò maiore, & excellētiori lumine vndiq; collustraris. Ea vero iā quæ ad tuæ priuatæ vitæ rationem attinent, ita

## E P I S T O L A

ad summam perfectionem deduxisti, vt integritas totius vitę nihil amplius requirere videatur. Siue ad abstinentiam, quam in esculētis, & poculentis, cum omni temperantia in quois genere delectabilis coniunctam, quispiam spectauerit: siue ad singularem tuam erga omnes humanitatem, munificentiam, & inexhaustā liberalitatem oculos conuerterit. Nemo sanè quicquam ad morum probitatem pertinens, desiderabit, modo ad hæc contemplanda proprius aliquando accesserit. Nec mirum quidem hoc est, quandoquidem vtroq; genere philosophandi eximiè præditus est: & eo, quo rerū naturas persequimur, quapropter & earū rationes optimè tenes: & eo item, quod ad mores cōponendos omnino pertinet: ē quibus tāquam ē fontibus ingenua vitę ratio omnino proficitur. Nam prius, ordinem rerū totius vniuersi earumq; naturas considerans, infinita Dei sapientia, bonitatis, & potentia, cuncta tam mirabili modo condentis, disponentis, ac dispensantis, admirationem excitat: vnde & ad iustas Dei laudes contiuuò celebrandas, hominē rapit. In quo vltimus omnium disciplinarū scopus positus est. Posterius verò, totius virtutis contrarijq; vitij rationes explicāns, ad morum

com

## N V N C V P A T O R I A.

compositionem, & elegantiam, totiusq; vitę emendationem intimius inuitat, & allectat. In quibus ita eleganter excelluisti, vt vtro eorum perfectius veri philosophi imaginem expreſſis, meritò cōcertatio inita esse videatur. Quo effectum est, vt optimo iure omnis philosophiæ ratio ad tuam celsitudinem tanquam ad asylum, & sacram anchoram statim confugere debeat: vt tanto gaudens patrono semper illustrior, amplior, & commendabilior omnibus redatur. Quocirca hos nostros qualescumq; labores in librum Ethicoru Aristoteles tuę amplitudini nuncupādo, & philosophie iure, & meo etiam vti videor. Qui tanquā subdirus, & cīetus omnem obedientiam, & obsequium ingenuè præstare teneor: & quo ad fieri possit, industriam & diligentiam in munera tibi commissi libera administratiōe iuuare. Cuius cūm potissima pars, imo forsitan totius negotij pondus, & momentū impromouendis virtutibus, & fugandis quoq; vitijs versetur: gratum satis tibi facere, & officium insuper debitum præstare, mihi persuasus sum, si philosophiæ moralis: quam mirum in modum Aristoteles complexus est, tuorum ciuium vīsibus explicatiorem redderem. Quamobrem veluti procēdium, & exor-

## E P I S T O L A

exordium eorū, quę quotidianiſ lectionibꝫ in  
moralem philosophiam Aristot. elaborata ha-  
beo, hos Commentarios in primum Ethicoruſ  
librum ad te mittere decreui. Atq; hoc impri-  
mis tuam amplitudinem deprecor, vt non mu-  
neris paruitatem, ſed vt tuam magnitudinem  
omnino decet: liberè donantis, & obſequentiſ  
animum inſpicias. Qui non minima quidem  
hac re, ſed quauis alia maxima tibi gratificari,  
& ſeruire cupit. Hilari igitur fronte hoc noſtrū  
qualecunq; obſequium accipe: libetiq; animo  
hos Commentarios perlege, quos ſi gratos ti-  
bi eſſe intellexero, ſtatiſ qui reſtant, in co-  
munē vſum prodire ſinam. Vale Prin-  
ceps clarissime & noſtrum co-  
natum ſemper boni  
conſule.



Ad

## 23 E P I S T O L A 23

### ad Lectorem.



Atis animo perpendeſ cum hoſ noſ-  
trōſ conatus mittere in publicum iſti-  
tui, non de futuros, qui vel ob id graui  
eos vituperatione reprehenderēt, quod  
extam numeroſa doctoſum hominum  
multitudine quanta ſi vñquam, nunc potiſſimū Com-  
plutensiſ Academia floret: tanquam ampliorem ſuppel-  
lectilem mihi vēdicans, eā rem ſim aggressus, quae p̄ræ-  
ſtantि hominem ingenio, exquifitiori q; doctrina p̄di-  
tum requirere videatur. Quibus hac ratione ſatisfac-  
tum eſſe velim: nunquam eos ſpiritus me concepiſſe, vt  
p̄ſtantiam aliquam ſeu excellentiam p̄c ceteriſ ex  
hac re mihi auſſumerem, ingeniuムue iactare contendere-  
rem: mea enim nō vſque adeò aſtimare ſum ſolitus. Sed  
eò tantum huic rei animum appuliſſe, vt meam operam  
communiſtudijs ignauia & ſocordia non subtra-  
herem, ſi quo forſam pacto ea iuuare potuiſſem. Quod  
citra iniuriam pro munere mihi iniuncto fieri nequiret,  
ijs p̄ſertim tēporibus, quibus ea quae à maioribus hac  
de re tradita ſunt, vt antiquata iacēt, atq; ſuo antiquo  
orbata ſplendore densiſimiſ tenebris delutescunt: & nō  
ſecus

## EPISTOLA

secus quām ignis cinere coopertus, obliuione quadā ob-  
ruta, iā nullo pacto calent. Vnde & ab omnibus fer-  
mē qui literis adipiscendis suam operam consecrarunt,  
passim contemnūtur. Quamobrem quicquid laudis, ho-  
noris, boniq; nominis hinc accedere potest, id quārenti  
libenti animo concedo: tantum abest ut cum doctō ali-  
quo viro de ingenij vi, & acumine certare, aut in alicu-  
ius præstantioris doctrinæ genere manus conserere liuo-  
re aliquo intenderim. Quod si eam ob rem quod meum  
officium (ut multis sanè prodeßem) cum multorum ne-  
gligentia compensare noluerim, nostrum hunc laborem  
carpere adhuc, & dicterijs incessere otiosi homines de-  
more nunquam desistant, id sanè sibi habeant, certoq;  
sciant quod quantumvis prouocent, nostræ curæ nun-  
quam erunt: hac sanè ratione moti, ne forsan ipsis in  
hoc gratum faciamus; quod tanti eos aestimare videa-  
mur, quāti ipsi haberi cupiūt. Atq; quantum ad me at-  
tinget, ipse profectò ingenuè fateor onus longe meis hu-  
meris impar suscepisse, ipso rāmen exercitio non est des-  
perandum eos robustiores posse fieri, & forsan tandem  
pares euadere. Cùm ita natura comparatum sit, vt ne-  
que ei in medio consistere liceat, qui ad summum prius  
peruenire non contenderit. Vnde praclare quidem cō-  
muni prouerbio admonitum est: vt ad rerum fastigia  
semper nitatur qui media aliquando probè tenere cu-  
pit. Quocirca neque excellentes antiquitatis viros cùm

ad

## AD LECTOREM.

adscribendum animum applicuerunt, tantum de se spe-  
raffe cogitare queo, quantum periclitando, & auden-  
do tandem sunt consecuti. Nullo igitur pacto reprehen-  
sione dignum erit, imo laudi fortassis maxime dandum,  
si mediocritatem in disciplinis quispiam assequi conten-  
dens, maius quid studio & animo initio ipso forsam cō-  
pleteatur, quām viribus propriis tum temporis plæri-  
que conuenire iudicent. Quod si deinde etiam qui poli-  
tioris orationis cultui dediti sunt, nostram orationem  
in elegantiæ aut rusticitatib; arguerint, quod non om-  
nia lumina, & festiuitates afferat, quibus ipsi orna-  
tam semper habere desiderant: omisis philosophis, &  
Theologis, ij ad Rhetores orationis vertute semper flo-  
rentes, vt qui non rerum, sed verborum potissimum stu-  
dio teneantur, se conferant oportet: qui ornatus &  
splendidius orationis genus continuò suppeditabunt.  
Nos verò qui res ipsas persequimur, decenter tantum  
ornatas producere studuimus: omnem lascivientem cul-  
tum penitus allegantes: & ea insuper verba libenter  
admittentes, quæ vt propria iam sibi scientia vendi-  
cauit. Quapropter his posthabitū, vt ad te iam opti-  
me lector nostra se conuerat oratio, qui ad Theolo-  
gicæ, siue ad iuris cacumina ascendere contendis, ac pro-  
inde optimam studiorum rationem desideras, vt litera-  
rum otio libere aliquando potiri liceat: & qui vitam  
etiam instituere, moresque componere curas, in hac di-  
scipli-

## EPISTOLA

sciplina primum gradum facias eoque firmus et fixus.  
innitaris, te amice moneo, atque pro officio quod omnibus studiofis impendere cupio, vehementer adhortor.  
Hac etenim facultas omnium partium animae tam illustrium quam humilium dissectionem ingenuè facit.  
Quippe quæ pars summum, atque Regium imperium  
in homine teneat, quæ optimatum, et quæ tandem populi, ut accommodata semper parendi, et imperandi  
vicissitudo seruetur, præclarè docet: intellectum Regiae dignitatis munere donando, rationem optimatum:  
sensus verò cum suis assecitis appetitionibus vulgo et populo comparando. Ut hac nimirum ratione, perinde  
atq; stultam plebem, intellectus et ratiōis iugo alligatos, eos semper debere agere declareret, nisi tanquam e-  
quos indomitos errare semper ipsos quispiam vide-  
re velit. Et quid iam pulchrius præclariusue, huma-  
neque vitæ conducibilius, quam sui, suarumque vi-  
rium rationem, vim, et efficaciam cognoscere, optare  
aut cogitare quispiam poterit? Hinc enim quo genere  
rerum gaudendum et delectandum, et à quo item  
abstinendum, et qua rursus via securè, et qua etiam  
cum capitis periculo gradiatur; et qua insuper ratione  
parti animæ furenti, et in præcipitum properanti, frenum adhibendum sit, et tandem ægrotanti, qui ratio-  
nis imperio, et legis gubernatione medeatur, innume-  
rato habet. Et denique rationem ipsam tanquam internum

## AD LECTOREM.

ternum doctorem, et totius vita cursus assiduum mo-  
nitorem, quem ut via comitem in omni actione consu-  
lat, individuam semper habet. Accedit præterea, quod  
hac facultate falsis opinionibus vitiorum excusis, que  
sensim in intellectum sensuum lenocinijs obrepere solent,  
ac ita hominis dignitatem inter turbare, exercēda vir-  
tuti rationibus eam explicantibus vitiumq; deturpan-  
tibus adductis, animus disponitur, augetur, et locuple-  
tatur: non secus sane, quam terra quæ semen aliquod  
nutritura sit, quod ut aprè vegetet, prius vi omnibus spi-  
nis, et dumetis purgetur, aratro p̄cinditur, ac deinde  
optimè subigitur, ut ea ratione ad seminis vegetationē  
conuenienter præparata, ipsum in selectissimum culmū  
procreare valeat. Ad exactam deinde veritatis assecu-  
tionem in quacunq; facultate verseris, Theologia eas sit,  
sive iurisperitia, sive medicina, aut rhetorica, tantum  
ponderis et momenti habet, ut absq; hac facultate, eā  
param, ac synceram neutiquam assequi possis: sed per  
caliginem quandam, ut perpetua nocte, et tenebris in-  
uolutam. Unde evenit, ut cum ita indispositus aliquod  
veritatis vestigium in aliqua disciplina quis repererit,  
quia nullis actis radicibus fulciebatur, statim excidat,  
et labatur. Etenim quando ratio ipsa falsis cupidita-  
tum, et vitiorum luxuriantibus opinionibus concus-  
sa tremit, ut in pura et syncera veritatis cognitioe va-  
ciller, atq; formidet, oportet. Quinimo cum ex prauita-

\*\* te

## EPISTOLA

te appetitus omnis intellectus deceptio contingat: ea existente, nullatenus alicuius disciplinae alumnus, aut integrum veritatis participem, quem quam fieri contingat. Et si quae percepta fuerit quia ut peregrina aderat, statim discedet: et appetitionum insultibus, tanquam spiritis, et noxiis herbis exuberantibus, suffocabitur. Sed ut strictius iam procedat oratio, et quem splendorem ceteris disciplinis haec facultas afferat, clarissimus percipiat, abs te imprimis studiosè lector qui Theologia profiteris rogo? quo tandem pacto Theologus, votisq; copios aliquando euades, nisi ex eisdem fontibus, è quibus diuinus Thomas, scotus et ceteri, quos magistros suscepisti hauserint, suosq; quaestionum riuulos propagauerint, tu etiam biberis? nam diuinus Thomas quem tu primo magistrum deligis, ita in schola hac Aristotelis enutritus est, ut non solum in his quae ad legem naturalem, et humanam spectant, sed in ipsis etiam quae penitus divina sunt: ex mutuatis ab his lib. Aristotelis semper philosophetur. Ita, ut cum eius disputandi rationem considero, in animum induxerim eum non solum Aristotelis scripta de moribus didicisse sed edidicisse. Quare non satis demirari queo torporem eum et ignorantiam, quae hac in re eius alumnos nunc occupet, tantum vim, et opem negligendo. Sed quid iam, si ad sacras contiones te conferas? quam nudus, inops, et iure etiam molestus eo viru et queritur, quo perpetuo torqueris prodibis? quam rur-

sus

## AD LECTOREM.

Sus insulsum, difficilem et asperum te semper exhibebis? Non ob aliam sane causam quam ob postremam rei familiaris inopia quā pateris. Et q; contra diues et opulētus: si singulas virtutum et vitorū partes, omnes insuper humani animi facultates cognoueris, et quoquo versus qualibet hominem trahat, exploratum semel habueris? Vberius procul dubio pro quo quis proposito diceret institueris, nactus eris argumentum: ita ut diuinis oraculis utri quibusdam oculis, et luminibus corpus ipsum ducentibus, id illustrare, augere, et locupletare tibi reliquum sit. Neq; item ad sanctas literas aptè interpretandas, minus te instructum inuenies. Nam quid natura doceat, quid ingenia, et mores hominum ferant, haec facultas ingenuè suppeditat. Atq; cum diuina scriptura naturam ipsam humanā reformet, et perficiat: mores hominum diuinitus componat: et contra, alios qui apud gentes, et nationes in consuetudinem venerant, passim recenseat: et hos cognoscere, eorumq; radices discernere: atq; vitae humanae institutionem intra limites naturae sistendo, exploratam habere per necessarium existimo. Quod liberè etiam iudicandum huiusc cerei expertis atq; peritis relinquo. Sed ut cū iuris cultoribus iam agam. Quād amplam suppellectilem hinc ad eius exactam cognitionē sibi parent, aduertant. Etenim disciplina hac morali hominis ratio colitur, et ornatur, proprijsq; dotibus et virtutibus sic munita locu

\* \* 2 ples

## EPISTOLA

plex e& facunda in omni occurrēte materia semper inuenitur: magnam ergo opem ad hanc rem ipsam afferre constat, cū & animam legis eiusdem rationem esse ipsiliberenter fateantur. Præterea omnis iuris definitiones à lege naturali & aeterna deriuantur, eidemq; innixa& fulciuntur, & sustentantur: legem autem naturalem et legitimam item, sic copiosè & loculenter his philosophiae libris Aristoteles persecutus est, ut quæ eleganter hac de re ab alijs tradita sint, hinc mutuata esse facile dignoscantur. Magnum ergo momentum ad iuris perfectam cognitionem hæc facultas affert: imo tanti pondoris ad id negotium esse videtur, vt absq; ea ad contrariae solutiones, vniuersiq; iuris concordiam pene omnino destitutus, iuris candidatus incedat. At qui ne diu in re clarissima immorarer rhetoricę alumnum iam omitto: qui absque morali philosophia non alia ratione notandus venit, quam iactabundus ille, qui cùm postrema inopia & calamitate affligeretur, preciosas & elegantes vestes, quibus tamen indui nequiret, magna gloriatione commendabat. Aut non secus quam ille, qui corporis breuitate pressus, multo longioribus, & elegatioribus vestibus uti semper omni studio conetur. Quocunq; igitur in literarum studijs te vertas diligēs lector, ad quamcūq; facultatem animum appuleris, copiosorem, & per necessariam materiam hinc nactus fueris: Quia non solum cæteras disciplinas probè & compendiose

## AD LECTOREM.

diosè assequi contingat: sed cum imperio, & dominio in eisdem libere versari: cum earum omniū hīc radices acceperis, quæ ad humanorum gubernationem, & directionem contendunt. Quapropter philosophie studium omni cura ab omnibus amplectendum esse non dubito: qui veris disciplinis aliquando potiri desiderat: siquidem hostio lumine ipso ignorato, et domus penetralia ignorare sit necesse. Quare hanc studiorum rationem primo in votis habere, pro officio quod omnibus studiosis debo, et cōsulo, et ex charitate moneo: in quorū gratiā ne perprærupa, et aspera loca incessus continuò ab instituto reuocet, moralem Aristotelis philosophiam, per quam humanae vitæ institutionem quantum natura ipsa suggestit, tradidit: explicatiorem reddere pro viribus curauit. Quare in pignus eorum qui in vniuersam philosophiam moralē restant, hos Commentarios in primum Ethic.lib. nunc candide lector accipe. Quos si longius aliquantulum produximus, non id moleste feras deprecor. Nam tuis semper commodis consulendo, vniuersam rationem philosophie ad mores spectantis hīc in genere Aristotelem ipsum sequendo, explicare conatus sum. Et quoniam principia, et prima elementa huius facultatis traduntur, quæ si probè iacta fuerint amplum et ingens ædificium fulcire, ac sustentare valent: secus autem si imbecilluer. Quare si pressius rem consideraueris breviores forsitan aliquādo videbimur, quam

# EPIST. AD LECTOREM.

rekum pondus et magnitudo desiderauerit. Læto igitur  
et grato animo nostrum hunc laborem excipe, atque co-  
fruere. Quia ratione alacrius et impensis qui in cere-  
ras libros restant Commentarios, typographis commit-  
tere curabo, et nostro animo in tuam beneuelen-  
tiam, et commodum satis propenso fa-  
cias, vicemq; debitam re-  
pendes. Vale.

53

## Index

## 23 Index. 23

- A** appetitus naturalis quid  
sit, & item appetitus  
cognitius. fo. 3
- Artis finitio. 8
- Artes partes sunt philosophie  
fo. 8. pag. 2
- Arts virtutis initium ibidem.
- Artifices ossa & fundamenta  
ciuitatis. fo. 9
- Artes honesto fine carentes,  
minime artescensentur. fo  
lio. 9
- A propositione huius operis  
initium. fo. 9.p.2
- Actus moraliter bonus suap-  
tè natura in Deum implici-  
terofertur. fo. 15.p.1
- Ad quem vsum speculatio &  
contemplatio homini da-  
ta. fo. 26
- Auscultationes propter con-  
fucudinem fiunt. fo. 46.  
pagina. 1
- Aristoteli iuuenes à sua lectio-  
ne ableganti, respondeatur,  
atque eius mens explicatur  
fo. 53
- Amor erga filios temperan-  
dus. fo. 62
- Anima rationalis & virtus fe-  
licitatis humanæ sunt causa.  
fo. 117. pa. 2
- Aduersa fortuna felix suam  
felicitatem non amittit. fol.  
126. pag. 2
- Animas hominis aduersa for-  
tuna probatur. fo. 127. pa. 2
- Actus interni tunc suam per-  
fectionem naturalem asse-  
quuntur, cum per externa  
prodeunt. fo. 128. p.2
- Actus interior & exterior v-  
nus motus. ibidem.
- Animi hominum immorta-  
les ex Aristotelis sententia.  
fol. 134
- Anima est numerus scipsum  
mouens. fo. 137. p.1
- Animus sibi ipfi, & corpori  
dominatur. ibidem
- Animus ex sententia Aristoteli  
proptiam operationem  
habet, vnde & immortalis  
probatur. fo. 139
- Aristoteles i eo errore fuit vt  
sentiret multo antetempore  
creatos esse hominū animos  
quam corporibus vnitetur.  
fol. 141
- Animos fuisse creatos ante-  
quam corporibꝫ infunderent  
tur errore esse probat. f. 142
- Anima multis modis accipit  
apud Aristotelem. f. 145. p.1
- Ait cognitio necessaria phi-  
losopho, sicut cōstitutionis  
corporalis medico. fo. 153  
\*\* 4 Ani-

# INDEX.

Anima diuiditur in partē rationalē & irrationalē. fo. 154  
Appetitus sensitius parēdo rationi fit rationalis. f. 158

## B

¶ Boni definitio. fo. 12  
Bonum ipsum pro bono hominis in hac vita à philosophis sumitur. fo. 13  
Bonum inuitamenta naturae retinet, quibus eam realiter mouet. fo. 14  
Bonum per se & bonum utilissime per aliud. fo. 77  
Bona corporis & fortunae felici necessaria. fo. 91  
Bonum agibile per se sufficiens & perfectum, felicitatis definitio. fo. 93

## C

¶ Christiani sapiētis officium. fo. 7  
Cognitio finis ultimi ac felicitatis ad vitę institutionem necessaria. fol. 31  
Cūm Deum omnium rerum principium & finem Aristoteles cognoverit unde ipsum hominis felicitatem non constituerit. fol. 31. pag. 2. & infra.  
Christ⁹ ineffabile fact⁹, vniōinem animę cum Deo per clarę visionem possibilem ostendit. fo. 44. pa. 2  
Ciuilis facultas idē quod philosophia moralis. fol. 40. pagina. 2

Consōrtia rerum corporearū fo. 76. pag. 2  
Consideratio propria est animi operatio. fo. 136. pa. 2. & sequentibus.  
Consideratio præceptionum virtutis ad fuganda vitia, & promouēdam virtutem maximè valet. fol. 138. pa. 1  
Cōuersiō motu animus omnino seipsum mouet. fo. 138. pag. 2  
Corporis bona. fo. 153. pa. 1  
Correptionis modi. foli. 158. pagi. 2  
  
D  
¶ De vita optanda. fo. 6  
Definitio vltimi boni apte antiquis traditur. fo. 12  
Duplicem Dei imaginem hominem vita debere exprimere. fo. 15. & 16  
Duplex bonum diuinū & humanum, secundum Aristotelem. fo. 32  
Diuinitas triplici generi rerū communicabatur à philosophis. fo. 32  
Deus ut finis naturalis omniū cognitus fuit à philosophis. fol. 32  
Deus finis supernaturalis sub qua ratione. fo. 33. p. 1  
Doctrina moralis non exactū docendi modum patitur. folio. 42  
Dubitare primo necessarium adverām rei cognitionem sequen-

# INDEX.

sequendam. fo. 47.  
Dispositio in auditore mōrali requisita. fol. 47. pa. 2  
De artium inuentione. fo. 52  
De ordine quo moralis disciplina discēda sit & ceteræ. folio. 54  
Definitio ppria felicitatis inquiritur. fo. 94  
Definitionem felicitatis propriam primò Aristotelis inuenit. fo. 102  
Definitionem felicitatis probè traditam esse, probat philosophus. fo. 105  
Differentia inter sapientię, & virtutum moralium actus. fo. 128. pag. 2  
Defuncti Aristotelis sententia ea cognoscebāt humana quę ad se pertinebant. fo. 133. p. 2  
Dominio fortunę non subest felicitatis operatio. f. 116. p. 2  
Deus non est laudādus perinde ac homines. fo. 148. pa. 1  
Differunt obedire & subiici. fo. 159. pa. 2  
  
E  
¶ Eo ordine res in causam se conuertunt, quo ab ea egrediuntur. fo. 11  
Ea quibus ad fidem assequendam quispiam à domino disponitur, philosophi potuerunt cognoscere. fol. 18  
Effe hominis in moralibus ex vita attendendum. folio. 23. pagina. 1  
Frater nunquam iudicandus. fol. 35  
\*\* 5 Fe- 47

Externi corporis habitus vir- turum animę assidui moni- tores. fo. 44

Exacta rei cognition ad recte de ea iudicandum necessaria fo. 46. pag. 2

Ex quatuor præcipuis viuen- di modis quatuor philosophus colligit defelicitate o- piniones, quas impugnat. fol. 65

Eadem res à diuersis scientiis considerantur. fo. 102. pa. 2  
Error asserentium vnum in- tellectum esse in omnib⁹ ho- minibus excluditur. fo. 143.

F Finis proprius homini hīc inferius à natura destinatus. fo. 11. pa. 1

Finitio boni humani vltimi apte à philosopho inducitur fol. 13

Finitio vltimi finis. fo. 15  
Finis homini operatione est assequendus, non otio. fol. 24. pag. 2

Felicitas humana in hac vita in operationibus alicuius ar- tis quārenda. fo. 27. p. 2

Fines ordinantur, qnemad- modum & artes quibus im- perant. fo. 28.

Felicitas per claram Dei visio- nem res super naturalis. fo- lio. 35

Frater nunquam iudicandus. fol.

# INDEX.

- Felicitas minimè in honore statuenda. fol. 68  
 Felicitas in virtute minimè cōfenda. fol. 70.  
 Felicitas in pecunia nullo pāctō censem̄ur. fol. 71  
 Felicitas bonum agibile. folio. 88  
 Felicitatem rem vñā optimā & perfectam esse. fol. 89  
 Felicitatem bonum esse pēr se sufficiens. fol. 90  
 Felicitas pēr se maximē expētibilis. fol. 92  
 Felicitas cupiditatis humanæ frenum atque mensura. folio. 93  
 Felicitas in operatione consitit. fol. 94  
 Felicitas inuita rationali, minime autē in vegetatiua, ne que in sensitua constituitur. fol. 95  
 Felicitas non in habitu. fol. 95. pag. 1  
 Felicitas operatio rationis solum ex virtute. folio. 95. & 96.  
 Felicitas tempus integrum requitit. fol. 99  
 Felicitas ad modum entis successui suum esse habet. folio. 109  
 Felicitas non est virtus. folio. 108.  
 Felicitas in mixto ex virtute & voluptate non consistit. fol. 109
- F
- Felicitas res pēr se iucūda optima & pulcherrima. folio 112.  
 Felicitas in prosperitate fortunæ minimè cōfenda. folio. 113  
 Felicitas temeritati fortunæ minimè subest. foli. 117. & sequentibus.  
 Fortuna prospēra & aduersa à vīto bono calcatur. foli. 124. pag. 2.  
 Felix ad versa fortuna felicitatem non amittit. fol. 127 pag.  
 Felix postrema aduersa fortuna felicis nomen amittit. folio. 128  
 Felix non est varius & mutabilis. fol. 129
- G
- Geminum principium in auditore morale requisitum. fol. 61  
 Gemina felicitatis instrumen ta. fol. 112
- H
- Homini otiosi quibus alimenta non suppetunt grauiter puniendi, donec artem aliquam discant: & in correcti exilio multandi. folio. 9  
 Hominis appellatio propriæ virtutē admonitrix. folio 23. pag.  
 Humana felicitas minimè in voluptate ponenda. fol. 65 &

# INDEX.

- &c. 66.  
 Honos in honorante. fol. 68. pag. 2.  
 Honos semper propter aliud. folio. 69  
 Hominis aliquam propriam operationem esse. fol. 94.  
 Hominis vera ratio certa regula illius quod iustum, ita quod cum peccato coniuncta esse non potest. folio. 97.  
 Hominis tria tempora. fol. 99 pag. 2.  
 Homo vir quadratus. fol. 125. pag. 1  
 Homo quia absque vituperatione esse debet, fortunæ dominabitur. fol. 125. pagina. 2  
 Hominis adulti præcipua cura. fol. 159. pagina. 1
- I
- In quavis arte opus semper operatione præstantius. folio. 27  
 Inquisitio boni humani ad ciuilem facultatem pertinet. fol. 36  
 Idem bonum genti & ciuitati communicatum, excellenter & diuinius quam vni soli. fol. 38  
 Iuris peritia sub ciuili facultate continetur, ab eaque sua principia maxime. folio. 40. pag. 1  
 Insuperitia & suo mixto capud
- quosdam degenerauit. ibidem.  
 Iuris peritæ primus scopus & intentio. fol. 40. p. 2  
 Iuuenis philosophia moralis non est idoneus auditor. fol. 48  
 Iuuenis seclusa institutione, vitam ex perturbationibus sequitur. folio. 48. pagina. 2  
 It quo philosophi consenserint, & in quo disrepararent, felicitatem inquietes. fol. 57  
 Inscitia omnium malorum caus. fol. 58.  
 Ignorantia hominem corrigibilem facit. ibidem  
 Iuuenis indomitus & vir etiam, omni bestia intratabilior. fol. 62  
 Ideam boni non dari probat philosophus. folio. 74. pagina. 2  
 Ideæ boni cognitio ad opera artium efficienda inutilis. fol. 80  
 Ideæ notionalia quadam, & rerum quidditates secundum Platonem censentur. fol. 81  
 Ideæ exemplariz quadam in Deo ponuntur secundum Platonem. fol. 82  
 Ideæ species congenite in angelis secundum Platonem. folio. 83  
 In-

# INDEX.

- I**nTELLECTUS est indiuisibilium.  
 folio. 85  
**I**ngeniū. fo. 106. pa. 2  
 L  
**¶** Lucta sensus & rationis. fol.  
 49. pagi. 2  
**L**iberorum educatio. fol. 61.  
 & sequeatibus  
**L**abor & exercitatio liberis  
 probè educandis necessaria  
 fol. 63  
**L**ætitia quid. fo. 109. p. 2  
 M  
**¶** Metaphysicæ finis. fo. 6  
**M**ors duplex. fo. 7.  
**M**igratio animorum in varia  
 corpora ex mente antiquo  
 rum. fo. 23. p. 2  
**M**etaphysicam & astrologiā  
 vt diuinæ facultates philo-  
 sophi coluerunt. fol. 33. p. 1  
**M**ilitaris facultas sub ciuilicō  
 continetur. fo. 39. pa. 2  
**M**ulti ob corporis & fortunę  
 bona periēre. fo. 44.  
**M**agistratus & primores ho-  
 mines in repub. suis pecca-  
 tis maximè plebem ad pec-  
 candum prouocant. fo. 66  
 pag. 2  
**M**agistratum & optimatum  
 crima occultari non pos-  
 sunt. fo. 67  
**M**odi rei non variant eius es-  
 sentiam. fo. 76  
**M**undus idealis secundū Pla-  
 toneum. fo. 83.  
**M**odus procedendi huius o-
- peris resolutius. fo. 101.  
**M**agna posteriorum infortu-  
 nia ad defunctos pertinet.  
 folio. 133  
**M**odus quo intellectus scien-  
 tias negotiatur. fol. 137. pa-  
 gina.  
 I  
**M**orali philosopho de virtu-  
 tibus disputatio necessaria.  
 fo. 151  
 N  
**¶** Nō omnis operatio quæ ex  
 deliberatiōe procedit pre-  
 priè censetur humana. fo-  
 lio. 22  
**N**omine ciuilis facultatis ne-  
 que politica, neque præto-  
 ria intelligitur. fol. 38. pa. 2  
**N**ominum equiuocatio, & ve-  
 ra etiam impositio. fo. 78.  
 &. 79.  
**N**unquid felicitas sit bonum  
 laudabile, an honorabile?  
 foli. 147  
**N**atura & vis appetitus sensi-  
 bilis est rationi obtempe-  
 rare, atque ita rationalis fie-  
 ri. fol. 157  
**N**aturale multis modis dici-  
 tur. fo. 160. pa. 2.  
 O  
**¶** Omnis actio humana pro-  
 pter vltimum finem. fo-  
 lio. 2  
**O**rdo eorum quæ in toto li-  
 bro Ethicorum continen-  
 tur. fo. 10.  
**O**peratio humana, solū quæ  
 studiosa

# INDEX.

- studiosa est ab Aristotele cē-  
 setur. fo. 23  
**O**ratoria ars ciuili facultati  
 subiicitur. fol. 39  
**O**mnis scientiæ cognationis  
 vinculo deuincte sunt. fo-  
 lio 54. pa. 2  
**O**bsec̄ni cantus in pueris vi-  
 tandi, & delitiæ temperan-  
 dæ. fol. 62. & 63  
**O**rdo bonorum secundum py-  
 thagoreos. fo. 76  
**O**rdo bonorum animæ, cor-  
 poris, & fortunæ fo. 107  
**O**piniones philosophorū de  
 felicitate Aristotelis sen-  
 tentię conuenire. fo-  
 lio. 108  
**O**perationibus ex virtute in-  
 sita voluptas. fol. 109  
 pagina. 2  
**O**piniones falsæ omnium sce-  
 lerum & peccatorum fon-  
 tes. fo. 110  
**O**mnis studiosa vita à Deo  
 proficiscitur. folio. 116.  
 pagina. 1  
**O**mnis actiones tam prauas  
 quam studiosas in nostraris  
 esse potestate. fol. 115.  
 & sequentibus.  
 P  
**¶** Philosophi nō fecerūt quod  
 in se positum fuit, vt à Deo  
 illuminarentur de necessa-  
 riis ad salutem. fo. 19  
**P**hilosophis gloria & fama vi-  
 tæ scopus. fo. 20  
 Quare
- P**hilosophi omnem virtutem  
 virtutisqæ opera suis virti-  
 bus omnino adscribabant.  
 folio. 27  
**P**hilosophi cognitionem ve-  
 ri Dei ex professo aliis oc-  
 cultabant. fo. 22  
**P**rätoris munus & officium.  
 fo. 39. pag. 1  
**P**roclivitas in malum quibus  
 ex causis homini cōtingat.  
 folio. 50. & 51  
**P**hilosophiæ moralis vtilitas.  
 fol. 52. pag. 2  
**P**hilosophia moralis iuueni-  
 bus maximè vtilis. fol. 53.  
 pag. 1  
**P**ro indigentia premēte, qui-  
 libet finem vitæ constitue-  
 bat, atque eundem vt Deū  
 colebat. fo. 58. pa. 1  
**P**urgat se philosophus quod  
 magistri opinionem impu-  
 gnaturus accedat. fol. 74.  
 pagina. 1  
**P**ars hæc definitionis felici-  
 tis in vita perfecta exponi-  
 tur. fo. 99  
**P**hilosophiæ moralis finis. fo-  
 lio. 118. pag. 1  
**P**ueri nec belue proprie non  
 appellantur felices. fo. 118  
 pag. 2  
 Q  
**¶** Quid sit facere quod in se  
 est vt quispiam de necessa-  
 riis ad salutem specialiter  
 rudiatur. fol. 17

# INDEX.

- Quae nec Aristotel: nec alii philosophi in Deo felicitatem constituerunt. fo.34  
 Quare humanæ naturæ finein & felicitatē hic inferius philosophi constituerūt. fo.35.  
 pag. 2  
 Quot philosophiæ partes, est quo pacto distinguātur. fo-  
 lio. 37  
 Quem docēdi modum disci-  
 puli à p̄ceptore efflagita-  
 re debeant. fo.45  
 Quare à primordiis naturæ ho-  
 mo ratione non vtatur. fo-  
 lio. 48  
 Quid primò homini ad ratio-  
 nis vsum accedenti offer-  
 atut. fo.49  
 Quos fruct⁹ philosophia mo-  
 ralis afferat eius cupidis. fo-  
 lio. 51. pa.2  
 Quem auditorem huius disci-  
 plinæ philosophus deside-  
 ret. fo.60  
 Quis verus amor. fo.62  
 Quomodo scientiarum prin-  
 cipia variè cognoscātur, &  
 quod sit primum principiū in discente requiritum. fo-  
 lio. 103  
 Quia definitio rei tractandæ in qualibet scientia princi-  
 piū est: magna diligentia definitiones sunt construe-  
 dz. fo.103.pa.2  
 Quibus malis ledatur, & coar-  
 tetur felicitas. fo.113
- Quo tempore cuiusq; rei na-  
 tura & perfectio attenden-  
 da. fo.117.p.1  
 Quid valeat fortuna aduersa  
 contra felicitatem. f.126.p.1  
 Quid sit hominis animū ex-  
 trinsecus aduenire. f.139.p.2  
 Quare rationalis anima non  
 educatur de potentia mate-  
 ria. fo.140  
 Quomodo intelligatur illud  
 Aristotelis mors est ultimū  
 terribilium. fo.145.p.2
- R
- ¶ Regiæ siue ciuilis facultatis munera. fo.36  
 Rhetorica quo ordine discen-  
 da. fo.54.p.2  
 Ratio currendi in stadio viræ Christianæ. fo.58.pa.2  
 Rationes in hac facultate ab actionibus rāquam à rebus notissimis desumuntur. fo-  
 lio. 59  
 Rei vnius prædicamenti plu-  
 res facultates. fo.75.  
 Rationatura sic ordināte, ha-  
 bet imperium in homine. fol. 156
- S
- Speculatio non est propria hominis operatio in quantum homo est. fo.25.  
 Supremæ artis finis optimum bonum humanum, & felici-  
 tas ab Aristotele cēsetur. fo. 30  
 Scientia omnis mensura re-  
 rum

# INDEX.

- V
- rum. fo.43.p.2  
 Superborum hominum ho-  
 nores. fo.69  
 Stoici philosophi virtutem so-  
 lūm bonam appellandācēn  
 fuerunt. fo.93  
 Solonis sententia quodd nemī  
 nem felicem liceat appella-  
 ri inuita. fo.122.p.2  
 Securitatem & firmitudinem  
 felicitas dicit. fo.122.p.2  
 Studioſa vita in potestate ho-  
 minis constituta. fo.123.p.1  
 Stabilitas felicitatis probatur.  
 fol. 124  
 Superbiæ ingenium. fol.131  
 Si felicitas post mortem mi-  
 nui aut augeri in aliquo pos-  
 sit. fol.132  
 Somnus moderatus prodest.  
 fol. 155.p.1  
 Sensibilis facultas semper ra-  
 tioni aduersatur. f.156.p.2
- T
- ¶ Triplex esse rerum secundū  
 Platonem. fo.25.p.2  
 Temporis exacta ratio reddē-  
 da. fo.27.p.1  
 Tempore v̄sus rationis anima  
 corpus instituendum sicut  
 pedagogus puerū suscipit.  
 fo.49. pa.2  
 Theologiæ scholasticæ prim⁹  
 finis & scopus. fo.106  
 Tria genera bonorum & quæ  
 huius diuisionis origo. fo-  
 lio.106. pag.2  
 Tempori parendū. f.147.pa.2
- pa.2
- ¶ Vitæ partes sufficiēter ab A-  
 aristotele enumerātur. fo.4  
 Vita actiua quid sit. fo.5  
 Vitæ contemplatiue definitio  
 fol. 6  
 Vitæ actiuaæ partes. fol.7  
 Vnde de eadem re tam variaz  
 hominum sententia. fo.34.  
 pagina. 2  
 Vita pr̄urbata adolescētię per  
 turbatam senectutem pro-  
 pagat. fo.50.p.2  
 Vita pecuniaria violenta. fol.  
 70. pa.2  
 Vniuersale bonum quare. fo-  
 lio. 73  
 Vniuersalia ad quē v̄sum ex-  
 cogitata sint, & etiam ideę.  
 fol. 84  
 Verum omne vero consona-  
 re, abeoq; facile falsum dis-  
 crepare, efficacissimus argu-  
 endi locus. fo.106  
 Vita felicis & studioſi homi-  
 nis per se suauis & iucunda.  
 fol. 109  
 Vitæ studioſæ discerniculum.  
 fol. 110  
 Voluptas corporis non est ve-  
 ra voluptas. fo.111  
 Voluptas corporea quid. fol.  
 111. pag.2  
 Vitæ perturbatæ & studioſæ  
 fructus. fo.112  
 Vtrum dum viuit quispiā pos-  
 sit appellari felix. f.121.  
 Virtutes ceteris habitibus etiā  
 sci-

## INDEX.

- scientificis firmiores. foli.  
125. pag. 2  
Vita hæc comœdia immita-  
tio. fol. 133. pa. 2  
Vnde occasione sumperint  
philosophi ad asserendum  
hominū animos multò an-  
tequam corpora, creatos  
fuisse. fo. 144  
Virtus duplex humana & di-  
uina. fo. 152. pa. 2
- Vis animæ vegetandi expli-  
taur. fo. 154. pa. 2  
Vegetandi vis non est virtus  
humana. fo. 155  
Vis sensitiva in homine & in  
brutis maximè distant. fo-  
lio. 161  
Virtutes morales in appetito  
sensitivo sedem habent. fo-  
lio. 162

FINIS.

Opus visum & examinatum, per reuerendū  
admodum doctorem Petrum Martinez com-  
missarium sancti officij Inquisitionis Com-  
pluti, ac excusum de licentia ordinarij.

IN

## IN PRIMVM

ETHICORVM ARISTOTE-  
LIS AD NICOMACHVM  
Commentaria.

### CAPVT PRIMVM.



M N I S A R S , O M N I S Q V E  
discendi via, actio item, atque  
electio bonum quoddam ex-  
petere videtur. Quapropter be-  
ne id esse bonū ipsum asserue-  
runt, quod omnia expectunt. Finiū verò quæ-  
dam videtur esse differentia. alij enim opera-  
tiones, alij præter has opera quædam sunt. at  
quorum præter actiones fines aliqui sunt: in  
in his opera ipsa operationibus cœsentur pre-  
stantiora. Cum autem multæ & actiones &  
scientiæ & artes sint, multi etiam fines eu-  
dant, necesse est. Medicinæ quidem, sanitas:  
nauium extructricis, nauis: militaris, victo-  
ria: domesticæ ac familiaris, diuitiæ ipsæ.  
Quæcunq; verò huiusmodi sunt, sub vnam  
aliquam facultatem & potentiam reducu-  
tur: quemadmodum sub equestrem, frenorū

A effe-

# IN PRIMVM ETHIC. ARIST.

effectrix, alięq; omnes, quæ equestria instru-  
menta conficiunt: atq; hęc, omnisq; demum  
actio bellica sub militarem, atque eodem mo-  
do sub alias alia. Atque in ijs omnibus fines  
carum, quæ architectonicæ habentur, magis  
quam reliqui omnes aliarum, quæ subiacēt,  
expetēdi sunt: nam illos quoq; horum cau-  
sa sectamur. Neque tamē interest quicquam,  
siue operationes ipsæ fines actionum sint, si-  
ue prēter ipsas aliud quippiam, sicut in ante-  
dictis scientijs.

**R**IMVS HIC TEXTVS PARS PRAEFATIO-  
nis est, quam (vt dignū erat) tāto operi Aristoteles præposuit, atq; tria hęc priora capita com-  
pleteantur: in quibus omnes proemii partes lu-  
citer philosophus absolvit. Nam in primo lec-  
torem ipsum conciliat, benevolumq; reddit: in secundo do-  
cilem: in tertio verò attentum facit. Primum hoc priori cap-  
ite præstat, dum vltimi finis, ac felicitatis humanae, quæ in  
hac vita homini contingere potest, cognitionem, & scien-  
tiam se traditurum pollicetur. hoc enim tanti momenti ac-  
ponderis est ad benevolentia captandā, vt non solū lectore  
conciliare, sed ingentes etiam ad huius scientiæ afflēctio-  
nē stimulos excitare valeat. in finis etenim cognitione tan-  
quam basi & fundamento omnis humanæ vitę ratio conti-  
netur, ac veluti cardine versatur: vsqueadē, vt ignorato fi-  
ne viuendi quoq; rationem ignorare necesse sit. Quod Ari-  
stoteles alta mente consideras ab hac eadem sententia ini-  
tium dicendi fecit, cùm inquit: Omnis ars, omnisq; discen-  
di via, actio item, & electio bonum quoddam expetere vi-  
detur. Quæ propositio paulò diligentius à nobis examinā-  
da est: tum quia tanquam primus lapis totius moralis ædifi-  
cii,

# COMMENT. CAP. I.

cii, quem probè tenere oportet, ab Aristotele iacta est: tum  
vero, quod in eius explicazione maxime dissident exposi-  
tores. Atq; in initio quidam ex antiquioribus, iidemq; doc-  
tissimi sic interpretantur, vt partes prædictę propositionis,  
quæ subiectum constituunt, vniuersas hominis actiones tā  
prauas, quām studiosas complectantur: prædicatum verb  
(quoddam bonum) pro summo, atque vltimo hominis fi-  
ne accipiatur: ita vt sensus sit: Omnis humanus actus, vel o-  
peratio praua, siue studiosa sit, (dummodo ex deliberatiōe  
procedat, de quibus Aristotelis institutum est) in fine sem  
per vltimum refertur. Hęc sententia his rationibus nititur.  
prima suinitur ex ipsius boni descriptione, quam statim A-  
ristoteles profert ex mente omnium philosphorum anti-  
quorum asserētiū, bonum ipsum id esse, quod omnia ex-  
petunt. Ex qua definitione sic rationem subducunt: ipsum  
bonum omnia expetunt: sed nihil est toto rerum ambitu,  
quod omnia expetat, præter Deum ipsum omnium bono-  
rum extremum: est igitur vltimus omnium finis, quem ho-  
mo suis omnibus actionibus petat, in quo etiam appetēdō  
cæteræ alia res solū cōuenire videantur. At secunda ra-  
tio huiusmodi est: Desiderium humanum omni operatiōe  
tanquam via in vltimum motus terminum, plenamq; satie-  
tatem & quietem tendere videtur: at nulla in re (quantūis  
variis operationibus prægrediatur) præterquām in Deo vlti-  
mo fine huiusmodi satietatem consequetur: est igitur om-  
nis humana actio propter vltimum expetitum finem. Ter-  
tium & vltimum argumentum ex parte obiecti sic nec titur:  
Quotiescūq; homo operatur, vel est bonum perfectum &  
absolutum id, in quod tendit: vel imperfectum, & deficiēs:  
si primum, obtinet argumentum: si secundum, vt medium,  
& dirigens ad vltimum finē expetitur: omnis igitur huma-  
na actio (vt isti dicunt) in continua tendentia est ad vltimū  
finem.

Contra hanc tamen sententiam primo ea argumenta vr-  
gere videntur, quæ communiter ab oīnnibus efferuntur de  
actibus sceleratorum hominum, quibus nulla ratione vlti-  
mum finem expetere videntur. item de desperantibus, ac  
suspendentibus se, quibus non aliquid consequi: sed omnia

# IN PRIMVM ETHIC. ARIST.

vno actu finire videtur propositum. Verùm hæc argumēta, imbecilla penitus esse facile deprehendetur, si hanc doctrinam animaduerterimus, atq; firmam, & constantem semel habuerimus: vltimum nempe finem dupliciter considerari posse, vno modo in concreto in re ea, quæ verè est vltimus finis, qualis Deus super omnia benedictus finis tantum hac ratione censetur, ad ipsum etenim tanquam ad finem omnium expetibilium summum, cetera ordinātur: ipse autem extra se minime refertur, cùm sibi ipse sit finis. Quod usque ad eō Dei summi propriū est, vt quoties creatura aliqua hoc sibi usurpauerit, grauiissimum semper admittat flagitium: peruerſeq; ac inordinatè operetur. Enim uero secundum hanc finis considerationem semper Deus Optimus Maximus implicitè aut expressè homini probè & studiosè operanti vltimus finis constitutus est. Omnis namq; vir probus semper extra se finem petit, qui vel est Deus, vel aliquid in ipsius suapte natura tendens, vt virtutis officium, atque id omne, quod rationi ipsi consentaneum est. Quod elegatè probare videtur ratio illa, quæ vltimo loco pro hac sententia adducta est. Alio modo vltimus finis apprehēdi potest, vt sit ratio quædam, à singulis rebus per intellectum sciuncta ac separata quæ summam quietudinem dicat, humanūque appetitum penitus satiare & explere habeat. Secūdum quam finis rationē semper & homo prauè operatur, ab hoc vltimo fine proprium scilicet explere & satiare appetitum, quod quidem primū in operantis intentione est, excitatur: deinde virtute huius primò mouentis, hanc, aut illam voluptatem exequitur: quæ priuati fines ipsius sunt: per eas si quidem plenē, aut per partes sui desiderii expletionem assequi posse arbitratur. Agit igitur temper propter vltimum finem, quem non extra, sed intra se quærat, cùm sibi tantum satisfacere cupiat. Vnde cum proprio amore captus semper ad agendum ducatur: planè sequitur flagitosè ipsum operatum, ciuitatemq; Babylonis, iuxta vulgatam beati Augustini sententiam continuo adificaturum. qua vltimi finis consideratione integrè recepta, ob cuius inaduententiam prædicta assertio multis lolet tenebras offundere, mediaq; caligine dubios tenere, dum non aliud, quam Deum ipsum vltimi

## COMMENT. CAP. I.

3

vltimi finis oratione comprehendunt: & cuiq; insuper rei, quæ sub actionem cadit, vt apud eos assertio hæc sibi constet, finis vltimi rationem continuo inesse volunt: apertissime constat argumenta adducta ad superiorem conclusionē infirmandam, nullius ponderis, aut vigoris esse. Nam praui homines, cùm integrum appetitus expletionem extremum finem sibi constituerint, alii atq; alii voluptati indulgentes, non integrum voluptatem, aut totum bonum assequi existimant: sed partem eius, aut aliquid, quoad totam appetitus expletionem, integrumq; facietatem properent, à qua primus ascitus operationis fuit factus. Atq; eundem in modū dicendum est de desperantibus, postremūq; exitium sibi parantibus. A miseria etenim, & calamitatibus, quibus oppressi iacent, seipso vindicare summum bonum ac felicitatem esse ducunt. Manet igitur firma, & stabilis sententia hæc communis, quam quidem ex litera hac Aristotelis elicitem existimo, minime tamen ab eo hoc loco intentam. Quippe multa aliquando ex vera aliqua sententia eruuntur, quæ ab ipsius autore nullo pacto eo loco sunt intenta, vt in præsentia contingit. Quod ita esse latius infra patebit, cum rationes pro nostra sententia protulerimus. Vbi etiam prima ratio, cui hæc sententia innititur, exponetur, quæ alicuius momenti esse videtur ad probandum prædictam sententiam legitimam etiam esse huius loci interpretationem.

Secundo loco quidam ex recentioribus sic exponunt: vt subiectum assertæ propositionis omnes viuēdi modos, omnemq; humanam actionem, (vt superiores sentiebant) continet: prædicatum verò (quoddam bonum) idem valeat, quod finis aliquis, aut bonum aliquod priuatum: propter quod quævis hominis deliberata actio necessario exerceatur: ita vt sensus sit, omnis humana actio, aut vita, siue viuēdi modus, semper est propter aliquem finem. Ex qua propositione hanc conclusionem Aristotelem primò intendere dicunt: aliquis finis proprius, & hominum generi accommodatus est, ad quem vt ad scopū primò homines omnes suas referant actiones, quam in hunc modū ex asserta propositione colligunt: In omni motu & actione semper homo aliquem finem assequi contendit: aliquis ergo finis ho-

A 3 mini

# IN PRIMVM ETHIC. ARIST.

## COMMENT. CAP. I.

4

mini (vt proprius) à natura destinatus est. Assumptum antecedens firmum esse volunt ex sufficienti partium vitæ enumeratione: quam Aristoteles subiectum iactæ propositionis construendo fecit. Earum enim partium quælibet ad finem aliquem semper ordinatur. Consequentiam verò ostendere conatur, quadam supposita appetitus distributione in naturalem, & cognituum, qui hoc pacto definiuntur: vt naturalis sit, quem nulla præcedit appetentis cognitio, sed tantum naturæ, à qua immediatè dirigitur, & gubernatur: quælis est terra appetitio ad medium descendantis, & ignis ab eo recedentis, sublimioremque locum petentis. Neutrum sanè istorum corporum propria cognitiōe, cùm ea careat, ad motum impellitur, sed à cognitione naturæ secundum tales propensiones huiuscmodi res cōdentes, & iugiter prouidentis. Vnde quia à principio infallibili suis actionibus diriguntur, nunquam eas errare, aut deficere contingit, cùm nec ipsarum rerum propriæ censeantur actiones, sed potius ipsius naturæ: ad tales motus res ipsas destinantis. Quapropter inclinationes, siue propensiones, à quibus immediate prædicti motus egrediuntur, appetitiones naturales, siue inclinations naturales appellare consueimus. Ac proinde iure optima loco Aristoteles assuerauit omnes res inanimis, cantur. (quibus hoc appetituum genus latissimè patet) ab alio semper moueri, & iugiter agitari. Appetitus deinde cognitius sit: cuius motum semper præcedit eiusdem appetentis cognitio, vt in appetitionibus brutorum, atque hominum planè perspicere licet: in illis quidem cognitio, sensus appetibile ostendentis, in istis verò rationis, atque intellectus semper antecedit. Quare ille sensitius dicitur: vt iste rationalis, atque intellectivus appellari consuevit. Vnde quia cognitio propria in verè appetibilis ostensione quibuldam fucis ac imposturis circumfusa, deficere, & errare facile potest: vt à potentia creata, & materiæ coniuncta procedens, quæ omni semper deceptioni est obnoxia: constat appetitum cognituum non ita firmum & rectum ac semper unum suis appetitionibus esse, perinde atque naturalem. Qua præcognitione constituta, consequentiam inductam arguimèto à minori (vt aiunt) sic probant. omnis appetitio & actio, quæ à cogniti-

cognitione propria appetentis (quæ deficere potest) dirigitur, semper in aliquem finem & scopum tendit: ergo & appetitio, seu propensio ipsius speciei, quæ à cognitione naturæ, id est Dei optimi maxiimi propenditur, in aliquem finem siue bonum suæ naturæ debitum & accommodatum producta & constituta erit. Est igitur generi hominum aliquod bonum à natura primò coaptatum, ad quod tanquā ad scopum attingendum genus hominum inclinationem & propensionem in prima sui conditione acceperit.

Hæc sententia usque adeò vera est, vt in ea omnes philosophi consentire debeant, etiam ii, qui apud antiquos academicos aliquando assensum detinere consueuerunt. Enim uero in hac facultate principii primi (contra quod insurge-re non liceat) vim primam ac robur continet. Hoc tamē nō obstante poterit alicui dura huius loci interpretatio videri: ob id, quod in litera expressa non sit, nec sub prædicta forma constructa ratiocinatio. Quod minimè obsistere debet, vt minus legitima interpretatio, quam vera etiam sententia iudicetur. Est namq; probatissimis autoribus obseruatum: cùm alicuius sententiæ causam & antecedens locauerint, ipsum reticere consequens & illationem. Quod Aristotelem fecisse sæpe inueniemus, si diligenti aliqua cura eius opera inspexerimus. In principio quidem libri posteriorum, cùm hanc conclusionem, omnis demonstratio verè facit scire, sciètiamq; efficit, intenderet: eā omnino tacuit (posita illa principe propositione, & istius causa,) omnis doctrina ex præ-existenti fit cognitione, in qua probanda totus eo loco fuit. In principio etiam suæ metaphysicæ, cùm hanc conclusionem moliretur: rerum abstrusissimarum & reconditarum cognitione tradenda est: (qua totius operis negotium existit) ab ea enuntiatione: (qua istius antecedens & causa est), initiū fecit, (omnis homo natura scire desiderat) in eaq; expli-canda totus constitit. Ad eundem igitur modum præsenti opere, cùm hanc propositionem intenderet, (qua totius negotii moralis caput est) aliquis finis hominis proprius est, ad quem suas semper referat actiones: hanc suppressendo, quæ illam efficit, protulit: semper homo, quodd operatur, suam actionem ad aliquem finem dirigit.

A 4

Sed

# IN PRIMVM ETHIC. ARIST.

Sed circa antecedens præfatæ consequentiæ , assertæque propositionis subiectum quisquam iure dubitare poterit: an ita sit, vt sufficienter omnes vitæ partes, seu viuendi modos Aristoteles enumerauerit? Quippe quòd vita, quæ sciætiæ & sapientiæ operationibus constat, prætermissa esse videatur: quæ cæteris exactior, & perfectior existit. Attamen facile huic occurritur dubio cognitione principiorum præmissa , à quibus hominum actiones communiter egrediuntur, atq; originem ducunt. Quæ duo tantū esse figura quædam & in genere in libris de anima Aristoteles docuit: intellectū scilicet, & appetitū. Quia tamen horū quodlibet in suas species partitur:plura in specie, quæm duo reperiuntur. Nam sub intellectu, speculatiuus, actiuus, & factiuus continentur:sub appetitu verò, rationalis, & executiuus. Quo iacto fundamento planè constat omnes vitæ partes sufficienter ab Aristotele fuisse enumeratas. Siquidem cuiuslibet humanarum actionum principii propria munera & officia notauit. Nam ars factiuum intellectum indicat: doctrina siue discendi via, (quam philosophus μέθοδον appellat) contéplatiū: vbi sciætia & sapientia sedē habēt: actus præterea & electio vrrūq; appetitū, rationalē & executiuū, simul & actiuū intellectū satis aperte exprimūt. Electio etem appetitus rationalis, & actui intellectus operaperficitur: cū sit appetitus intellectiuus, vel intellectus appetitiuus ex sententia Aristotelis sexto huius operis libro capite secundo. Actus deinde externus, quo prælecta exsequimur, optataq; adipisciuntur: appetitu executuo absoluitur, & definitur: cuius nomine appetitū sensituum cum suis organis, atq; corporeis instrumentis intelligo. Sunt nempè huiuscmodi appetitus siue sensitiuæ facultates eorum, quæ à ratione præcipiūtur, ingenui executores. ad quam functionem à natura etiam ipsa sunt destinati, atq; cum rationali natura cōiuncti. Ex quibus sufficienter vitæ partes, (vt ex ratione principiorū agendi colligi potest) ab Aristotele enumeratas esse constat. Sed eandem etiam sufficiētiā ex parte obiectorum, circa quæ tota hominum vita versatur, venari est facile. Nam hæc aut eius generis sunt, quæ sub effectiōem cadunt, & horū causa ponitur ars: aut quæ sub speculationem & cōtemplationem

# COMMENT. CAP I.

5

né, propter quæ doctrina, siue discendi via est adiūcta, quæ scientiam & sapientiam mentis perfectiones insinuat: aut sunt ea, quæ in actionem veniūt, quibus actus & electio plenè respondent. Sufficienter igitur omnes vitas, seu viuendi modos hoc etiam argumēto Aristoteles notavit: quod nō minoris roboris, (quia ex parte obiectorum sumitur) quæm præcedens existimandū est. Sunt enim obiecta veutiū cū eadem loca naturalia facultatum, siue potentiarum animæ: ad quæ suæ natura pro virili properant: vt ipsis adeptis fruuntur, ac in eisdem, vt in propriis sedibus & domiciliis cōquescant, suamq; assequantur perfectionem: perinde ac naturalia cetera entia loca à natura sibi destinata proprio naturæ impetu petunt: in quibus quiescunt & feriantur. Vnde earū actus & motus in eadem obiecta, tanquam in propriis terminos mira quadam auiditate tendere videmus. Ad proprias igitur obiectorum functiones iuxta rationis mensurā & præscriptū omnes animæ vites dirigere omni studio nobis enitendum erit: ne cum cætera entia naturæ ordinem perpetuo seruent, homines soli impudenter satis contra ipsius dispositionem profilire videamur.

Hactenus posita propositionis partes subiectum constituentes, aliqua ex parte, & in genere tetigimus. Oportet iā iuxta doctrinam Platonis iubentis in tradenda scientia aliqua ad specialissima descendere: easdem partes in specie, & atomo considerare. Quæret igitur iam aliquis, si ars, doctrina actus, & electio tres vitæ partes constituunt, cuiusnā vitæ, actiua, an contemplatiua, vel vtriusq;? Nam si actiua: insufficienter humanæ vitæ finem statuisse Aristoteles videbitur: cùm contemplatiua, & monasticæ finis non meminerit, qui ceteris humanis finibus altior, & præstantior existit. Si verò contemplatiua, constat ipsam obvnitatem obiecti, (quod contemplatio, & vacatio diuinorum est) individualiū esse, nec in alias partes vñquam distributā fuisse. Si postremo iam vtriusq; vitæ partes enumeratas esse dixeris: hoc cum sequenti litera pugnare videtur, in qua humanæ vitæ finē artibus petendū esse philosophus docet. Cōstat aut artes in actiua, & nō in cōtemplatiua vita versari. Nō igitur contemplatiua mentionem aliquā Aristoteles intulit.

A

Dicitur

# IN PRIMVM ETHIC. ARIST.

Dubitabit insuper aliūs, si omnes enumeratæ partes finē aliquē bonū, (de quo sermo subiectus est) appetat? Nā sunt quædā artes tali fine carētes, quæ solū hominū voluptati stu-  
dent, & quas quæstus gratia in suū luxum & libidinem vagi  
& perditissimi homines adinuenēre, easq; exercent: qualis  
lusoria est: funambularia, & cæteræ huiusmodi, quæ apud  
imperitam multitudinem plurimum valēt: Non igitur om-  
nes enumeratæ partes bonum quoddam appetunt.

Pro prioris difficultatis expeditione animaduertendum  
est vitā, quæ libero homine digna est bifariā prima sui diui-  
sione, in actiuam scilicet vitam, & contemplatiuam partiri:

*Quid vi* Actiuia vita ea est: quæ ratione & sensibus (ipſi subiectis &  
*ea actiuia* obsequentibus traducitur. Dicitur primo ratione: quia hoc  
viuendi genere ratio, siue intellectus actiuus per prudentiā  
(quæ eius perfectio existit) colitur, augetur, atq; ornatur. Ap-  
ponitur deinde, & sensibus, quia singularia, quæ sub sensum  
cadunt, & contingentia sunt, hæc vita persequitur: vt huma-  
na sunt commercia, virtutum actiones, & cætera huiusmo-  
di. & insuper etiam, quia sensuum appetitionibus, & volu-  
ptatibus (& si huius vitæ sectatores indulgēre soleant: tem-  
peratè tamen iuxta legis & rationis præscriptum: penes cu-  
ius arbitrium totius vitæ gubernacula residēt: postremò ad-  
ditur (rationi subiectis atq; obsequentibus)). Nā virtutes mo-  
rales, quarū vſu hæc vita gaudet, & perficitur: vtrūq; appeti-  
tū, tam rationalē, q̄ sensuum rectū efficiūt, rationi q̄; sub-  
iectum, atq; in bonū semper propensum: vt sexto huius ope-  
ris libro Aristoteles est autor. Ex quo fit, vt vita hæc in socie-  
tate hominum acta, ob quod ciuilis etiam solet appellari: li-  
cet ea, quæ corpori & sensibus consentanea sint, sequatur,  
vt proli generationem, opes, honores, amicos, ciuium be-  
nevolentiā, corporis ornatū & elegantiā, & cætera huius ge-  
neris, quæ corporis voluptati arridere solent: labe tamen &  
peccato careat, dum virtutū moderamine perturbationum  
impetus fuerint cohibiti, totiusq; vita gubernacula penes  
rationis arbitriū resideat. Quare maxima cura, v̄ehemētiq;  
studio sub dictis propugnaculis rationis atq; virtutis vitam  
agere semper curandū est, ne dū hæc, quæ nuper enumera-  
vimus, tanquā media & instrumēta ad vitā fulciendā, iterō;  
humane

# COMMENT. CAP I.

humanæ peregrinationis peragendū persequi profitemur,  
ab histanquā à fine extremo, vltimoq; virgfructu capiamur:  
in quo ex doctrinā beati Augustini tota consistit peruer-  
sus: cùm his vtendū minimeq; fruendū sit. Ante tamē, q̄ ab  
hoc diuisionis mēbro discedā, perfectionē eā hic non pige-  
bit adscribere, quam Christus redemptor noster Matth. 25.  
cap. huic generi viuendi contulit, & explicuit: cùm benefi-  
centiæ opera æternæ retributionis causam exhibuit: Quæ vi-  
ta etiam actiuia à doctoribus sacris solet appellari: Quā etiā  
erga dominū Iesum totius orbis redemptorē beatā Marthā  
exercuisse diuinis literis est proditū: cuius vita vigor & in-  
tegritas in operū misericordiæ, beneficētiae, hospitalitatis, &  
cæterarū huiusmodi virtutū exhibitione consistit. Quæ sa-  
nè vita in actiōe ita posita, verè Christiana est, & viro Chri-  
stiano vere digna: qui dū ex professio officiosum se in paupe-  
res Christi præstat ingentē charitatē, amore, & pietatē erga  
Deū ipsum declarat: cuius nomine, labore & angustia præ-  
flos hospitio excipit, atq; indulgētia fouet. Magnū præterea  
futuræ salutis sibi exhibet testimoniu iuxta doctrinā beati  
Petri certā suā vocationē bonis operibus faciēdo: atq; præci-  
pū iis, quibus diuina veritas peculiariter præmiū polliceri  
nō dedita sit: cùm beatū eū appellat, qui diligēti cura su-  
per'egenū, & pauperē intenderit, cuius vitæ & libertatis in  
die mala statim se liberatōrē & assertorem profert.

Vita deinde contéplatiua est, quæ posthabitis iis, quæ cor-  
poris sunt, mēre & negotio intellectus agitur. Prima huius  
definitiōis pars fugā significat eorū, quibus plebs tota, ciui-  
lesq; homines implicari solet. hoc nāq; viuedi modo à nego-  
tiis fæculi, & ciuiū cōmerciis animus amonendus est, à sen-  
su appetitionibus auocādus: à corpore tandē, (quoad natu-  
ralis & generatiua vita suffert) abducendus & separandus:  
omnia deniq; contemplatiuus hic vir, ac verè magnanimus  
sibi negat, quæ paulò antē plebi, ciuiliq; homini cōcedeban-  
tur. Quod altiori mente, imoq; pectore considerandū est:  
iis, qui ad hoc heroicē vitę genus asciti, & vocati sunt: ne re-  
licto domini aratro, (quò durā ac superbiētis corporis terrā  
procindere, ac optimē subagere profitētur) retro aliquando  
respiciat, Atque ideo ipsiusmet veritatis clogio regno Dei  
minime

*Contépla  
tiua vitę  
finitio.*

## IN PRIMVM ETHIC. ARIST.

minime apti censeantur. Quod forsitan iis cōtingit, qui im petu ventorum rapti absq; cōsilio & prudētia, absq; Dei zelo, vel zelum quidem Dei habentes, sed non secundū sciētiā in hōc vel illud vitē genus p̄cipites delati sunt. Oportet igitur, cū de vita optanda deliberaueris, sub omni potenti manu Dei primō te submittas, in cuius obsequium vitam semper agere magnoperè cupis, anxięq; illum depreceris: vt ad hunc, aut illum frugaliorem viuendi modum te ducere & trahere dignetur: deinde maturo vti opus est consilio, exactaq; prudētia, qua quid vnūquodq; vitē genus laboris, crucis, & eruminarum contineat, exploratum habeas, atque postremo tui, tuatūq; virtū, ac morū periculū facito, quidq; ferre humeri valeāt, quidq; recusent, expēde. Suauiter nāq; Deus optimus maximus sua prouidētia cūcta disponit, suū fauorē, opē, & auxiliū omnibus impartitur: cuius p̄fīdīo munitus ad hāc, aut illā vitā aspirare cōtendis. Quæ si obser uaueris: diligētiq; studio exploraueris: ad quodcūq; vitē genus ductus fueris, teq; ipsum accōmodaueris, progressū tēporis te sic optasse nunquam p̄cōnītebit.

Additur postremo in definitione, (q; mēte & intellectus negotio hāc vita potissimū agitur. vbi scopus & propria hu ius vitē functio planē exprimitur, quæ per cōtemplationē, & intellectus speculatiū opus mentē & animū à corporis cōtagio liberare, Deoq; optimo maximo (quoad natura ip̄sa permittit) assimilare & cōiungere nititur. Vir enim contē platiūs (qui sapiēs à philosophis dicebatur) habitū sapiētiā propriis operationibus, (quæ corporis pōdere impediri solēt) accuratē exerere, & depromere rurabat. Continuū sanē illius negotiū erat cōsiderare, exploratūq; habere, quo pacto ex vnitate vniuersalī principii tanta flexerit rerū multi tūdo, & quo rursus modo tā varia rerū pluralitas per accōmodatos singulis fines (prout fieri potest) ad eandem negotiū. principii vnitatem reducatur: expēdere insuper, quo pacto scītiarū principia firmā, certaq; habeātur: & quot ab his ad scientias progressus, totidēq; regressus efficiātur. Quæ duo totius Metaphysicē negotiū, finem & opus illius sapiētiā in compendio continent. Ex quibus apertissimē constat: cū, qui huiusmōdi vitē officiis intento animo vacat, per cō siderationem

## COMMENT. CAP. I.

fiderationē, & cōtemplationē quodāmodo à corpore ipso mentē & animū separatum habere: quod paulo antē insinuauimus, & eleganter in Phēdone asseuerauit generofus Plato, cum philosophiam, omnemq; philosophorum vitā mortem quandam esse constanter asseruit. Quæ sententia plāniūs percipietur, si duplēcē esse mortem animaduertēris: quandam, qua corpus ab anima separatur, quæ humani suppositi solutionem, & interitum dicit, & rursus aliā, qua *Gemina* è contra anima à corpore, eiusq; contubernio spiritualibus *mors*. actionibus scīungitur: licet secundum vegetandi vim semper eidem corpori maneat vnitā & copulata. Primam intellexit, locum p̄dictum Platonis legens, Cleombrotus scītiā cupidus, cū ex magna arce p̄cipitem se dedit: cū secundam tantum mortem insinuasset Plato: de qua etiā nos haētenus locuti sumus.

At est etiam & in hoc viuēdi cursu quādam Christiana perfectio, & sapienti Christiano digna: quæ tribus his potissimum continetur: principio Christianus sapiēs in diuinorum mysteriorum iugī meditatione, Sanctarumq; literarū veris sensibus cruēndis plenus fidei, spei, & charitatis totus versari oportet: vt religiosi nomē, quod semel accepit, à relegendis sacris literis iure retineat. Ad hoc etenim munus noster sapiēs ascitus est: hoc illi ex officio incumbit, colere, scilicet, atq; exerere talentū: cuius omnipotenti dño exigēdæ rationis tempore usuram reddere tenetur: ne vacuus in conspectu diuinaz magestatis comparens, inutilis seruus habeat. Deinde immensa bonitatis Dei considerationē assidue repetere oportet, qua tot beneficiis nos cumulauit, cū tanta pulchritudine, sapientia atq; p̄fētia primos nostros parētes per creationem in lucem edidit. quæ in nos omnes latē diffusa fuissent, si propria culpa tanto beneficio se indignos non p̄būissent: qua insuper bonitate propria labe & peccato infectos, vniuersumq; in illis hominū genus, vni geniti filii sui crūētissima morte nos omnes reparauit. Quæ si cum nostrę imbecillitatis ratione, (quæ tanta est, vt opus Deo gratum absq; eius auxilio, fauore, & gratia exequi nō possumus, ne dum cogitare) conferātur, ad leniendum vera charitate animū, ingentesq; vites resumendas maxime valent.

*Christia  
ni sapien  
tis officiū*

# IN PRIMVM ETHIC. ARIST.

lent. qua ratione vit pius excitatus, cum omni humilitate as fiduis orationibus diuini numinis præsentiam auxilium, & fauorem eximo pectore deprecatus, totoq; suæ vitæ cursu id præcipue sibi curæ est, quo potissimum opere omnipotēti domino placere possit, opusq; illi gratum exhibere. Hoc tota vita meditatur: hoc animo toto tépore versat. Quia tamen impedita éto iis viris esse solet superbia, & indulgentia carnis: tertio loco opus est: eam abstinentia cohibere, spontanea percussione castigare, & pœnitentia reprimere. Prærita etenim hinc crima delentur: & perpetuo mentis imperio, imo nutui homo famulatur. Ob quod purgatiua vita non minori cum ratione, q; contéplatiua hæc solet appellari. Vnde fit, vt iure optimo genus hoc viuendi, quod semper spiritualia, diuinaq; meditetur: omni posthabita corporis ratione, omni conatu semper colere, atq; hanc animæ a corpore separatione (vt supradictum est) pro viribus facere nitanmur. Hac etenim ratione huius vitæ sectatores beatus Paulus in epistolis iis, quæ ad Romanos & ad Colossenses extat sape mortuos solet appellare, Christo autem, & iustitiæ viuentes. Quæ paulò latius hic disputare fuit animus, vt Christianus lector in Christo Iesu obiter ociari possit, & vt nos eorum, quæ toto opere tractanda sunt, præcipuum fundamentum iactum habeamus, quod in hac vitarum explicatione potissimum consistit.

Quibus habitis iam ad argumentum dupliciter responderi potest. Primo, q; solum vitæ actiuae partes Aristoteles hoc loco recensuerit: ita vt ars genus opificiū designet, qui corporis functionibus propriæ artis opera conficiat. Ob qd seruiles artes, ipsarūq; autores seruos publicos Aristoteles in politicis appellare consuevit: Doctrina vero siue discédi via id genus hominū notet, qui docédi munere reipublicæ subseruiūt. vt publici sunt p̄ceptores, qui sciētias, & liberales artes publico stipendio docēt: ludi etiā magistri, qui primis literis, virtutisq; rudimentis pueros ac iuuenes formandos suscipiunt: Actus præterea & electio in vniuersum ipsos ciues & insuper ciuiles homines, reipublicæq; moderatores: qui maxime virtutib⁹ pollere debet: quarū officia per actus & electionē elegáter significatur. Nā & si ita sit: q; virtutes

# COMMENT. CAP. I.

8

tutes omni viuēdi genere accuratè excoleādæ sint, eximiq; versari debeāt, ita vt omnē vitā regat, tēperent, & moderentur: præcipue tū in equitibus, hominibusq; ciuilibus, ac reipublicæ gubernatoribus magno lumine sp̄endere debent, fūrūq; habere domiciliū: quibus ex officio sibi & aliis vitæ viā insigniter parare & illustrare incubit. Neq; obstat argumen tū, quod principio obiiciebatur de insufficienti Aristotelis processu: Quia in notioribus, sensuq; manifestissimis (quaes prædictæ artes sunt) exempla infra produxit, quia has potissimum partes figura quadā vita actiua complectitur: quæ cum sua etiam felicitate ad vitam contemplatiuam, (de qua in decimo huius operis libro est disputatio) tanquam ad finem ultimum humanum, primumq; naturę inuitamentum ordinatur. Secundo dico, q; vtriusq; vitæ partes Aristoteles descripsit, si doctrina vel discendi via Scientiam omnem & sapientiam complectatur: ita vt eo loco vita contemplatiua indicetur, quæ harum operationibus definitur. Nec huic itē solutioni obiat contextus literæ sequentis: quoniam vitæ actiuae partes tanquam notiores exponit exemplis artium productis: quæ vitæ actiuae præcipue famulatur, ingenuèq; ancillari videtur: atque hæc cum omnibus suis partibus omni studio ad vitam contemplatiuam (vt suprà diximus) nos præparare curat. Vnde fit, vt ad contemplatiuam vitæ ratione quadam referatur.

Pro solutione secundæ difficultatis est primò aduertendum: quid sit ars: quo intellecto facilis erit difficultatis expeditio. Ars ab Aristotele sexto hui⁹ operis libro eo pacto definitur, vt sit habitus cū ratione factiuus. Dicitur primò habitus, vbi prædicamentū, ad quod omnes artes reducantur, indicatur. Omnes enim in predicamento qualitatis sub habitu collocantur. Apponitur deinde factiuus, vt ab artibus liberalib⁹. & vittutib⁹, quæ habitus sunt actiui, s̄emoucatur. Quæadmodū nāq; natura sua actiōe ens naturale generat, ita & singulæ artes propria opifica in plurim commodum permanentia per suam effectiōem producunt. Additur postremò cum ratione, vbi finis & præcepta, quæ ad harum artium consecutionē obseruari debeant, satis aper te notantur. Ex qua descriptione definitiones aliae, quæ mul-

• IN PRIMVM ETHIC. ARIST.

multiloquio vulgo circunferuntur, vt huius explicationes elicitæ esse videtur: vt est illa Simonidis apud Lucianū, Ars est collectio multarū cōprehensionū ad aliquem finem vtilim vitæ: & insuper, q̄ ars sit promptitudo quædā præceptione, imitatione & exercitatione collecta. Est tamen hic (vt clarius percipientur, quæ diximus) animaduersione dignū: q̄ finis prædictarū artium humilis est, vt pote corpori tuerendo præcipue accommodatus. vitæ etenim, quæ ex sensibus traducitur, huiusmodi artes subsidia, atq; emolumenta parant. Per hunc tamen finem ad illum superiorem, naturæq; humanæ accommodatum suo modo referuntur. Ex quibus aliqua notatu digna sunt colligenda. Principio q̄ artes, quæ corporeo egent instrumento ad sua opera conficienda èd dignitatis accesserunt, vt inter philosophiaæ partes censemantur. Èd etenim q̄ artificialium operum ipsam naturam imitantes sunt generatiua nihil penè ab ipsa natura distare videntur. Propriis enim materiis, quibus vtuntur, conuenientes formas accommodant, perinde atq; natura ipsa in materiam primam integrè dispositam expedita sua actione inducit formam. Vnde non solum naturam ipsam æmulatur harum artium artifices, sed Deum optimum maximū creantem, rebusq; nostris prospicientem (quoad fieri potest) imitantur. Merito igitur inter philosophiaæ partes artes adeò naturæ imitatrices connumeranda veniunt. Secundo colligitur, artes maximi mometi & virtutis esse ad fugam, & profagationem vitorum, quod proximum moralis virtutis initium est, secundum illud poëta vulgatum, Virtus est vitium fugere. Nam cum nūquam cesseret animi motus, continuaq; sit mentis agitatio ex Ciceronis sententia: dum operi necessario, atq; honesto intenta & præoccupata fuerit, motus sanguinæ animæ studiosus erit: neque contrarius, vagus & vitiösus locum nullum inueniet, quo vita ipsa infici possit: in quem labi necessarium esset, nisi per artium occupationem, & studiis aliquod exercitium animus ipse fuisset præoccupatus. Ex quo sequitur homines, qui sine arte, & definito aliquo viuendi modo in ciuitatibus agunt, neque aliunde viæ subsidia suppetunt, vel hac causa in societate hominum minime esse permittendos: sed quamprimum abea eiiciendos:

*Occupatio ad emendationem ratione necessaria.*

COMMENT. CAP. I.

dos: aut saltem grauiter corripiendos & puniendos: donec ad aliquain artem exercendam animum induixerint: Quod ciuilibus hominibus, reipublicæque gubernatoribus alta mente reponendum est. Nam huiusmodi homines præter hoc, quod victus gratia necessariò alios violare debent, cùm perditis sint moribus: vehementer eisdem aliis nocent: Ac perinde vt serpentis venenosæ halitus horum depravata consuetudo in ciues omnes serpit, totamq; ciuitatē corruptit. Tertiò colligitur huiusmodi artes, atq; earum artifices ossa & fundamenta ciuilis societatis continere: Nā cùm homines corpore constent, multis mutationibus & affectionibus obnoxio: multis subsidiis extrinsecus indigent: vt propriam vitam, propriamq; salutem tueantur, Quæ omnia artifices abunde præstant. Alimenta namq; agricolaæ parat: & cæteta vitæ adminicula, frigoris, ac caloris, cæterarumq; impressionum defensiones qui restant præbent opifices. Horum igitur ministerio, tanquam ossibus quibusdam & nervis totum reipublicæ corpus fulcitur, ac sustentatur. Ii enim ciuilibus ac sapiéibus hominibus, qui maiorum, ac illustrium rerum studio sunt occupati, nec ad hæc utilia & viliora descendere possunt, necessaria subministrant, maximoq; illis ad viuendum adiumento sunt. Qui rursus cōpensatione quadam excellentiora animi bona illis suppeditant: quidam per iustum gubernationem legibus vtendo, virtutum stimulus cōcitant: quidā verò vitæ sanctimonia, diuinis officiis, publicis concionibus, & doctrina, altiori quadam ratione longe maiora rependunt. Quapropter certo quodam modo per huiusmodi viros excellentes, & ipsi artifices contemplatiū ipsam vitam adoriantur, dum ad cultum Dei augedium, & propter ipsum Deum sua opera conficiunt. Ex quibus iam postremò sequitur artes omnes, quæ finem aliquem sibi nō constituunt, quo vita ciuium in integritate, & sufficientia quadam agatur, vt ea homines adiuti ad optimam & spiritualiorem vitam contendant, sed voluptatis hominum gratia solum inuentæ sunt, non esse veras artes: nec tali nomine dignas censendas fore: cùm vanæ penitus & futilis, ac cōmenticiaæ sint: quales sunt in arguento præassumptæ, & parasitica insuper, & quæ manuum agilitate quadam ad capie-

B. das

dos & decipiendos hominum sensus , & similes , quæ lucrī gratia in ciuitatibus aliquando exercentur , & suos autores in otio acvitio perpetuo detinent. Quare (vt supradiximus) tales in republica homines permittendi non essent, sed superioribus medicamentis curandi , ac eorum animi purgandi Perspicuum est enim, quod compositiones vnguentorū, quod ciborum conditiones , quod corporum lenocinia processerint, vt etiā hæ artes, quæ forsan honesta habuere initia omni iure restringendæ sint, cum ad perfruendos sensus tantum conualuerint. Ex quibus manifesta est argumenti solutio . Nam tantum artium Aristoteles meminit , quæ ad aliquem finem semper utilem & honestum inuenientæ sunt. Nā eas quæ ludibrio constant: artes minime censet . Atque hæc circa subiectum controuersæ propositionis nunc dicta sint, quæ secundum quamq; sententiam probè tenere oportet: licet huic non parum fauere videantur : quæ omnino vera est, & menti Aristotelis satis cōformis : quam etiam vt legitimam interpretationem aliquando complexus sum , & tāquam veram augere studui. Nunc autem maturiori adhibito consilio nō nimium probatur. Quare quod de hac re sentiam, hic in medium proferre non grauabor.

Axioma igitur positum formalis propositio est illius , quod potissimum Aristoteles toto opere tractare intendit, itaq; prædicatum illud (quoddam bonum) non pro fine aliquo particulari capiatur vt priores sentiebant, sed eo loco articulus dicat emphasi, sumaturq; pro proprio, & naturæ humanæ adæquato bono , atque ab ea primo expetito, ad quod obtainendum, cætera, quæ homines in vita ambiūt bona referantur. Primo ergo in hac assertione dicitur, q; enunciatum illud totius negotii tractandi propositio est: quasi in hunc modum Aristoteles diceret: licet homines per diuersas artes mechanicas diuersos liberalium artium, ac scientiarum docendi modos, per varias denique ciuilis administrationis rationes, huc atque illuc diuagentur: omnes tamē ad unum bonum propriæ naturæ accommodatum aspirat: de quo præsentí opere nobis tractandum est. Quæ assertio ex duobus potissimum suadetur: primò q; propositionis præceptum omnibus probis autoribus suis operibus summa cu-

ra obseruatū est. A propositione siquidem eorū, quæ tractāda erant, incepere: vt videre est apud Vergiliū in Aeneidorū initio, cùm inquit, Arma, virumq; cano. &c. apud Lucanum cùm ait: Bella per Emathios plusquam ciuilia campos, apud Ouidium: In noua fert animus mutatas dicere formas. Idē etiam in Sacris ac diuinis scriptoribus perspicere licet. Beatus etenim Ioannes, quia Christi redemptoris nostri diuinitatem potissimum celebraturus erat, ab ea nimirum exordiis est intonans: In principio erat verbum, & verbum erat apud Dcūm. Beatus verò Matthæus & Lucas, quia eiusdem Christi Iesu humanitatem præcipue erant enarraturi, à generatione temporali, qua homo factus prodiit, initium fecrē. idem etiam coiperiemus apud cæteros diuinos scriptores Veteris testamenti, à quibus hoc exordiēdī genus ad profanos autores emanasse crediderim. Quod si propositionis ratio ita accuratè ab omnibus probè dicentibus obseruata est: ab Aristotele tam benedicendi studio, imo inuido: prætermissem fuisse suspicari indignum est: præcipue cum in omnibus aliis operibus id ingenuè executus sit. De quo etiam supra nonnihil diximus. Secundò idem ex eo appetissimè suadetur: quia re vera ita est, q; de humano fine vltimo qui in hac vita homini contingere potest, de eiusque assequitione, hoc toto opere disputatio futura est: quod per singulos libros discurrenti satis perspicuum erit. Nam in decimo libro de perfectiori & vitæ contemplatiuæ vltimo fine, quem in operationibus sapientiæ collocat, tota doctrina est: per alios nouem de felicitate, ac vltimo fine actiuæ vitæ, de eiusq; adeptione hoc ordine longum sermonem contexuit. In primo enim libro, quid sit hæc felicitas constituit, & ex quibus insuper operationibus constet. Atque quoniam eam operationem rationis secundum optimam virtutem in vita perfecta posuerat, prædictam definitionem resoluendo singulas eius partes in reliquis libris satis diffusè persequitur. Nam in secundo, quid sit virtus, docet, virtutumque omnium in genere quandam degustationem affert. In tertio de operationibus, quibus tanquam via ad virtutem itur, eleganter disputat, quibus specia lius de fortitudine & temperantia disputatio appenditur:

Ordo eo-  
rum quæ  
hoc opere  
tractantur

## IN PRIMVM ETHIC. ARIST.

in quarto libro virtutes non cardinales, illi tamen tanquam partes potentiales adiuncte distinetè tractantur, ut sunt liberalitas, magnificantia, magnanimitas, modestia, mansuetudo, veritas, comitas, urbanitas, & quædam alia mediocritates corporales, ut verecundia, & cæteræ. in quinto iustitiam, eiusq; singulas species luculenter discutit: in sexto prudentialiam, sapientiam, omnesq; virtutes intellectuales ostendit: in septimo de gradibus virtutum, de continentia scilicet, temperantia, perseverâria, gradu heroico: (qui ob id in alio genere posit<sup>9</sup> est: perspicuè philosophus differit, quibus etiâ singularis de voluptate disputatio est annexa. atque his omnibus duas primas partes prædictæ definitionis felicitatis actiue tantum complexus est. in octavo tandem, & nono libris, qui residui sunt, de amicitia, aliisq; bonis, quibus hominum conuictus, humanaq; saluantur commercia, magnifica dicit: atque iis præcipue vltima illa definitionis pars In Vita perfecta explicatam esse vult. Quibus omnibus exacte consideratis apertissimè constat: de fine humano, eiusq; consecutione totius operis negotium præcipue assumptum esse. Vere igitur prædictum axioma totius operis propositione continet. Quare non minus de fine humanæ vitæ potuit liber inscribi, quam de moribus: hunc tamen secundum titulum potius Aristoteles de legit, quia priorē includit, & quoniam studiosos reddere homines: quod moribus bonis contingit, & modum assequendi primum illum humanum finē explicare, & nos primò docere: intendit. Atque hoc dictum fit, quantum attinet ad priorem partem huius interpretationis.

Secundo loco circa prædicatum illud (quoddam bonū) tria asserebantur: primò, q̄ secundum quandam excellentiā pro definito ac determinato humanæ naturæ bono ponatur: Secundò q̄ illud erat à natura humana in ciuili vita primò expetitum: tertio quod ad hoc, tanquam ad vltimū bonum omnes alii priuati fines referantur. Atq; hæc distincti<sup>9</sup> nunc prosequenda sunt. Primum igitur hoc modo probatur: cuilibet generi entium proprius à natura finis constitutus est, propter quem suos motus, & operationes exerceat, & ratione quadā eo adepto gaudeant, & quiescant: homini igitur

## COMMENT. CAP. I.

Bonū als  
quod à na-  
turā ho-  
mini ac-  
commo-  
datum.

igitur longè cæteris maioris dignitatis, atque ipsorum domino, de fine propriæ naturæ accommodato, multò maiori ratione per diuinam prouidentiam prospectum erit. Alias diuinam prouidentiam imminuas oportet. Vel inanis & scrupulis conditionis naturam constituas humanam: quorum vtrumq; grauiter aures offendit, & os ipsum prolatione ipsa inficere videtur. At occurret aliquis, quinimò, quoniam tam excellentis homo dignitatis est, ut inferiorum entium perfectiones contineat, & noua ac præstanti accessione rationis excedat, magnopere oportuit: illi altiorem, atque ob id omnibus rebus communem finem statuere. Huiusmodi autem solus Deus optimus maximus est: non igitur citra Deum homini aliquod proprium bonum est destinatum: suæ naturæ præcisè accommodatum. Hoc tamen nullius ponderis & mometi est propter duo: primum quia bonum rationis, quod ipsum honestum, siue honestè vivere existit: eas conditiones continet, quas obiectator oppo- sit. Nam excellentioris primò dignitatis est, finibus aliorum entium, bonaque ipsorum tam animantium, quam ani- mæ expertium amplectitur. Etenim quod cætera alia entia coaptatis instrumentis ad corporis tuitionem, propriisque finis consecutionem efficere possunt, hoc longè excellentiū homo per rationem præstare valet. Quare secundum eam, atque ex virtute vivere proprium bonum humanum est. Deinde quia naturalia entia eo ordine in Deum ipsum, tanquam in finem omnium vltimum conuertuntur, quo ab eodem, tamquam ab vniuersali principio emanarunt: Sed homo, sicut alia inferiora entia, materiæque coniuncta, secundum cōmune naturæ cursum mediis causis secundis à Deo fluxit: angeli autem, quos Aristoteles intelligētias appellavit, immediate: ergo iij immediate etiam, perpetuoq; obsequio & famulatu in Deum se conuertere debent, homo vero mediatè: medio scilicet aliquo bono suæ naturæ accommodato, per quod tandem ad Deum perenne omnium principium, sicut cætera inferiora entia, referatur. Bonum igitur definitum infra Deum homo habet: ad quod primò proprio naturæ impulsu excitatus, suis actionibus im-

mediatè tendere debet. Prior huius argumenti propositio ex eo manifesta videtur: quod res cunctæ creatæ, à quibus causis acceperunt esse, ab eisdem petunt & conseruari: atque ob id in easdem causas per naturales inclinationes acceptas primò se conuertunt: atque illis eo modo, quo eorum natura patitur, vñiri desiderant. Vnde fit: vt quæ immediatè à Deo processerunt, in eum se immediate conuerterant: quæ verò mediis causis, medio quodam bono etiam in Deum tendant. Posteriorem verò propositionem non ita intelligas velim, quod effectus aliquis vñquam producatur, ad quem Deus omnipotens immediatè non concurrat: sed hac ratione: quod homo, cùm etiam è corpore constet, sicut & anima: suppositis agentibus inferioribus, & superioribus corporeis, materiam disponentibus ac præparantibus rationalis anima à Deo optimo maximo per creationem infundatur. Angelus verò, quia intellectualis substantia est, totus sine secundarum causarum adminiculo ab omnipotenti domino producitur. Quare cùm immediatè à Deo procedat, in ipsum etiam immediatè se conuertat, necesse est. Manet igitur prima ratio firma & constans, ad id probandum, quod intendit, bonum scilicet aliquid & proprium, hominem habere: ad quod primò suas referat actiones.

Secundò idem suadetur ex sententia Platonis, quæ præclarum Aristotelis expositorem in moralibus semper cœsui: quibonum partitus est in summum bonum, quod est omnium rerum principium, quod est Deus ipse, de quo in Parmenide disputat: & in quoddam aliud bonum, siue bonum cum addito, quod bonum animæ, siue hominis, dum hīc inferius agit, appellatur: de quo in Philebo longius disputat. Estigitur ex mente huius philosophi bonum quoddam naturæ humanæ præfixum hīc inferius: de quo hocloco Aristoteles loquitur. Probatur præterea & hac ratione. Nam idem bonum humanum, siue felicitatem Aristoteles tractandam proponit: quam toto opere nos docet: docet autem felicitatem quandam in hac vita, quam operationē rationis secundum virtutem constituit: quam item summum bonum humanum appellat: idem igitur bonum naturæ humanæ accōmodatum

modatūm hīc proponit: quod probare intendimus. Tandem idem innotescit ex confirmatione antiquorum philosophorum, quam Aristoteles adducit. Quapropter inquit, bene veteres dixerunt bonum ipsum id esse, quod omnia appetunt. Consuevit sanè Aristoteles postquam suam sententiam de re graui aliquando protulit: eam communī omnium consensu (qui ad faciendam fidem maximè valet) corroborare. id in libro posteriorum fecit, cùm scientiæ definitione constituta, eam communī omnium sensu firmauit subiiciens: Omnes enim tam scientes, quam nescientes tunc arbitrantur se scire, cùm causam cognoscunt. Perinde etiam in hoc loco, cùm in axiomatis propositi confirmationem omnium antiquorum descriptionem de ipso bono induxit. Omnes enim antiqui philosophi, vt Plato, Socrates, Pythagoras, & quicunque ante Aristotelis tempora floruerunt, omnes vñani miter definierunt: Bonum ipsum, id esse, quod omnia appetunt, id est, id ipsum bonum cuiusque speciei est, in quod communiter indiuidua eiusdem generis ipsius naturæ appetitione feruntur. Ut planius tamen descriptio hæc vltimi boni percipiatur, tria discutienda sunt: primum aptè tradita sit hæc vltimi boni definitio: deinde, an conuenienter in conformatiōnē positi pronunciati sit adducta: tandem an bonum ipsum, quod in ea explicatur, non pro Deo ipso: vt autores prioris sententiarum asserebāt, sed pro eo ad quod cuiusq; speciei naturæ primus ascitus sit factus, capiatur. Primum expeditur affirmatiue, quod congruè ipsum bonum descriptum sit: quod sic suadetur: ad vniuersum genus entium definitionem extendendo. Per propensionem & naturæ appetitionem, quæ ab ipso autore naturæ profecta est, & ad bonum, quod inquirimus, directa, prædicta definitio tradita est: aptè igitur explicat, quid sit ipsum bonum. id etenim ipsum bonum, & scopus cuiusque generis entium est, in quem ipsa natura communī appetitu generis tendit. Alias autor ipsius naturæ tali nos rerum propensione deciperet, ipsaque naturæ inclinatio & proclivitas res omnino futilis & vana esset: quod penitus absurdum est. Atq; ex consequenti in genere homi

*virtus na  
turæ per-  
ficit.*

num id, quod primum naturæ inuitamentum habet, censendum est. Secundo idem apertè sic probatur: cuilibet animalium generi proprium, & ipsum bonum est, secundum naturam viuere: igitur ex motibus & appetitionibus ipsius naturæ congruè definitio ipsius boni profecta est: siquidē bonum ipsum naturam ipsam explere, & perficere habet: assumptum tamen in omnibus rebus ostendere facile est. Atque primò id in brutis animalibus constat, quibus conuenienter sui generis naturæ viuere finis, & ipsum bonum est. Patet etiam in animæ expertibus. Secundum enim naturam operari, vt leuis à medio ascendere, grauis ad ipsum deprimi: vt naturalia loca assequantur, ipsum bonum & finis ultimus est. Imò violentum argumentum est, ad idem persuadendum in quoquis animantium genere: vt tunc proprium bonum, & finem assequantur, cum propriæ naturæ conuenienter se motibus & appetitionibus exerceant. Sed peculiariter de ipso homine idem sic ostendo: omnis moris virtus homini quaesita est, non quæ naturam ipsam relinquit, ac destitutus: sed quæ tueatur, & seruet. Eum igitur homo scopum pro bono ipso & fine proprio habebit, ad quem primò humana natura ducta est: ad quem etiam ipsa virtus continuò tendat. Alioquin non perficeret, sed potius naturam destrueret. Neque insuper virtus ipsa moralis quoquam pacto primis naturæ inuitamentis relictis, in nobis constitui, aut formari posset. Item hoc perspicuum est: quod cum ætate grandiores euadimus, iudicioque valeamus, secundum virtutem & sapientiam viuere omnes quam optimum ducimus: atque magis has acquisitas virtutes, quam naturales quæ predictarum inchoationes sunt, colimus. Secundum eas igitur agere, est conuenienter naturæ viuere: propriam siquidem naturam ornare, augere, & locupletare continuò ab ipso ortu desideramus: Quare si viuere secundum virtutem & sapientiam ipsum bonum, & finis humanus est: hoc igitur etiam erit & conuenienter naturæ viuere. Est tamen aduertendum id, quod in antecedente huius rationis positum est, quod magis scilicet morales virtutes, quam naturales, & ipsa naturæ initia diligamus

mus: quod ideo contigit, quoniam id naturæ ipsi accidere videtur: quod amico, qui nobis aliquem sibi familiarem aliquando commendauit. Nam sape euenit, vt hunc pluris faciamus, quam illum, à quo nobis commendatus sit. Sed specialius iam etiam probo, quod conuenienter naturæ viuere sit homini secundum rationem vitam agere. Sensus etenim & membra omnia ita homini data sunt: vt ad quandam peculiarem viuendi rationem disposita esse videantur: sic item appetitio non ad quodvis genus vitæ, sed ad humanae quandam viuendi formam concessa videtur: atque insuper aliquid horatio ipsa, & recta ratio, quæ supremum locum in homine non accommodent. Dandum igitur est aliquid proprium huius naturæ modatū. bonum, ad quod primò peculiaris viuendi forma, quam praedicta omnia exigere videntur, propriis motibus & operationibus tendat: quod secundum rationem, atque ob id conuenienter naturæ viuere, erit: in quo bonum ipsum, & humanum bonum sit positum. Alias vita humana sine proprio fine & scopo, vaga & indefinita redderetur, quod absurdum est. In artibus enim ita cernere licet, vt non quævis actio nec finis cuique artifici congruat, sed ille tantum, qui ad propriam artem depromendam conueniens est: vt alius motus histrioni, alius saltatori, perinde ac finis præfixus est. Natura igitur ipsa maxime constans, & prouida, naturam humanam non vagam reliquit: sed ad eum finem intra naturæ limites destinavit, quo suam speciem, virtutem, & dignitatem, exercere possit. Est igitur vt homini ita cuique alii generi ipsum bonum secundum propriam naturam viuere. Quo fit: vt ipsum bonum, optime oratione dicta descriptum sit. Atque haec & si paulò latius diximus, intento animo consideranda sunt: quippe maxime sunt necessaria ad discernendum, quam culpabiliter viuant, qui legem naturæ, imò naturam ipsam humanam tota vita violent: cum naturale cuique homini sit, (vbi cunque terrarum agat) ex hominis natura vnde integra, & nihil requirenter agere. Necessaria insuper sunt ad discernendum: si ignorantia aliqua excusare possit eos barbaros, qui propriæ naturæ dignitatis oblitos, fermè esse refertur. Ex quo iam planè

pater: quo pacto enunciatum hoc Aristotelis per hanc antiquorum definitionem corroboretur, quod secundo loco animaduertendum diximus. A prè namq; sequitur, in quolibet entis genere ex propriæ naturæ motibus & appetitionibus bonū ipsum proficiuntur, vt in superioribus probatum est: probè igitur in natura humana statuitur, omnes motus per artem, doctrinam, & virtutes, conuenienter naturæ humanæ ordinatos, in bonum ipsum humanum tendere, quod dicta propositiōe Aristoteles asserit. & rursus si in natura humana ita se res habet, vt appetitiones omnes, & motus secundum eam ordinati in bonum ipsum intra ambitū naturæ constitutum tendant: in quo quis alio genere idem existimat rationi consentaneum erit. Quare ipsum bonum antiqui scitè definierunt, cùm asserunt: id esse in quavis natura, quod singula secundum eam appetūt. Vt hac item ratione posita descrip̄tio illius primi axiomatis consequens & corollarium sit. Crediderim tamen strictius hīc ab Aristotele, & etiam ab antiquioribus philosophis prædictam descriptionem capi, ita vt in genere hominum suum dumtaxat habeat intellectum: ac si dicatur, bonum ipsum, id esse, quod omnes homines (sanæ mentis intellige) appetunt, vt decimo libro contra Eudoxum eandem descriptionem Aristoteles declarat. Sed restat iam explicare id, quod vltimo loco propositum fuit. An definitum illud Ipsum bonū, pro vltimo fine simpliciter, an pro fine tantum proprio hominis in hac vita capiatur. Cuius solutio ex dictis iam perspicua est, quod pro naturali bono cuique generi entis accommodato capiatur: aut secundum posteriorem, atque strictiorem explicationem, pro ipso tantum bono naturæ humanæ in hac vita primò expedito. Sed ostenditur etiam & his rationibus. Primò quia phrasis hæc loquendi (ipsum bonum) desumpta est à Platone, per quam cuiusque naturæ ideam exprimit. hac etenim oratione τὸν αὐτόν ideam hominis significat, sicut per hanc τὸν αγαθόν ideam boni, quā hominis felicitatem asserebat: quod sexto capite Aristoteles oppugnat. Eadem etiam loquendi formam ab omnibus Græcis, & præcipue ab Stoicis philosophis mutatus est

Cicero

Cicero: sæpe in libris de finibus, vbi nunquam honestum si ne pro nomine ipsum, protulit. ex quibus manifestè constat per ipsum bonum finem naturæ humanæ accommodatum ac commenſuratum intelligendum esse. Apertius præterea idem patet: ex ipsius definitione. Nam ex motibus & appetitionibus naturæ ipsum bonum veteres philosophi venabantur: at motus & appetiones rerum sensibilium non tendunt, nisi in id bonum, quod suæ naturæ proprium est, sensibūsque subiectum: neque nos in Deum ipsum suis motibus sensu tendere percipimus: ponitur ergo definitum illud Ipsum bonū, pro peculiari hominum bono in hac vita ipsis præfixo, ac viribus ipsius naturæ assecuribili: ac perinde de finibus aliorum entiū ab ipso Deo optimo maximo destinatis sentiendum est. Manet ergo ex his omnibus probatum, quod circa prædicatum illud (quodam bonum) positum axiomatis quærebamus, quod pro bono scilicet naturæ humanæ capiatur: quod est secundum rationem viuere intra limites naturæ sistendo.

Secundo loco circa idem prædicatum hæc nostra assertio continebat, quod illud bonum, de quo hactenus disputauimus, à natura ipsa, cui destinatur, sit primò expeditum: itaq; licet varia, & infinita (vt dixit Porphyrius) sint cuiusque speciei individua, ratione tamē vnius naturæ participatae ad idem bonum semper omnia tendūt. Ad quod planius percipiendū apprimè est notandum: q; cùm bonū illud aliquid contineat, quod sit accommodatū & aptū ad id, quod cuiusq; natura desiderat, ibidē prima illius naturæ in uitamenta valēt: quibus cōtinuo eandē in uitat, & allecta. tefficit siquidē impetu, siue appetitionem illā, quā in præfatū bonum semper natura fertur. Vnde aduertendū est: q; quamdiu talis natura à suo bono separata est, nec circa illud operatur, tandiū sub quadā violētia & defectu esse: perinde ac res naturalis, quādo extra lōcū sibi cōuenientē est detenta, quæ quodā appetitionis impetu, & motu desiderii premitur: quādo vero cōuenientē sibi bonū assecuta est, motu quodāmodo desiderii cessat, fructiōe ipsa tāquā termino motus, natura expletur, & satiatur: statusq; violētię & defectus oīno depellit: & si nouum

*Finis rea  
liter mo-  
suet.*

nouū aliud desiderii genus statim excitetur , quo perpetuis stimulis, bonū illud adeptū possidēdi , semper agitatur . ex quibus planè sequitur antiquos philosophos ipsum bonum probē per motus & naturę appetitiones definisse . Nulla quippe alia res clarus ac plenius suam causam indicat, quām prius eiusdem effectus , cuiusmodi sunt impetus & appetitiōes respectu ipsius boni ad se continuò appetitiuas facultates inuitantis & allicientis . Iure insuper Græcos talem impetum & appetitionem ὅμηρον appellasse: quasi aliquid, vnde aliud mouetur, scilicet ipsum appetens . & eleganter item sequitur beatum Thomam asseruisse finem realiter mouere potentiam appetitiuam . appetere siquidem non est aliud, quām motu desiderii in aliquid ferri : motus autem à mouente efficitur, quod est, ipsum appetibile potentia inuitamentum retinens, eoq[ue] alliciens . Vnde licet appetere omnibus animantibus, animaq[ue] etiam experibus commune quippiam sit: appetibile tamen, quod mouet, non est, idem . Sed diuersum: perinde atque ipsæ naturæ, quæ attrahuntur . Quemadmodum omnium artium commune est in aliqua peritia & cognitione versari: non tamen eadem est omnium scientia & cognitio, sed alia sutoris, alia fabri, & alia similiter aliorum existit . Ita appetere omnibus quidem rebus commune est, hoc autem , aut illud appetere diuersum, pro earum varia & diuersa natura . Vnde euenit, vt nullus finis quanquāq[ue] naturam indifferenter mouere possit: sed eam tantum , ad quam alliciendam inuitamenta recepit, imo quāndiu durat inuitamentum illud in quo quis particuliari obiecto , tamdiu solum voluptatem cum operatione manere , docet Aristoteles decimo libro, capite quarto . Quod supra dictam etiam finis efficientiā aperte arguit, uno proprio testimonio eam Aristoteles confirmat . Restat igitur veritas nostri pronunciati , bonum scilicet ipsum ab ipsa natura totis variis semper esse expeditum .

Postremo loco propositum fuit, in huius interpretationis initio: ad hunc finem, & humanum bonum reliquias vita fines suapte natura ferri: quod explicacione tantum eget, cùm ex superioribus hæc assertio satis manifesta sit: & adhuc

adhuc sic suadetur: Datur aliquod bonū humanū, quod in vita ciuili vltimi finis rationē habet: huiusmodi ergo ingenii est, vt ipsum ad neminem, ceteri autem fines ad ipsum referantur . hæc enim vltimi finis ratio ab omnibus antiquis philosophis recepta est . item à quibus initii aliquā vitæ officia & opera proficiscuntur, in hæc eadem tanquam in finem ferri necesse est: eadē siquidem in minoribus lex extat, quæ sufficien in productis, atque à natura effectis: in quibus reciprocatio do suapte nem necessariam in eas causas diximus: à quibus aliquando natura in egressa fuissent: at sic est, quod ab ipso bono rationis & virtutis tanquam à primo principio omnia inchoantur vitæ officia: (vt in sequentibus etiam planiū videbitur) in idem igitur res se contur referatur, necesse est: Manet igitur firma nostra assertio . ex qua statim sequitur prædicta opera & officia vitæ, quæ in bonum naturæ humanæ immediatè tendunt, in Deum optimum maximum, tanquam in finem naturalem omniū vltimum & supremum (implicitè saltem) suapte natura ferri . Est enim Deus omnipotens simpliciter & sine ullo addito vltimus & supremus omnium finis . Ad ipsum igitur ex superiori ratione vltimi finis, omnes alii necessariò referuntur . Item lex, ratio, & quæ ex virtute prodeunt actiones, quas bonum humanum continere diximus: ab omnipotenti domino, tanquam à lege æterna, & omnium bonorum principio originem ducunt: suam insuper vim & efficaciam fortiūtur: in eundem igitur vel vna hac ratione referatur, oportet: iuxta regulam superiū posita, à quibus initii aliqua egreduntur, in eadem referri necesse est . Quod intento animo obseruandum est, vt rectè de actibus moraliter bonis de quib[us] Deo dante in secundo libro disputatio futura est: aliquādo discernere valeamus . & vt cognoscamus insuper, qua ratione in Deum ipsum actus morales suapte natura ab iis referuntur, qui intra limites naturæ vitam agunt, vt philosophi, qui usque adeò suis scriptis rationem ipsam colere studuerunt . Attamen nos, qui Christiano nomine censemur, Christiq[ue] redemptoris nostri imitationem colimus, ipsumq[ue] orbis redemptorem verè profitemur: ipsum Deum totius boni & optimi autorem omni vita, omni insuper actione exprimere & declarare debemus: vt ipsius duplē imaginē portemus

portemus: alteram, qua homines, alteram, qua Christiani, ipso viuendi genere. Primo ergo imaginem Dei, qua nos homines esse ostendamus, referre conuenit. Dixit namque dominus Deus Genesios. i. cap. Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, ut praesit piscibus maris, volatilibus cœli. &c. Ex quo aperte colligitur: hominem factum esse ad similitudinem omnipotentis Dei, in quantum mente & ratione, arbitriique libertate ingenuè pollet: ut praesit (inquit) volatilibus cœli, & piscibus maris: rationem sanè similitudinis subiungens. idem etiam ratio ipsa imaginis declarat: id quippe ad alterius imagine & similitudinem factum censemus, quod non solum cætera membra, sed ipsius faciem aptè refert. Facies autem omnipotentis Dei eius mens est, atque libera voluntas: homo igitur mente, & ratione liberaque voluntate praeditus, ipsius Dei faciem refert: quod & philosophi cognouere iuxta illud Ouidii omissionis nunc pluribus aliis testimoniosis: quam salus Iapeto misera fluvialibus vndis fixit in effigiem moderantū cuncta Deorum exprimit. Reliquū verò creaturarū vulgus vestigiū: quod cum impressio quedam sit in puluere, pedem & non faciem referre potest. Quibus hoc consequens accedit: hominem quocunque viuendi cursu, atque genere agat, quanunque operationem exerceat, (interimque intelligētia, ratione arbitrii libertate ad sic operandum dicitur) se hominem esse opere testare: omnipotentisque Dei imaginem vietā conuenientis penicillo, ostendere & declarare. Quando verò ratione corporis & voluptatis ipsi conuenientis, vitā traducit, eo ipso Dei imaginem deturpare, atq; hominis appellationem omittere, aut iniuria sanè eam retinere. Quare et si hominis vultum tunc circumferat, potius planta, aut animal brutum, quam homo est existimandus: iuxta diuinū illud elogium, homo, cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.

Alteram deinde imaginem cœlestis, id est, Christi redemptoris portare debemus, qua nos verè Christianos esse vita ipsa exhibeamus. hæc autem ex doctrina & imitatiōe simul Christi Iesu perficitur. ex doctrina quidem, ut nostrarum vi-

rium imbecillitate explorata, iugiter à Deo optimo maximo auxilium & fauorem ad vitę officia præstanda humiliter requiramus: illum precādo nostras vires corroboret, adiuuet, atq; in bono confirmet: Deinde ut omni culpa & sorde ex carnis temeritate, atque mortalis corporis contagione contracta, diligenter excussa, & diuinis medicamentis inde purgata veram fidem, spem, & charitatem in Deum vita ipsa declareremus. Quod à vero Christicola beatus Iacobus obnixè petebat, cum aliquando dixit: ostende mihi fidem tuam ex operibus &c. Vnde quia præfata adminicula super naturalia dona Dei optimi sunt: fit, ut vita, quæ ab his cum integro liberi arbitrii vīsu procedat: tota fructus plena sit: in Deumq; ipsum super naturali ratione cognitum, integrè tota referatur, iuxta regulam superius positā, à quibus initii aliqua vita officia profiscuntur, in eadem tanquam in finem referantur, oportet. Qua ratione, ita omnipotentis Dei pius homo imaginem refert, ut beatus Petrus prima sua canonica eum diuinæ naturæ consortem non dubitet appellare. Cuius gratia considerare conuenit: quod sicut soli aliquid dupliciter assimiliari contingit: primo quadam luminis per radium quendam & spléodore communicatione: deinde integræ luminis consequutione: ita & soli iustitiæ Christo redemptori nostro dupliciter quis cōformari potest. Vno modo quadam diuini luminis cōmunicatiōe, seu infusióe diuina dona, quæ supra retulimus recipiendo, per quæ ad esse & viue re diuinum quodammodo homo hic extollitur, dum ex ipsis operatur. Deinde integræ luminis consequutione: quando in patria, prout vniuersitatisq; vita, & merita postulabūt sinusq; propriæ capacitatib; extenderit, premia recipiet. Atque cum præsenti vita prioris luminis communicatione suffulti, ex imitatione Christi Iesu, cuius vita nostræ est institutio, vitam in obedientia Dei patris sanctitate, & iustificatiōne agimus, imaginem Christi redemptoris nostri opere tandem ostendimus, & declaramus: cuius imago & imitatio, vita superius descripta existit: iuxta doctrinam Pauli s̄p̄e nos admonentis, quod portemus imaginem cœlestis, sicut aliquando terrestris portauimus, & q; nos exhibeamus conformes imagini filii eius, id est, absolutæ vita vnigeniti filii.

filii æterni patti. Latè igitur hactenus explicuimus exprefsiorem illam imaginem, quam Christi athleta diuino ore peculiarter edocitus, vita sua declarare & ostendere debet: & eam etiam, quā homo quatenus homo est, vita & actiōibus referre conuenit, sed insurget iam aliquis, qui ergo priorem illam imaginem veri Dei vita exprimunt, impliciteque omnia sua opera in Deum omnium principium referunt, aliori cognitione destituti, suarum animarum saluti sufficienter consuluisse videbuntur: quippe ad nihil amplius tencetur, quam ad id, quod cognitio naturalis necessarium ostenderet: interimq; altiori lumine reuelatiōis caruissent, vt fuerunt antiqui philosophi Pythagoras, Socrates, Plato, Aristoteles, Cicero & huiusmodi, quorū accuratè de moribus extant conscripti libri: qui legis naturalis ipsos elegantes cultores testari videntur. Quare animarū saluti sufficienter prospexit videtur: ac proinde rationi consentaneum apparet: eos legem naturalem adeò seruantes, à Deo optimo maximo de necessariis ad salutem consequendam fuisse eruditos ac institutos, atque ea ratione tandem saluos.

Duo præsenti difficultate queruntur: primum, vtrū qui ita legem naturalem custodire curat, vt secundū rectam rationem semper operetur, impliciteque eo modo, quo diximus, suas actiones in Deum referat, is sufficienter se dispositum præbeat, vt misericors Deus eum de necessariis ad salutem illuminet? siquidem per regulam magistralem theolorum, facienti quod in se est, Deus præsto adest, ad ipsum ea docendum, quæ sibi ad salutem sunt necessaria: per prædicatorem, aut internam animæ illuminationem. Deinde quid sentiendum sit de salute eorum philosophorum, qui adeò morigeros suis scriptis se posteritati commendarunt, eadem difficultate inculcatur. Qua de re non semel à viris philosophia, & eloquentiæ studiosis sollicitè sum rogatus. quibus omnibus hic simul respondere decreui: & expediens iudicaui pro his omnibus, qui superioribus studiis sunt addicti.

Prior difficultas expeditur sequenti propositiōe. licet ad hoc q; actus moraliter sit bonus, vitaq; studiosa, sufficiat eā in materia ex genere bona exerceri, & propter honestum: vel quia sic præcipit recta ratio: quæ à Deo profecta est, & ea ratione

tatione propter ipsum Deum implicitè: non tamen sufficit, vt aliquis dicatur agere, quod in se possum est, vt à clementissimo domino de via propriæ salutis specialiter doceatur. Prior pars nunc supponitur: quæ partim etiam ex dictis constat, posterior hac ratione probatur: ad hoc quod aliquis faciat, quod in se est, hæc duo requiruntur: primum diffidētia Initia p- proprietarum virium ad omnem fugam mali, & prosecutio- paratiōis nem boni absq; speciali numinis auxilio: posterius vt negotiū salutis animæ omnipotenti domino commendetur: to ad asse- tumq; se homo instruendum atq; docendum de via, qua ad quendam benevolē vitam itur, illi se præbeat: perinde atq; discipulus vitæ magi- tiām na- stro, omniumq; rerum per modos sibi placitos moderato- minis. Prior ergo illa dispositiō, quā actus bonus moraliter re- quirit: non sufficit, vt quispiam, quod in se possum est, dica tur agere. Antecedēs tamen huius illationis ex viris illis sanctis primò colligitur, quos ex gentium ac flagitiosorum hominum consortio clementissimus dominus ad veram fidē, rectamq; salutis viam vocavit: vt de Abraham, Iob, & Cornelio centurione, qui omnes Deum timebant: à malo rece- debant: & si inter flagitiosos agerent: totoq; suæ vitæ cursu per sua opera Deo placere nitabantur, auxiliumq; continuò petebant, vt omni actione ab ipso Deo dirigerentur. Quod si hæc omnia suis actionibus tota vita præstabant, aperte se- quitur eos suis viribus bona, quæ agerent, non adscribere, nec iisdem fidere: sed totam suæ salutis spem & fiduciam in Deo depositam habuisse: quod ratio superior intendebat. Hæc autem, quæ in probationem assumpsimus, planè scrip- tura diuina testatur: Iob capite primo, quando inquit: Erat vir in terra Hus nomine Iob, & erat vir ille simplex & rectus, aetimens Deum, & recedens à malo: Atq; idem intellige de Abraham tempore, quo à Deo vocatus fuit. At dices, tales se exhibuerunt patriarcha Abraham, & beatus Iob, postquam per internam reuelationem omnipotentis Dei de ipsis cognitione, ac vera fide mediatoris Christi Iesu sufficiēter fuerunt instructi, & edociti. Hoc tamen nostram rationem minime infirmat. Nam licet verum sit: quod post internam reuelationem, & peculiarem Dei instructionem, prædicta do- natimoris, & amoris cumulatiora habuerint, singulaq; ope

ra charitate informata quamprimum Deo accepti & grati-  
fuerunt, præstiterint: ante horum tamen supernaturalium  
donorum infusionem, quædam ipsorum initia & inchoa-  
tiones quantum naturæ viresse extēdere possunt, in huius-  
modi viris præcesserunt. Propter quæ clementissimus pater  
sua misericordia motus, eos exaudire dignatus est: multo ex-  
cellētiora, & ampliora dona illis præstando, quam ea, quæ  
antecessissent, licet hæc & illa diuinæ prædestinationis libe-  
ralia dona extiterint. Atq; ideo diuina scriptura de iis viris,  
(vt de beato Iob iam allegatum est) præstatiſſima hæc bona  
tempore suæ vocatiois adesse refert: vt nimis similia in-  
fra limites naturæ secundum quandam imperfectionem in-  
dicet, præcessisse. Quod clarius etiam cernere licet in voca-  
tione Cornelii, quam refert beatus Lucas Actuum. 10. capite,  
cùm inquit: Erat Cæſareæ Cornelius vir religiosus ac ti-  
minens Deum cù tota familia sua, præstans eleemosynas mul-  
tas plebi, deprecansq; Deum semper: quibus statim subdit  
eius vocationem dicens: hora autem nona vidit angelū in-  
gressum ad se, ac dicentem sibi, orationes tuæ, ac eleemosy-  
næ tuæ ascenderunt in memoriam coram Deo, & nūc mit-  
te viros in Iopem &c. Ex quo testimonio aperte colligitur:  
quod antequam à beato Petro Cornelius fuisset baptizatus,  
de viaq; suæ salutis instructus, Deum timebat, ipsumq; de-  
precabatur: vt præſidio salutis ipſi foret: ad quam rem af-  
sequendam, continuis eleemosynis, & beneficentia operibus  
benevolentiam numinis captare contendebat. His tamē e-  
xistentibus nondum erat iustificatus: quia Christi Iesu redē-  
ptoris, & inter Deum & homines mediatoris, fidem nō ha-  
bebat: hoc siquidem orationibus & eleemosynis iugiter pe-  
tebat. nec angelus, cùm ei primò apparuit, de fide peculiari-  
ter instruxit: Sed remisit ad Petrum. Quod si dicas, remissus  
est, vt fidem explicitam assequeretur, simulq; à Petro bapti-  
zaretur: habuit tamen ante fidem implicitam, quæ sibi ad iu-  
stificationem tunc sufficiebat. Sit sane, adhuc tamen sequi-  
tur id, quod intēdimus: quod ad hoc scilicet, quod aliquis à  
Deo optimo maximo per se, vel per alios de necessariis ad  
salutem expressè erudiatur, quod in controversiam hæc ver-  
sūt: necessariū est ea, quæ diximus, illum obtinere. Quini-

nimo neque fide implicita aliquis vnquam iustificatus fuit,  
in quo prædicta duo pro naturæ viribus, non præcederent:  
propriæ scilicet ad omne opus bonum imbecillitatis cogni-  
tio: & Dei omnipotentis insuper auxili: diuinæq; propen-  
sionis imploratio: quibus eius animæ saluti dignaretur pro-  
spicere, vt ex locis allegatis apertissime cōstare videtur. Vbi  
consideratione dignum est, quod licet ex viribus naturæ ali-  
quis hanc propositionem colligere possit, eidemq; adhære-  
re: Deus est moderator, ac prouisor omniū, & gubernator  
per modos sibi placitos. cum ea tamen firmitate, stabilitate,  
& immobilitate, quam fides necessariò exigit, ei præstare al-  
sensum minime potest: nisi impulsu ac tractu patris æterni  
sit adductus: id diuina veritate attestante, nemo potest ve-  
nire ad me, nisi pater meus traxerit eum. Vnde prædictæ pro-  
positionis assensus licet fidei implicitæ rationem tenere vi-  
deatur: eius tamen rationem nullo pacto attingit: nisi præ-  
dicta firmitas & immobilitas ex tractu diuino prius adsit.  
Quæ cù aderit: is qui suæ vitæ ac salutis, finis, atq; exitus hu-  
ius vitæ, totam spem & fidutiam Deo optimo maximo re-  
positam habet, si huiusmodi fidei ac credulitati vitam suam  
accommodauerit, fidem sanè habet implicitam: qua, acce-  
dente charitate iustificatus & Deo gratus euadit: quam ta-  
men Deus nunquam ipsi tribueret: neque ad tantum digni-  
tatis gradum ipse ascenderet: nisi ad totius boni consecutio-  
nem propriis viribus diffideret, Deoq; optimo maximo to-  
tam huius negotii summam affereret: fuga vitiorum, ac bo-  
nis operibus, continuo ipsum precando.

Sed occurret iam aliquis contra assertam conclusionem  
vrgendo, quod cognitionis naturalis ad præfatam dispositio-  
nem homines attollere non valeat, nec ea, ducti talem gra-  
dum efficere: vt quicquid boni egerint, omnino ipsis, pro-  
priæq; rationi non adscribant. Hæc tamen obiectione ad excu-  
sationem intentam parui momenti est: quod sequēribus ra-  
tionibus aperte constat. Principio inter sapientum prærepta,  
qua parsim ab omnibus circumferebatur, hæc duo potissimum  
celebratissima extitere: sequi Deum, atque seipsum  
quemq; noscere. Quoruin primo planè affirmabāt, Deum  
optimum maximum, humanæ vitæ magistrū, ac totius cur-

sus, atque eiusdem vitæ exitus, prima gubernacula tenentē. vnde in vitæ instituenda ratione ipsi tanquam discipulos se ipsos committendos, ac moderandos præbere indubitáter præcipiebant. Alterum deinde præceptum dupliciter intellegi potest, primum vt propriæ naturæ dignitatem & excellentiam vt ab ea nunquam degenerarent homines agnoscerent. Quare pro foribus templi apollinis pendere voluerūt. Secundo modo: vt propriā imbecillitatē, atq; ad totius boni prosequutionem, ignorantiam faterentur: continuam pugnam corporis cum omnibus suis perturbationibus aduersus rationem ipsam experiendo: atq; insuper se inuitos tandem ab hac vita discessuros agnoscendo. Quæ duo omnipotenti domino semper maxime fidendum esse: nobis autē qui adeò ad malum proclives, & propensi sumus: non tantū virium ad salutis negotium vendicandum, esse, aperte demonstrat. Ex philosophorū igitur ore prædictā dispositionē homines cognoscere posse, viribus naturæ suffultos aperte constat. Quare obiectio posita nullius ponderis est. Præterea philosophi ipsi fatebantur esse & conseruari ab aeterno Deo accepisse, ab ipsoq; continuo penderē: igitur & totum nostrum viuere, propter quod esse accepimus, & in eo conseruamur, ab ipso Deo, divinaq; prouidentia omnino penderē confiteantur, oportet: iuxta regulam illam vulgatam, propter quod vnumquodq; tale est, & illud magis. Antecedens autem manifestum est, ipsorum philosophorum opera legenti. Nam aperte id docet Plato: in Timæo, & Aristoteles in libro Metaphysicorum, tum etiam in decimo huius operis: deinde Cicero in libello eo de vniuersitate, quem ex Timæo Platonis trastulit in tertio itē lib. de finibus hac de re in hunc modū dissertat: Cūm Deum Optimum maximū dicimus, cumq; eundem salutarem, hospitalem, statorem: hoc intelligi volumus: salutem hominum in eius tutela. minime autem conuenit, cūm ipsi inter nos abiecti, neglecti, simus, postulare à diis immortalibus, chari simus, & ab eis diligamur. Hæc Cicero, Quibus aperte ostendit Deum continuum prouisorem esse nostræ salutis, quod probare intendimus. Planius autem secundo libro de Legibus, ybi ait: Sit igitur hoc iam à principio persuasum ciuibus, dños esse om-

*Cognitio  
naturalis  
sufficien-  
ter ostende-  
bat: q; ho-  
mines te-  
nebatur  
se Deo co-  
mittere.*

nium:

niū rerum ac moderatores Deos; eaq; gerantur eorum geri iudicio ac numine: eosdemque optimè de genere hominum mereri, & qualisquisque sit, quid agat, quid in se admittat, qua mente qua pietate religiones colat, inueniri, piorumque & impiorum habere rationem. &c. & confirmatur idem, quia opposito dato è medio diuina prouidentia tolleretur: quam ipsi philosophi libenter confessi sunt, vt ex dictis patet. Sub ipsa autem cuiuscūq; rei ad proprium finem destinatio, & directio continet: est igitur humanae vitæ moderamen potissimum omnipotenti Deo committendum: atq; vt nostras vites adiutet, opera dirigat: continuis precatiōibus ab eo perendum. Postrem idem planè indicauit beatus Pauhus primo capite eius epistolæ, quæ ad Romanos extat, omnes philosophos damnans, cùm nostræ conclusionis causam subiicit. Nam cùm Deum (inquit) cognouissent: non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerūt, quasi aperte diceret: excusatiōe minime digni sunt, quia omnem honorem, & gloriam ex operibus bonis Deo debitam, quod ipsi cognoverunt, vivere insuper, & sapientiam omnium, sibi ipsis tanquam propriis autoribus asserebant: neque aliqua bona Deo accepta vñquam retulerint: propriis viribus, ac elationibus intumescentes. Quod maximum ad Romanos scribens fecit beatus Pauhus: quia ipsi potissimum ad se totius Græciæ sapientiam transstulisse gloriantur, vt vna voce simul omnes inexcusabiles ostenderet.

Hinc iam secundæ difficultatis solutio fermè patet, planius tamen ex sequentibus percipietur. Atque primum hoc indubitatum apud catholicos supponitur, neminem asserere posse, salutem prefatos philosophos, ac sapientes mundi consecutos fuisse: vt testimonio Pauli adducto satis apertū est: & insuper quia fidem non habuerunt, sine qua placere Deo neminem posse in epistola etiam ad Hebræos constanter asserit, quod etiam ipsiusmet veritatis elogio Ioannis. 14 firmatum est, cùm inquit: nemo potest venire ad patrem, nisi per me.

Secundo dico, quod asserere credibile esse ab omnipotenti Deo eos fuisse illuminatos, atque tandem de necessaria

riis ad salutem instructos, qui adeò accuratè legem naturalem obseruassent: temerè & absque ratione afferritur. Ex eorum siquidem testimoniiis eos legem naturalem minimè obseruasse, planè patet. Quod ut facilius percipiatur, ipsorum testimonia, quæ ad hanc rem potissimum agunt, in tria capita redigere decreui. Primum est: quod in propriam famam, gloriam & honorem, virtutes omnes, atque virtutum opera referebant: nec aliis scopus eorum virtutibus propositus fuit: quām se apud populum studiosos, & omni honore dignos exhibere, ad quam rem omni virtute se esse præditos simulabant, cùm penitus ea caruissent. Secundum est, quod ad omne opus bonum præstandum propriis viribus fidebant. Quare sibimet omnem virtutem, & virtutum opera, tanquam primis autoribus, finēmque insuper, ac vitæ felicitatem affercebant. Tertium est, quod propria sapientia tyrrannidem quandam in plebem exercebant: cùm eiusdem auari, quæ aliis expedire cognoscebant, ex professo negabant: adeò ut non aliud ferè omnium ore sapientum circūferreretur: quām curam potissimum esse de non referandis mysteriis Sacræ philosophiæ. Quare si aliquis ea de re quipiam edidisset, statim alii tanquam alienæ felicitatis inuidi, querebantur: quæ omnia contra rectam rationem, legemq; naturalem esse manifestè constat: ita ut nullus nisi perpera, eos accurate legem naturalem obseruisse vlo pacto possit affirmare. Nam priora duo contra religionem, & Dei cultum immediatè, qui de lege naturali omnibus est, proferuntur: siquidem omnes duabus his de causis rationem quan- dam Deitatis sibi usurpare nitebantur: iuxta illud Psalm. 9. Constitue Domine legislatorem super eos, ut sciant gentes quī homines sunt: id est, inquit Domine illis timorè, ut principes & Gentiū sapientes intelligent se homines esse: id est, mortales & cædulos: & ea conditione natos, ut eorum res florentes possint detiores fieri, & rebus alperis commutari, nec rationem numinis aliquam habere. Postremū verò contra naturalem proximi charitatem extat: quam benevolè tenebantur exhibere: secundum illud iuris naturæ principium, quæcunque vultis, faciant vobis homines, eadem facite illis. Singula tamen capita co ordine, quo sunt proposita

proposita, eorum testimoniis iam deducuntur. Primum autem cùm latè pateat omnibus eorum scriptis, præcipuè tamen locis sequentibus: ac primò ex Cicerone, qui totius Græciæ sapientiæ præclarus extitit expeditor: qui in somno Scipionis curam de salute patriæ medium aptum & commodum esse, vt quis ocyus ad cœlum, sedemque proprium ex præsenti vita peruerget, iudicauit: vbi apertè fama & gloria proposita est omnium actionum vitæ scopus: quo animæ optimè prospectum esse existimauit. Deinde secundo proposita libro officiorum, vbi prodigos homines, ac patrimoniorū profusores cō reprehendit: quod ex talibus largitionibus breuem, aut nullam sint memoriam relicturi. quia his (inquit) huiusmodi profusiones bonorum fiunt, in quibus cū ipsa facietate, moritur & voluptatis memoria. Quando autem huiusmodi largitiones ad amplissimos honores in Republica conisequendos exercebantur: eas omnino excusat, imo qui minori sumptu ea, quæ in Republica preciosissima habebantur: adepti essent, vehementer commendauit: iureque eos gloriari debere censuit. Deinde etiam cùm liberalitate agit, eos quā plurimis beneficiis debere affici docet: quorum liberis, posterisque huiusmodi beneficentia prodatur memoria, atque nullo pacto ingratos esse liceat. Ex quibus apertè colligitur memoriam apud posteritatem, adeptioñeq; eorum magistratum, qui in Republica amplissimi haberentur, tota vita scopum liberalitatis illos propositum fuisse: ac proinde cæterarum virtutum. Quare sæpe honestum id appellabant: quod suo nomini & famæ consentaneum esset, licet suapte natura turpitudinem includeret: ut est illud, quod quilibet lacessitus iniuria nocere prouocanti possit. Honestum enim hoc putabant antiqui: non quia in se tale esset, sed quia iniuriam non propulsare, cùm turpitudini à populo daretur, suo nomini non consentire iudicabant. Usque adeò tandem proprium nomen colere studuerunt: ut insania correpti prætextu virtutis, diuinos honores in vita, aut saltem post mortem sibi debere impedi magnopere curaret. Quapropter etiam operam dabant, ut in ciuitatibus, rebusque omnibus publicis in excellentiis virtutis, & præcipuè fortitudinis præmium, designatum es-

set: eorum memoriam, qui optimè de Republica meriti fuisse  
erant, Deorum immortalium honore perpetuo fore conse-  
crandam: ut tertio libro de natura Deorum autor est Cice-  
ro. Cuius reiùm adeò cupiditate flagrarent: et si omni vir-  
tute destituti essent: ingenuè: tamen eiusdem simulatores,  
ac hypocritas, se populo ostentabant: ut videre est etiam apud  
Ciceronem primo libro de natura Deorum: ubi post-  
quam de pietate in Deos (ut inquit ipse) quædam loquutus  
fuisset, sic inquit: in specie autem facte simulationis, sicut re-  
liquæ virtutes, ita pietas inesse non potest: cum qua simul  
sanctitatem & religionem tolli necesse est. Ex quo aperte  
colligitur hypocritum, gratia gloria, & honoris comparan-  
di non solum in Iudeorum populo, sed etiam gentium, al-  
tas egisse radices, & vitam in populo Christiano beneficio  
omnipotentis Dei radicitus euissam cerneremus. Eadem  
etiam colliguntur ex Platone in epistola ad Dionysium, ubi cùm pauca de fama in posteros propaganda dixisset, in-  
quit: Cum èa verò hæc ideo dixi, ut illud ostenderem: quod  
etiam cùm mortui fuerimus, de nobis homines non file-  
bunt. Et in ea item oratione funebri, quæ Epitaphius, siue  
Menexenus inscribitur: quam habuit Aspasia doctissima  
fœmina sic inquiens: Postremò atque per omnia: omni dili-  
gentia contendite, ut nos, & maiores nostros gloria super-  
eatis. Alioquin scitote, si vobis virtute præstemus, victoriâ hanc  
nobis dedecus allaturam: si superemur à vobis, felicitatem.  
Ita verò maximè nos superabimur: vos autem superabitis, si  
ea ratione vitam inservietis, ut maiorum gloria non abuta-  
mini: nec eam (ut ita dixerimus) expendatis, erogetisque,  
scientes viro aliquid esse se existimanti, nihil turpius posse  
accidere: quam scipsum honorandum, non propriam ob  
virtutem, sed ob superiorum gloriam præbere. Hactenus  
Plato loquitur autem per prosopopeiam sub persona mor-  
tuorum. Ex quo duo colliguntur: primum, quod suam fel-  
icitatem integrum illi sperabant ex aucto honore, & gloria,  
in posteris: deinde quod viui virtutem ipsam propter hono-  
rem & gloriam tantum solebant: quod probandum assum-  
psimus. Atque planè idem etiam asserit Cicero secundo li-  
bro de legibus, dum mortuorum exitium iudicio & gaudio  
viuorum

viuorum comprobari affirmat, secundum quod eorum fa-  
ma apud viuentes relicta postulauerit. Secundum in ordi-  
ne caput erat, quod ipsi philosophi sibi ipsis tanquam pri-  
mis autoribus omnem virtutem, felicitatemque omnem  
humanam ex propriarum virium tumiditate vendicabant:  
cum ad omne opus bonum propriis viribus valere gloria-  
rentur. Quo factum est: ut nunquam opere virtutem de  
gustassent: quam verbis usque adeò efferebant. Assumptum *Suis viri*  
tamen hoc pacto colligitur: primo ex Cicerone quinto li-  
bro Tusculanarum quæstionum, ubi docet: sapientem nihil *bus phile*  
debere expectare quasi certò futurum, nihil cùm acciderit *sophi* *debant.*  
admirari, tanquam inopinatum, ac nouum, accidisse videa-  
tur. Sed omnia debere ad suum arbitrium referre. Quini-  
mo eodem ferme loco propter quemcunq; flatum, aut for-  
tunæ reflatum, immobilem suum sapientem constituit: se-  
cundum antiquum illud præceptum nihil nimis. Quo sanè  
intelligebant: sapientem non immodicè latari ob prospera,  
nec ob aduersa mœrere debere.. atque hoc, non propter  
Deum, quem omnium bonorum agnoscet, autorem, sed  
ob hoc (inquit) quod semper in seipso omnem spem sui re-  
positam habet. Quare statim subdit: ab affectu, metu, timidi-  
tate, & ceteris perturbationibus nūquāvinci posse. Quod e-  
tiam tertio libro de finibus: eisdem fermè verbis docuerat:  
cùm in sapiente positum decernit, quicquid experidum sit.  
imo ipsum sapientem omnia humana infra se duegere debe-  
re: sibi tantum confidere: & suæ vitæ, & actæ, & consequen-  
ti, atque de se tantum optime iudicare. Quæ omnia tumo-  
rem quandam propriarum virtutum in ipso sapiente aperte  
indican: quod diuini illius spiritus illuminationi opponi-  
tur, & immediate resistit. Atque si exclusionem diuini auxilii  
aut omnipotentis Dei favorem & prouidentiam ad bo-  
na virtutum præstanta neglectum cernere cupis, audi So-  
cratem apud Ciceronem primo academicarum quæstionū  
libro resonantem: cùm de emendanda vita per philosophiā  
loqueretur. Vbi inquit: cœlestia vel procul esse à nostra cog-  
nitione, vel si maximè cognita sint, nihil tamen ad bene vi-  
uendum conferre. Atque planius idem Cicero tertio libro  
de natura Deorum hoc idem sub his verbis asserit: omnes  
mortales

mortales omnem commoditatem, prosperitatēmque vitā à Diis immortalibus se habere affirmant: virtutem autem nemo vñquam acceptam Deo retulit: nimirūm inquit recte: propter virtutem enim iure laudamur, & in virtute recte gloriamur: & paulo infra: Num quis, quōd bonus vir es-  
set, gratias diis egit vñquam? At quōd diues, quōd honoratus, quōd incolmis, Iouemq; optimum maximum ob eas res appellant: non quōd nos iustos, temperatos, sapientes ef-  
ficiat: sed quōd saluos, incolumes, opulentos, copiosos &c. Quia nulla maiore infania aures vñquam occupari potuisse constat. Quare meritò sapientia huiusmūdi secūdum quod vas electionis Paulus diuino spiritu afflatus dixit: stultitia est apud Deum:

*Cognitio  
nē veri  
Dei phi-  
losophice  
teris o-  
cultabāt.* Tertio loco propositum fuit eos sua sapientia tyranni-  
dem quādam in plebem exercere, propria gloria, & amplissimo nomini semper consulendo: bonūq; insuper, ad quod alii aliqua veritate edocti aspirassent, continuò inuidendo. Quod planè videre est, primò apud Platon: in epistola ad Dionylium vbi cùm quādam de perceptione diuinorum dixisset, sic, inquit: Cae tamē ne excidant hæc vñquam in-  
aures hominum, disciplinæ, eruditioñsque expertum. At-  
que deinde in Timao quando sic docet: Opificem quidem & patrem mundi huius inuenire, difficile: & cùm iam inuenieris prædicare, eloqui vulgo impossibile. quam sententiā Cicero libello eo, quem de vniuersitate edidit, sic transtulit, cùm pauca quādam de vniuersitatis, ac mundi generatio-  
ne dixisset: Atque illum quidem quasi parentem huius vni-  
uersitatis inuenire, difficile: & cùm iam inuenieris in vulgus indicare, nefas. nefas (inquit) est, notiriam veri Dei in vulgus ac plebem indicare, qua ad cultum, æterni numinis (de quo eo loco sermo habetur) è media plebe forsan plures affurge-  
rent: timentes hoc astéruisse crediderim, ne statim ab illa dignitate sapientiæ, iuréque illius Deitatis, cui aliquando cō-  
securari sperabant, depellerentur. Quem sensum explicatus Cicero prosequutus est tertio officiorum libro, vbi interce-  
lare, & tacere distantiam constituendo: sic inquit: Neque e-  
go nunc te celo, si tibi non dico, quæ natura sit Deorum, quis sit finis bonorum, quæ tibi plus professent cognita,  
quām

quām tritici vtilitas. Sed non quicquid tibi audite vtile est; mihi id dicere necesse est. Imo verò (inquiet ille) necesse est: si quidem meministi esse inter homines natura coniunctam societatem. Memini (inquit ille) Sed num ista societas talis est, vt nihil suum cūiusque sit. Hæc Cicero. Vbi immanem quandam inuidentiam in genus hominum propriā inquit cuiusque sapientiæ sapientiæ possessionem, vt patrimonii cu- iusdam aperte deprehendis: imo strictiorem forsan: cùm hoc vendere, atque ex eo largitiones facere liceat: illam ve-  
rò quoquam pacto communicare nefas esset. Quam ob cau-  
sam beatus Paulus in epistola ad Romanos capite primo quasi hanc sententiā tunc animo versans, philosophos om-  
nes impieratis & iniustitiæ damnauit: quando dixit. Reuelata tur ira Dei de die in diem super omnem impietatem & iniu-  
stiam hominum illorum, qui veritatem Dei in iniustitia detinent. Iste siquidem veri Dei cognitionem in vulgus ip-  
sum propagari, vt ad ipsius cultum tota plebs assurget, vir-  
tutumque ornamenta quereret, omnino impediabant. His-  
igitur explicuimus, quibus, tanquam è fontibus quibusdam perennibus, tota stultitia, ac philosophorum dementia ema-  
nauerit. Quod animaduersione dignum censui, vt cùm ip-  
orum scripta legerimus, ab eorum vita, & abusu, separata:  
cum natura verò hominis coniuncta: ac si ipsa natura nobis-  
cum loqueretur, suamque vim (intra limites rationis expri-  
meret) attendamus. Et insuper, vt quæ ipsi (præter virtutis fa-  
nè naturam) sibi in vnenum conuerterunt: eadem nos in  
gloriam & honorem omnipotentis Dei (ad quem virtutes  
suæ natura tendunt) pondere corporis animos leuantes,  
reseramus. Rationi quippe consentaneū est: vt eorum qui  
iusto bello superati sunt, spolia, non ad hostium, sed ad pro-  
prios, & veros virtutis usus viatores accommodent. Quæ ex-  
re maxima quādam initia illistrum virtutum ad vitam in-  
stituendam capiemus, & verè ac Christianæ religionis ma-  
iestas illistrabitur: dum ea, quæ rationi apud omnes natio-  
nes consentanea sunt: & in quibus omnes mundi sapientes  
ratione & lumine naturæ ducti conuenerunt, per Christian-  
am & diuinam religionem omnino perficiantur: illustren-  
tur, & augeantur. Atque hæc circa sensum & significatum  
huius

huius primi principii ac dignitatis positi: & item circa predicatum eiudem dicta sint. Quare tantum restat, subiectū sive id, de quo prædicatum dicitur, discutere, vt integra manear expeditio.

Atque ut clarius procedatur, contra dictam assertionem illud argumentum obiicitur, quod contra primam etiā sententiam adduximus, de sceleribus nempe & peccatis, quę cōmuniter in ciuitate grassantur: de actibus insuper hominū desperantium, qui humani esse videntur, cūm deliberatione hant: non tamen excentur propter honestum, bonūq; rationis: iuxta ea, quę diximus. Assertio igitur hęc Aristotelis non in vniuersum verum continet.

*Quae operationes censentur humanas.*

Quod hoc argumento in dubium vertitur, est, vtrū omnes operationes, quę ab homine egrediūt (de liberatione & consilio præcedente) humanę sint: an sit aliquis hac in re delectus habendus? Pro quo expediendo (vt suprà etiam insinuauimus) supponendum est: de actibus puerorum, qui ceteratē discernendi nondum attigerunt, nullam hic mentionem fieri: siquidē ab homine libero vtente arbitrio nō proficiuntur: neq; proinde de actibus subitis: quibus aliquādo homines inconsidere rapiuntur. Cōtrouersia igitur est de iis actionibus, ad quas exercendas homines ratione & deliberatione muniuntur, an omnes tales humanę dicātur? Pro qua difficultate expedienda animaduertere oportet, actionem humanam dupliciter posse definiri: primo modo, vt ea humana dicatur, quę ab homine ratiocinatione, & deliberatione ad sic agendum vtente, egreditur, quę merito humana actio videtur appellari: siquidem homo ratione & arbitrii libertate à ceteris animantibus potissimum differre cōstat. Secundum quā rationē tā operatio studiosa, q̄ prava humana dicitur dum modo non sit subita, sed quę per rationis subductionem cōsumetur. Secundo modo strictius definitur, & mea sententia commodius ac proprius, vt ea operatio humana censeatur, quę ab homine secundum rationem ipsam, quę semper ad optimum intuitat: & rectam insuper rationem proficiuntur: quo pacto tantum operationes bona & studioſe, quę legitimū rationis examen subiere, humanę iudicātur: & quod hęc sit operationis humanę vera & propria

propria aestimatio, atq; menti Aristotelis conformis, primò sic ostenditur. Præfatæ operationes ita à ratione egrediūt quod nullis ea est affectibus perturbata, nec sensuum tenebris circumfusa: neq; appetitus sensitivus, ad earum efficiētiā principii deliberantis villam rationem habet: vt in operationibus prauis, quas complectebatur superior definitio: sed tantum vicem gerit executoris, ac pedissequi famuli, de liberata per rationem exequentis. Meritò igitur huiusmodi operationes humanę solum censendae sunt: siquidem ab eo principio solum, quod homini proprium est, procedunt. Se cundo idem suadetur ex mente Aristotelis nono libro huius operis, vbi hominem iuxta subiectam materiam, id esse censeret: quod eius vita & actiones. Ex quo loco hāc rationē colligo: vniuscuiusq; esse penes vitam & operationes quas exercet, attenditur in moralibus: & merito sanè: quādoquidem per operationes sensibus subiectas, principium quod primo vitę arbitrium teneat, attēdimus. Vnde si homo sensuum voluptatibus indulget, quia huius vitę principiū appetitum sensituum esse cernimus: brutum aliquod animal habetur. huius autem, aut illius generis animalium secundū quodiiis, aut illis voluptatib⁹ magis gaudeat. Si verò ita corpus demulceat, vt cibi & potus se eximium amatorem exhibuerit, quia vegetādi vim dominium vitę habere videmus: quod plantis accommodatè conuenit: arbor quādam seu planta meritò aestimatur: vt similiter si otium vehementer amerit, opereq; omnino vacet, inanimis cuiusdam rationem subire videtur: quod vitę principio penitus carerē cernatur. Quibus exactè consideratis hoc solum restat, vt homo aliquis tunc iure censeatur, quando rationis operationibus liberè vacat: imo tunc solum: siquidem ipsa ratio quę humanę vitę proprium principium est: hoc genere vitę solū dominatur, & prima gubernacula tenet. Erit igitur solum operatio humana, quando secundum rectę rationis examen ab homine producta fuerit. Ex quibus satis apertè constat: quā præclarè Christus redēptor noster Marci vltimo euāgeliū prædicandū A postolis cōmittens omni creaturę in vulgandum præceperit: hominem sanè, omnem creaturam appellando: quia iuxta ea, quę diximus, homo potestate quamlibet

*Operatio  
nibus vi  
te homo  
estiman  
dus.*

bet creaturam ipso viuendi genere referre potest: à quo eius esse in moralibus pendet. Secundum etiam doctrinam possum non inepte ad mores componendos hominum, intelligi potest illa transmigratio animorum in diuersa corpora ex mente antiquorū, & p̄cipue pythagoræ. Non q̄ ab humano corpore in aliud animalis bruti re ipsa, & suppositi dissolutione migrant: sed more tantum, atq; hominū cōsuetudine: qui pro cuiusq; libidine & voluptate, sponte sua in hunc, aut illū brutorum animalū, aut plantarū morem, p̄ labi cōsueverunt. Quē sensum suis fabulis & fictionibus sequentes poetæ perpetuis carminibus celebrarunt. Nec in congruū est: hūc etiā sensum ipsum pythagorā p̄tendisse, & si sub tegumento fabulæ ad mores hominū emēdādos, p̄scripsit à carnib⁹ esse abstinentū: ne aliquādo inquit ipse: cōtingat filiū patrē ipsum deuorare: qua re maximū stupore in esu carnīli homines perciperent: atq; prōptius inde ab esu earū abstinerent. Sed si re vera transmigratio hęc ex mente Pythagorę intelligenda sit, an solū moraliter, forsan in sequentibus tangetur.

Præterea tertio eadē humanę operationis acceptio ex ipsa interpretatione siue nominis ethimologia, quę proprię naturę & vitę continua exhortatrix existit suadetur. Nā nomen hoc Latinum homo ἄνθρωπος, quod est conuentio siue societas dicitur. Secundum quā interpretationē homo animal ciuile appellatur: hoc est, qui bene'beateq; viuit, quoad se, & ad familiā, atq; ad ipsam ciuitatē. Quare quādō sic nō se geret, absq; dubio nominis appellationē amittet. Itē Græcē ἄνθρωπος secundū Platonē in Cratilo ab ἀταξίᾳ, id est, contéplans dicitur: quasi ἄνθρωπος ἄνθρωπος, id est, contéplas, quę vidit: alia(inquit)animalia, quę vident, nō cōsiderant, neq; animaduertūt, neq; contéplantur. nō em̄ expēdūt, quę vidēt: homo aut & videt simul, & contéplatur, animaduertitq;, quod videt. Hęc Plato. Vbi intelligis in sui nomē clatura illā orationē animal rationale, hominē includere. Quantidū igitur secundū rationē nō vixerit, nec nominis merebitur appellationē. Alii idē nomē ab ἄνθρωπῳ dicūt, quod est sursuī vergens. Secundum quam interpretationem celebratur illud Ouidii: Oshomini sublimē dedit, cēlūq; videre iussit.

Hominis  
appella-  
tio proprie-  
vite ad-  
monitrix

Iasit. &c. Per quod speculationē rerū sublimiū homini cōmissam insinuare videtur, atq; in idē cū superiori interpretatione redit. Confirmatur iā postrem hęc sententia ex mēte Aristotelis p̄senti loco. Nam quęro, quę est ratio, quare partes subiecti enumerando artē, doctrinā, actus, & electio-nes, quę bonū quoddam appetere dixit, id nō probauit, sed tanquā omnibus manifestū assumpsit. sanè non aliā rationē poteris reddere: nisi q̄ eo ipso, q̄ p̄dicta tale bonū non apeteret, noīs appellationē neutiquā retineret, nec artes, nec doctrinæ vlo pacto p̄dicti habitus diceretur: vt neq; homo mortuus absolutē dicitur homo, sed cū addito: neq; fortunę prosperitas si exuperet, impedimentūq; afferat vitę ex virtutibus agēdæ, nomē retinet: nec prosperitas est appellāda: ex mēte Aristotelis. 7.lib.huius operis. ca.13. Ex quibus colligi tur res omnes in vniuersum interim q̄ à propriis functionibus, ad quas à natura ordinatae sunt, deflectūt: proprium nomē amittere: eoq; indignas esse. Quare nec ipse homo dū à tramite rationis declinauerit, propriū nomen iure retinabit: cum aut̄ secundū rationē vixerit, propriā rationē hominis, atq; Dei imaginē in quantū homo est, iuxta superius dicta, operibus exprimet. Meritò ergo operatio ea humana dicitur, quę ab homine propriā dignitatē & nomē retinente procedit: imdō in cā rem nomē in ditū illi est: vt eius appellatione assidue monitus, secundū propriā dignitatē operetur. Atq; iuxta diuini spiritus sententiā per Ezechielē cap.1. corā facie sua semper curet ambulare, quod est in agēdo nō esse sibi absentē, sed semper se ante scipium ponere, quod nō est aliud, q̄ omnibus actionibus se tanquā aliū attēdere: vt semper animaduertat, maturoq; cōsilio perpēdat, & excutiat: quacūq; cogitat, loquitur, & operatur: ac nullo deniq; tēpōris momēto proprię vitę custodiā negligat. Quo iacto fundamēto manifesta est iā argumēti solutio: quia operationes prauę & vitiosorum hominum, atque desperantium iuxta Aristotelis sententiā, subiectamq; materiā humanae censendae nullo pacto sunt. Nam licet ab homine operante, vt à supposito egrediantur: non tamen secundū rationē agente, quod requiritur vt supra probatum-est. Quare Aristotelis conclusio firma manet, & si operationes prauę bonum illud

illud honestum quod diximus: non appetant, quia neq; ea-  
rum hoc loco meminit philosophus: cùm rationis examen  
penitus transgrediantur: & merito quidem: nā sanis & pru-  
dentibus hominibus operationibus studiosis, & non prauis  
cæteros ad rectam viuendi normam traducere constitutum  
est, quod hoc opere Aristoteles intendit.

*Actione  
est finis  
hominis/  
sequendus*

Vt igitur ad interpretationem nostram redeamus, ex su-  
periori disputatione hæc cōclusio ex mente Aristotelis col-  
ligitur: aliquis finis est homini in hac vita destinatus à natu-  
ra, ad quem primò & immedietè omnes suas referat actiōes.  
Secunda conclusio iam notanda est: quod homo non in o-  
cio, sed opere & labore p̄dictū finem assequi potest. Quæ  
ab Aristotele formaliter nō ponit, necessariò tamen p̄r-  
intelligitur, vt sequens literæ contextus p̄cedēti cohereat  
& annexatur. Est insuper & omni cōsideratiōe digna, quia  
potissimum principium ad vitam rectè instituendam profe-  
cto est. Quam primò Aristoteles insinuavit, cum hominem in  
arte, doctrina, actu, & electione suum appetere finem con-  
stituit, quasi apertè docens: quiete & ocio ad eum conseque-  
dum minime aditum patere. Sed ratione iam primò sic ostē-  
ditur. Nam si naturam ipsam, quæ non aliud est, quam rerū  
totius vniuersi naturalis quidam ordo & dispositio: vt p̄r-  
senti disputationi deseruit, contemplēmur: p̄dictam asser-  
tionē vndiq; oculis nostris subiectam videbimus. Quocun-  
que etenim nos vertamus, rem omnem natura constantem,  
perpetuum odium cum ocio & quiete gerere, vel inuiti de-  
prehendemus: omnis quippe talis, continua operatione suā  
perfectionem assequi contendit, vt cernere primò licet: in  
ipsis elementis, atq; cœli orbibus perpetuò se à loco in locū  
girantibus, nec vñquam quiescentibus, id nimirum propria  
requirente natura: vt hac ratione tandem suis perfectioni-  
bus potiantur. In angelis etiam orbium motoribus, hoc ma-  
nifestè patet, qui perpetuo torno cœlos torquendo, otium  
fugiunt: inferiora hæc conseruant, & tuentur: vt ea etiam ra-  
tione proprium finem aptissimè cōsequātur. Neq; ipse po-  
strem summus opifex rerū, cum æterna atq; summa quie-  
te semper potiatur: ab opere & actione, cuncta creando, cō-  
seruando, prouidendo, atq; specialiter in proprios fines di-  
rigendo

rigendo, se eximere voluit: neque igitur homo, quoniam à  
seruitute naturalium rerum liberatus sit: totiusq; corporeæ  
molis per rationem & arbitrii libertarem dominus constitu-  
tus: ab exercitio, & propriis actionibus, quibus destinatum  
sibi à natura finem consequatur, exemptus erit, tātum ocio  
indulgendo creatus. Quod p̄clarè beatus Job indicavit,  
cùm aliquando dixit. Homo natus ad laborem, sicut avis ad  
volandum. Quasi diceret: sicut avis proprio volatu, & labo-  
re suum finem attingit: ita homo non ocio, sed continuo  
opere, & malorū tolerantia ad suū tādem finem deducitur.

Item ex propria ipsius hominis natura, idem sic suadetur.  
Si aliquid ab operatione & actione pro p̄senti vita homi  
nem liberaret, maximè cōtemplatio, seu speculatio, cui in-  
tētus, forsan aliquis existimare posset suam posse assequi fe-  
licitatem. Sed hoc profectō minus benè asseritur: vt ex se-  
quentibus facile parebit. Primū, quia hac ratione contem-  
pliūs intellectus suam solūm exerceret functionē, & pra-  
ticus siue actiuus in otio perpetuò maneret: ac proinde fru-  
stra homini à natura effet datus. Deinde quia intellectus ille  
cognitiūs nullatenus suam perfectionem, & veritatis com-  
prehensionem, atq; dulcedinem expedite venari potest: nisi  
praticus intellectus illustratione quadam virtutum sit prius  
quoquā pacto perfectus, & à perturbationū fluctibus libe-  
ratus. Interim enim, q; hominis animus continua perturba-  
tionum incursibus infestatur, veritatem ipsam, ac veras re-  
rum cōtemplationes non nisi per caliginem, ac densissimas  
tenebras cernere, aut consequi valet. Qua ratione Aristote-  
les ductus, per nouem primos huius operis libros devita dif-  
putauit actiua: qua intellectus praticus ornatur, & perfici-  
tur: & tandem in decimo de contemplatiua vita, quæ eam,  
quam actiua dicimus: p̄supponit. Præterea speculatio  
non est propria hominis in quantum homo est: non est igi-  
tur medium à natura destinatum, quo solum homo fretus,  
suam naturalem possit attingere perfectionem: ex propriis  
siquidem operibus cuiusvis generis natura absoluitur, &  
perficitur. Assumptum tamen sic deducitur: homo ea ratio-  
ne, qua homo est ex corpore constat & anima: tunc igitur  
in quantū homo est operabitur, quādovtrīq; parti actiones

*Specula-  
tionē est  
ppria ho-  
minis ope-  
ratio.*

cōgruentes, legi insuper & rationi cōmensuratas, quales cōmuniter veros ciues ecclesiæ Dei, vitamq; ciuilē agētes, de-promere videmus, exercebit. Idē præterea docet Aristoteles primo politicorū lib. vbi cōstanter affirmat: hominē extra societatē hominū agentē nō verè hominē esse, sed Deū, aut bestiā quampliā. Atq; iure id quidē: nā si hic, mentē tantū colat, speculationibusq;, ac contēplationibus semper indul geat, & ea deniq; ratione vitā traducat ex operationibus sa piētiæ, ac si in corpore fermē non esset, cūm tantū id ipsi tribuat, pro quo vegetandi vis solicitat, Deus sanè munere & officio est: hoc est angelus, siue intelligentia separata: cuius inter res creatas proprium est intellectū semper exercere. Si verò gratia corporis indulgēdi tātū, more ferarū vitā agat, societatē declinās, ad quā tātopērē eius natura prop̄sa exif tit, bestia quedā nimirū censenda erit: in eius siquidē vitā est delapsus. Homini igitur in quantū homo est, eas operatio nes cōgruit exercere, quæ vtq; parti ex quibus cōstat, sanè cōsentīt. Idē assūptū etiā probatur: ex mēte Plaōtis triplex esse intellectui, sicuti cæteris rebus tributētis: causale scilicet formale, & participatū. Causale inquit habet in Deo, quia causa est omniū intellectuū, sicut aliarū etiā resum: formale verò in angelis, qui ab omni materia & corpore separati sim plices sunt intellectus: participatū postremò in homine: nō q; in eo verè & realiter intellectus non sit, sed quia impurus, & corpori immistus adest. Atq; exēplo rē explicat: calor ait causale esse habet in cōclo, qđ eū in hæc inferiora influit: in igne deinde reperitur formaliter, vt in corpore, ad huiusmodi qualitatē ex propria natura apto: in ferro tandem ignito secundū esse participatū inuenitur. Habet igitur calor hoc triplex esse, quod diximus: atq; similiter de cæteris rebus intelligit. Specialiter tamē de intellectu afferit. Primo modo ha bere esse independēs, sicut cæterę alię res: aliis autē modis dependēs. Secundū quā rationē intelligēdus venit: quādo affir mat in Deo intellectū, aut intelligere nō esse: scilicet depen dēter. Quē etiam modū loquédi plures ex posteris philoso phis usurparūt. Hoc ergo iacto fundamēto ad nostrū insti tutū talis ratio colligitur: speculatio in homine reperitur p intellectū, qui in eo habet esse participatū & materiæ immis tum,

*Triplex  
rerū esse  
secundum  
Platonē.*

tum, in angelo aut̄ formaliter: aptē igitur speculatio vt pro pria operatio, in angelo reperitur, vbi sua perfectiōe natura li debita, inter res creatas omnino gaudet. Nō est igitur pro pria hoīs operatio in quantū est homo. Omnis siquidē ope ratio modum essēdi principii, à quo immediatē emanat, fe quitur. Restat igitur, vt quādo homo speculationē & contēplationē exerceat, vita ipsa, quantū corporis nodus permit tit, ad vitā sublimiorē, & angelī, quodāmodo ascēdat. Pro batur p̄terea idē assūptū hac itē ratione. Speculatio nō cōuenit homini nisi media ratiocinatione, quę vt propriū ipsi accōmodata est: speculatio ergo nō est propria hominis ope ratio ea ratione, qua homo est. Nā sibi primō & immediatē cōueniret. Antecedēs tñ est manifestū, cū vel ea ratione, omnibus cōpertū sit, hominē nullo pacto scire, nec veritatē vllā assequi posse, nisi per ratiocinationē & discursum, veluti per antecelsiones quasdā: quæ recōdita & abstrusa erāt, colligen do: angelus verò omni procul discursu, quadā simplici intellectus appulsione, rem omnino penetrat: ac vnico intuitu, quicquid in ea est, simul cognoscit. Quod sanè nō aliūde ei cōuenit, nisi q; speculatio ita propria operatio angelī est, vt in eo tantū inter res creatas suā adipiscatur perfectionē: quę intellectū à corpore & materia separatū, semper insequi ha bet. Vnde meritō homo ille, qui huiusmodi intellectus ope rationibus assiduē vacat, ita vt ex ipsis vitā omnē traducat, nō simpliciter homo ab aristotele cēserur: sed homo diuin⁹, aut Deus quidā, idest angelus: cū sua vita eius imitator exis tat. Sequitur insuper, cū cōtéplatio, seu veritatis speculatio quibus vita hæc contēplatiua absoluitur: nō humanæ, sed diuinæ operationes sint: nō bonū humanū cēseri debere id qđ sequūtur: sed sublimius potius ac diuinū: vt p̄fatae rationes ostēdere vidētur. Quod maximē obseruādū est: vt plura loca, aliás obscura in Ethicis, & Politicis planē intelligātur: in quibus aliquādō bonū humanū, aliquando diuinū, hominē sequi dicitur. Sed vrgebit iam aliquis cōtra ea, quę diximus. Nā si homini ea ratione, qua homo est, nō cōuenit speculatio, ac rerū cōtéplatio: in quē igitur finē, atq; vsum talis ope ratio ipsi cōcessa est, atq; ad cā exēcendā, speculatiuo intellectu munitus? Ex duobus hæc difficultas facilē expeditur:

*Hominis dignitas.*

primūm ēst q̄ intellectus speculatiuus, siue vis illa contemplādi, ac veritatē indagandi animæ hominis in sui cōditione insita est, vt integrē homo ea ratiōe cōstaret: & vt totius naturæ contéplator, & veritatis indagator existeret: à summo etenim cōditore in hæc in feriora præposituram accepit, vt quis hūc honorē cōtulerit sciēs, in ipsius gloriā & honorem candē aptē gerere curaret, sibiq; hac etiā ratione sufficienter prospiceret, sibi cōuenientia à nociuis discernēdo. Qn̄d autē ex Aristotelis mēte asseritur, est: q̄ si hæc dūo munera cōtéplandi ac veritatē speculādi, & rationē gratia actiōis subducendi, sibi inuicem conferantur, atq; de ordine quo homini conueniant, certent: prius suapte natura ratiocinari: q̄ speculari aut contéplari homini cōuenit: quia illud, vt proprium & adæquatum ipsi asseritur: istud autem, vt mutuatū quodammodo: quoniam adæquate & cum omni sua perfectione coniunctū, altiori naturæ, angelicæ nempè accōmodatur. Vnde cū in moralibus ex modo viuendi vt supra constitutum est: esse & nomen, quod cuiq; conueniat discernatur: merito Aristoteles hominem secundū id, quod sibi proprium est, operantem, & hominem appellat: & eius vitam humanam: sicut finem, in quem sic tendit, humanum bonū cēset. Cū verò ad altioris gradus vitam aspirat, illius naturæ ipsum nomine donat: & angelum appellat, eiusq; vitam diuinam, & diuinum etiam finem: ad quem ea ratione contendit. Secundo dico, q̄ homini in eum vsum speculatio à natura tributa est, (quantum ad præsens spectat institutum) vt interim q̄ in hoc mortali corpore agit, veritatis cognitione munitus, id opere præstet, quod in hac vita inchoatione quadam felicitatis gustum afferre valet: vt ea diuinæ contéplationis dulcedine homines dispositi: ad illā expediti properent: quā beneficio Christi Iesu in futuro sēculo cōsequi speramus, quæ in visione & fruitione omnino perfecta ipius Dei consistit. Manet igitur ex prædictis rationibus nostra cōclusio firma, quod homo actione, & operatione proprium finē assequi debet, nec ullo pacto per contéplationem ab actione eximitur: siquidem ea non est propria hominis operatio in quantum homo est: vt vel ipsa natura edicti, confundantur importunissimi homines, ac hæretici nostri

nostrī temporis, qui negant actiones & opera ad iustificationem & salutem esse necessaria: in vna contéplatione per fidem totam vim nostræ iustificationis ac salutis collocantes. Sic etenim asserentes, & integro animo, proprio munere intellectum actiuum priuantes, hominem orbant, & in ipsam naturam iniurios se exhibent: cuius Christus redemptor noster, non destructor, sed reparator, illuminator, & reformato aduenit. Quare conclusionem nostram Matthi. 12. cap. apertissimè docuit, cū de omni verbo ocioso aliquando nos rationem reddituros admonuit. Vbi non aliud, quam temporis semper habere rationem, omnesq; illius occasiones diligenter captandas esse commendatur: vt earum singulis proprias actiones reddentes, operationibus semper occupati simus, atque tempus ipsum (quod omniū rerum maximè nostrā subest potestati) nostrum faciamus: cuius exactissima ratio in die Domini exigenda indicitur. Tempus Quoniam autem amissionis temporis caula, verbum ociosum existit: quod tunc contingit: quando de nulla re fit, aut sine fine, vel eo vano: vt temporis occupationem nobis cōtestari. mendaret, verbi ociosi mentionem intulit: eo siquidem ad praua disponimus, & officia deinde eo tempore debita omnino negligimus. Quare tempus inane abiit, quod ex Dei omnipotentis benignitate ad vitam lucrandam peculiari ratione inter alia, nostræ commissum est libertati. Nostrum igitur finem, præsentisque vitæ felicitatem continuo operationum exercitio omni studio petere debemus: pro quibus vt recte fiant, & absque dæmonis item interpolatione: omni humilitate Deus optimus maximus semper nobis precondus est: vt sua præsentia, & auxilio, nostram imbecillitatem & ignorantiam illuminando, virésque reficiendo, semper adesse dignetur, vt gratum aliquod opus, & macula omni purgatum, eius maiestati aliquando exhibere valeamus.

Tertia conclusio in ordine est, cum opera & operationes quibus ad finem destinatum iter agitur, functiones artium atque earum fines existant, in supreinæ attis opere finishumanus quærendus est. Prima pars huius conclusionis quam Aristoteles in litera supponit: vti ex priori constanter, sic suadetur: ex positis, omnis operatio quæ ad finē hu-

*Operatio  
nibus ar-  
tiū semp  
finis affe  
quendus.*

manum sequendum viam præparat, rationis examine discussa, atque diligenter probata esse debet: necessarium ergo est, eam ab aliqua virtute dirigi, quæ eius regula, & norma existat, quæ mensura & virtus, vel est intellectualis habitus, qui quidem non agit: potentiam tamen & facultatem operandi præbet, vt artes sunt ommes liberales, & mechanicae, & ceteræ facultates, arque scientiae actiæ, quæ artes ab Aristotele censentur, & inter virtutes intellectuales, in sexto buius operis libro numerantur. Aut est virtus aliqua moralis, aut omnes simul, quæ usum rei præbent, & in actione versantur, vnde & recte viuendi artes, infra à philosopho nuncupantur, vel tandem erit ipsa prudentia, quæ ante genitam moris virtutem sub imperfectione quadam est: & ea existente absoluta manet: quæ cum ceterarum virtutum dux, & gubernatrix existat, totius humanae vitæ ars iure dicitur. Quare cum non sint plura genera virtutum, quibus humanæ operationes dirigantur, atque haec omnes (vt ostensum est) artis rationem non fugiant: apertissimè constat: actiones omnes, & opera quibus ad finem humanū via sternitur, secundum artem aliquā esse: si ab ea iam parta non egrediantur. Deinde artes omnes ex diuino amore, & bene uolentia generi hominum datas esse, celebrant antiqui philosophi: & præcipue Plato in suo conuiuio, & item in Dialogo de regno, ubi artes, & omnia humanae vitæ adminicula opera, & beneficio numinis cōparata esse testatur. Ad bonum ergo aliquid hominem præparant: & virtutes quadam sunt, quarum operibus dum homines occupantur, & sibi necessaria parant, & ad virtutes morales seu quibusdam calcaribus instigantur. ad quas exercendas natura ipsa dirigente in lucem editi conspiciantur. Idem præterea nomen ipsum indicat: nam ars ἀρτη, quod est virtus, dicitur. Unde & virtutum magistræ artes etiam solent appellari: artium igitur operationibus, quibus via virtutis paratur: ad felicitatem humanā properamus. Postremo cuiusvis vilissimæ rei & abiectæ, ars à natura destinata est: qua eam homo assequi possit, apteque in ea se exercere: felicitatis autem quæ ad beatitudinem beateq; viuendum valet: qua etiam totius vita moralis momentum vertitur: nulla ars censembitur? indignum sane libero

bero homine est hoc affirmare, atque parum considerat loquentis. Felicitatis igitur humanae via, operationibus artium seu alicuius eximiæ querenda est. Ad posteriorem ergo iam partem dictæ conclusionis probandam textus ingreditur, dicens.

**Finium autem differentia quedam esse videatur &c.**

Vbi ante omnia est aduertendum: quod hoc loco Aristoteles expositione vtitur: exponit namq; Thesim illam quam in principio capituli protulit:

**Omnis ars omnisq; doctrina. &c.**

Explicando: quot & quales sint artium fines, & opera. Sed occurret iam aliquis. quare igitur artium tantum hic rationem explicat, aliarum autem partium, quas præfata propositione amplectitur, non meminit: ad quod in promptu est responsio, omnes quidem partes subiecti dictæ propositionis hic Aristotelem exponere: nam quod de finibus artium docet, in vniuersum verum est: tam in mechanicis, & liberalibus, quæ etiam in morib; artibus (quas virtutes appellamus.) exempla tamē de his produxit, quæ usu atque corporis functione absoluuntur, quod nobis manifestiores, & sensui magis expositæ sint: utpote quæ humani pectoris algore adeo nostra negligentia in terrena delapsi, in vita frequentiores, quam morum artes existant. Quod ex mente autoris esse inde colligitur, quoniam dum exponit: eorum omnium quæ proposuerat, mentionem facit: quando inquit.

**Cum autem multæ actiones & scientiae & artes sint &c.**

Vbi vides ordine inuerso omnia quæ principiò posuerat enumerata, quo supposito, duobus enuntiatis iactis, suū Aristoteles probat intentū. Primū est, iuriū operationes in duos ordines distribui, & quasdam esse quæ sibi ipsi fines existat: vt in citharizandi arte, saltandi, canendi, & similibus. In his enim præter operationes ipsas nulla expectantur opera. Alias vero esse quæ sibi non sunt fines, sed via tantum ad primum appetitum finem assequendum: vt earum artium ope-

rationes quibus preter ipsas opera quedam queruntur: ut in extremitatibus etiam, atque nauium artibus. Preter operationes enim hec nauem, illa domum querit: ut frenae factiua ars frumentorum, & futoria calceum. Itaque in qualibet harum artium duos fines semper reperies: operationem seilicet & opus, ea tamen ratione coeuntes: ut opus operatione quae ad ipsum ordinatur, prestatibilis semper inueniatur. Nam cum finem tanquam bonum semper expetamus, is nimur qui prius expetitur, prestantior est eo qui ad hunc ordinatur, & dirigitur: quod operationi respectu operis manifeste accidit: quare ipsa semper prestatibilis existit. Ut in naturalibus videmus: id quod genitum est, semper ipsa generatione prestare. Vbi animaduertendum est: hos duos fines ita ad agens a quo egrediuntur, comparari, ut opus prius sit in intentione operantis, tanquam primus mouens: secundarius autem ipsa operatio: sine qua opus haberi non potest: si autem ad usum, atque rei exercitium referantur, prius ipsa operatio ut via sternitur: quam ultimus tanquam vi terminus opus ipsum sequitur.

Cum vero plures sint actus & artes atque scientiae. &c.

Hoc loco secundum iam ponit enuntiatum, quod huiusmodi est. Cum diversae sint hominum actiones & artes, quibus civilis hec vita iuuatur, quarum quilibet proprio munere & officio gaudeat: sit ut earum varii ac diversi fines existant: ea tamen lege dispositi, quod quando aliquae arres ad aliquam superiorum potentiam seu facultatem, ut ipsius administratrices reducuntur, earum etiam fines prestantioris fini tanquam digniori & primo expedito famulantur & seruiunt. Priorem huius enunciati partem diversarum artium diversos fines in medium producendo, manifestat: ut sanitatem nauem, diuitias insuper, & victoriam, & cetera id genus, que diversarum artium existunt fines. Posteriorem deinde partem ostensiorem etiam suadet: nam ut frenorum ars ceteraque instrumentorum equestrium effectrices, sub equestre subiiciuntur: ita & earum fines in prestantioris huius finis sufficientiam & absolutionem ordinantur. Quemadmodum &

*Ordo finium.*

ipsarum

ipsarum artifices ad equitem, qui prescribere illis agenda habet, atque omnino imperare, & petere, ad quemlibet opus propriam artis confidere debeant, & rursus ars equestris cum suis pedissequis, & omnis insuper actio bellica, ut actus sagittandi, iaculandi, arma gestandi peritia, ad militarem facultatem, quae omnibus praest: tanquam ad principem & architectonicam referuntur. & simili modo earum fines ad victoriam: quemadmodum etiam equites, sagittarii, lucearii, & ceteri, qui aliquo rei bellicae munere funguntur, ad Ducem & Imperatorem, qui omnibus praepositus est: nam ut victoria tanquam potissimum & primo expedito fini, ceteri inferiores fines parati & exerceri debent: ita equites & cuiusvis ordinis milites duci parere, primasque in omnibus ferre debent: ut ipsis etiam cum omnibus artibus bellicis vni victoria apte accommodentur: quae militaris facultatis postremus finis existit. Sed quod predictus ordo inferiorum finium ad superiorum semper obseruetur, ea ratione philosophus probat, quod inferiores fines ob superiorum semper appetamus atque sectemur: ut in eadem arte militari, facile cernere licet. Quippe eques nunquam frenum ab artifice peteret, quo apte coercere & fluctere equum posset, ceteraque ad id munus accommodata instrumenta; nisi eius appetitus ab optima equitatione primus esset excitatus. Neque opulentus apparatus equorum, magna insuper copia nauium, Ducem sollicitaret, nisi appetitu victoriae prius etiam fuisse percitus, in cuius virtute illa mouent. Fines etenim humiliores persequimur & sectamur ut perfectiore & potissimum aliquando adipiscamur, que primum semper intendimus: licet ultimo exequamur, quia is est actionis siue executionis ordo, ut ab inferiore fine incipiens usque ad postremum & potissimum progrediatur, in quo tandem quiescit. Quibus expositis facile ex Aristotele ad inductam conclusionem talis colligitur ratio, ynaquamque ars ut superior & prestantior existit, ita prestantiorem & absolutiorem inferioribus finem sortitur: ut nuper ostensum est. At nos hic prestantissimum atque absolutissimum finem, propter quem homo tali natura in lucem editus sit, querimus: ut prima Aristotelis propositio ostendit: in suprema igitur & prestantissima arte huiusmodi finis

D 5 quae-

## IN PRIMVM ETHIC. ARIST.

quērendus est, omne siquidem bonum, & operationem re-  
ctam ab aliqua arte semper petendam esse, & supremū bo-  
num, à suprema etiam arte: satis diffuse probatum est. Ma-  
net igitur firma nostræ conclusionis sententia, quam hoc lo-  
co Aristoteles principaliter intendit.

Neq; tamen interest quicquam. &c.

Solut hoc loco Aristoteles scrupulū, quē aliquis sibi obii-  
cere posset, ea quæ de ordine finium in primo enunciato af-  
seruit infirmando: nam si ita est quod dignitas & præstantia  
artium penes opera, & earum operationes attendenda est,  
& opus semper operatione præstat: apertè videtur sequi artē  
frenorum effectricem, cùm eius opus sit, ipsa arte mili-  
tari perfectiore esse: quæ ipsa operatione tantum conten-  
ta est. Huic ergo obiectioni Aristoteles respondendo ait: ad  
perfectionem finium discernendam, nihil referre eos ope-  
ra esse aut operationes, quando ad vnam & candem artem  
non spectant, sed ad diuersas, quæ inter se ordinem hábent:  
nam tūc finis præstantioris, siue opus sit, siue operatio, semi-  
per inferioris artis fine in perfectione vincit: vt contingit, in  
artibus in arguento præassumptis. Quando vero opera  
& operationes intra eiusdem artis limites continentur, mul-  
tum referre: vt prædictum enuntiatum assertit. Nam tunc  
semper operatione opus est perfectius: cùm ad ip-  
sum tanquam ad finem dirigatur, & ordinetur.

Secundum quam rationem in vniuersum  
dignitas, & ordo finium semper  
est discernendus.

\*

CAP.

30

## CAPVT SECUNDVM.



I igitur agēdarum retum finis  
aliquis est, quē propter ipsum,  
& propter quē alia volumus,  
neq; omnina ob aliud eligimus:  
(infinitus enim ita fieret pro-  
gressus vanusq; & inanis appetitus noster ef-  
fet) perspicuum est, eum summum bonum,  
atq; optimum futurum. Nōnne igitur mag-  
num ad vitam cognitio ipsius momentū af-  
fert? nam si quemadmodum sagittarij, scopū  
habeamus, magis bonum & honestum asse-  
qui possemus. Quod si ita est experiendum  
quidnam is sit, figura cōpræhendere: cuiusq;  
scientiæ, vel facultatis cēscatur. Videretur au-  
tem esse eius quæ maximè principalis, maxi-  
mcq; Architectonica est. Cuiusmodi ciuilis  
apparet: quippe quæ quasnam esse in ciuitati  
bus sciētias oporteat: tū quales quemq; disce-  
re, & quo usq; constituit. Videamusq; vel ma-  
ximè honorabiles facultates, qualis est mili-  
taris, familiaris, & oratoria, sub ea esse collo-  
catas. Cūm enim cæteris actiuis scientijs hæc  
vtatur, quid item agendum, à quibusq; absti-  
nendum præscribat, ac sanciat: eius finis alia-  
rum

rum omnium fines complectetur: efficieturque, ut is bonum ipsum humanum sit. Nam si etiam & vni homini & ciuitati bonū idem sit, bonum tamen ciuitatis & acquirere & conservare, maius quid ac diuinius videtur. Ac contentus quidem esse etiam vnuſquisq; potest, si vni soli: pulchrius tamen ac diuinius si genti ac ciuitatibus bonum efficiatur. Hęc igitur sunt, quae discendi hęc via quae ciuilis quædam est, appetit.

**D**ebus propositionibus tota huius capituli sententia p̄stringitur, prima est. Finis is quę omni actione hominē petere supra statuimus: summū bonū humanū atq; optimū est: cuius cognitio apprimè homini est necessaria. Secunda talis est. Ars illa suprema inter humanas, quā bonū hoc humanū nobis subministraturam diximus: ciuilis facultas siue potentia existit. Assertionis prima quod ad priorem eius partem sic ostenditur, bonū id quod omni actione hominem affectare diximus, eius ingenii est, vt ad ipsum omnia quae recte fiunt referantur, ipsum autem in nullum: est igitur sumnum & optimum bonum. quandoquidem ratio hęc posita, definitio est ultimi & optimi boni: ab omnibus philosophis vnanimiter recepta, & passim suis ē scriptis tradita. At quod pr̄fato humano bono pr̄dicta ratio conueniat, ex eo Aristoteles firmat: q̄ ex op̄p̄lito in infinitum esset abitio atq; progressus, ab uno in alium finem tota vita discurrendo, cum in nullo vñquam sisteretur. Quod omnino absurdum est: cum quia nulla esset hominis operatio, omnis siquidem inferior finis qui in actionem cadere contingit, in virtute primi & superioris finis mouere habet: quare si primus non detur qui appetitum primò excitet, neque mouebit inferior, vt neq; frenū equitem

tem aliquando solicauit, nisi ab eleganti equitatione ipse prius excitus & tactus fuerit, neque rursus ipsa equitatio, nisi prius victoria vel ipsius appetitio quoqua pacto militem inuitauerit, & pellexerit: quare nulla esset futura operatio. Tum quia desideriū, & appetitus humanus res omnino vana, & inanis esset: quod naturam ipsam carperet, & reprehēderet, quod appetitionē homini indiderit, carentem tamē debito & naturali fine, ad quem tenderet, & in quo adepto aliquando quiesceret. Est ergo bonum aliquod humanum ad quod cetera quae recte fiunt referantur, ipsum autem ad nullum in genere positum: quod prima prior pars propositionis intedit. Quo ad posteriorem verò quae ea parte textus habetur ubi dicit

Nōne igitur magnū ad vitā cognitio ipsi' &c.

Hoc pacto ab Aristotele suadetur. Pr̄dictum bonum humanum totius humanæ vitæ scopus & signum est: necessarium igitur est ipsum homini cognitum, & exploratum esse: nullus quippe artem sagittandi aptè parare poterit, neq; partam probè exercere, nisi propositum scopum, & album habeat, ad quod primò sagittā collimare int̄edat: quare proinde neq; homo vitæ rationem & artem probè disset, neque edoctus eam aptè deprimere poterit, nisi propositum signum & scopum habeat, ad quem suas actiones omne inquit vitam continuò referat. Pr̄terea idem sic patet. Ex ipsa ratione extremi boni planè sequitur totius vitæ inuersio, atq; omnium officiorum abolitiō, quod ex eo manifestum est: quod si in quavis alia re pr̄termissum aut ignoratū sit quippiam, tanti incommodi accidit, quanti res illa est, & aestimatur, in qua neglectum aut pr̄termissum est aliquid: quare si in humanæ vitæ institutione id quod eius principiū est, ignoratur, aperte sequitur tāti incōmodi subinde accidere, quanti totius vitæ institutio & formatio est, sequetur ergo vitæ omnis confusio, & ignoratio: vt in quem portum homines se recipiant, omnino scire non possint. Bonū ergo illud extrellum quod prima vitæ gubernacula teneat, necessariò homini cognitum & exploratum esse deberet. Postremò, hac item ratione idem sic constat, homo physicè consideratus si à primo

à primo & vniuersali principio, Deo optimo maximo à quo propriam essentiam & speciem habet excidat, & à proprio esse naturali ipsum excidere, atque in nihilum abire necesse est: si ergo in esse morum cōsideretur, & à primo & optimo bono, ad cuius norinam vitam suam instituit, per ignorationem excidat, & à quolibet fine, & priuato bono, ipsum excidere manifestum est: quare nullum officiū nulla rocta exercetur operatio, quod probandum assumpsimus. Etenim quemadmodum res omnes quantum ad esse & conseruari à Deo omnipotenti tāquam ab vniuersaliori principio pendent, ita & in genere morum, ad eorum directionem, & restitudinem, quantum ex parte hominis intra ipsius naturae limites expectare licet, ex cognitione huius optimi boni etiam ipse homo omnino dependet: est igitur huiusmodi boni homini necessaria cognitio, nisi in vita institutione perpetuis tenebris seipsum offundere velit: totamq; viuendi rationem ignorare, quod intendebat assertio posita.

Circa eam tamen dubitari quispiam poterit, quod pacto eam de fine humano in hac vita operationibus attingendo explicuerimus, cum philosophi textus de Deo ipso optimo maximo vltimo omniū fine procedere videatur. Quod ex parte ipsius optimi boni primò sic colligitur. Nam finis vltimus est ad quem cætera omnia referuntur ipsum autem ad neminem: vt supra protulimus. At Deus optimus maximus est, cui ratio hæc solum competere videtur: ipsum ergo & fine in vltimum hic Aristoteles indicat. Deinde ex parte etiam humani desiderii idem sic patet. Quoniam ex eo textus probare videtur, hoc bonum optimum esse dandum: vt eo adepto humanum desiderium aliquando quiescat, facietatemq; inueniat: at nulla alia in re infra Deū humanus appetitus quiescere aut expleri potest: procedit igitur sermo de Deo ipso omnium rerum fine atque principio. Quare cōstabit: hac ratione sententia illorum, qui in primo capite predicatum illud quoddam bonum vltimum simpliciter finem atque Deum ipsum indicare dicebant: imo hæc fuit præcipua ratio qua suam interpretationem fulciebant. In hac difficultate duo queruntur. Primum, de quo fine hoc loco Aristoteles loquatur. Deinde verò, supposito quod de fine humano

humano præsenti vita consequendo, fit disputatio: Cum rationes quæ in dubio adducuntur, Deum ipsum supremum atq; optimum finē, felicitatēq; hominū, planè videantur afferere. Quare de rāto bono ab Aristotele aliisq; eximiis philosophis p̄termissa fuit disputatio. Primū facile expeditur hac notatione præhabita, q̄ bonū hominis apud Aristotelem est duplex, quod etiam supra ex parte tetigimus: quod bonū di-dam est bonum quod dicitur humanum, & est id quod homini contingit, in quantū homo est, idest, in quantum in societate hominum, ac cuius iter iuxta rationis præscriptū vitā agit: secundum id quod superiori capite expositum est. Atq; in hoc viuendi genere bonum illud ad quod cætera referuntur, ipsum autem ad nullum: vltimū atq; optimū bonum humanum appellatur. Aliud est diuinum bonum in altiori viuendi genere, & cursu constitutum. & est id quod in vita cōtemplativa, opere tantum ipsius intellectus contingit, & qđ ex alcēsu, vniōne, & relatione ad Deū, eo pacto quo ipsi philosophi intelligere potuerunt, homini præsenti vita vel futura accidere potuit. atque in hoc genere vitæ id bonum ad quod omnes perfectiones, & quæ intellectus maxima sunt, referuntur, diuinum bonum, & omnium quæ in hac vita homini contingere possunt, optimum & supremum habitum est. Nam diuinitatem tribus in rebus antiqui philosophi cōstituerunt, vt ex Platone colligitur, in Deo, angelo, & rationali anima: differēter tamē, quippe in Deo, tanquam in primo fonte, & origine eam afferuerunt: in angelo verò, & anima rationali dependenter, & secundum quandam participationem: quare has tres res diuinas appellare consuevēre: Ea tamē ratione vt Deus ipse omniū rerū finis & principiū, diuinū bonū, primum & simpliciter appelletur, deinde angelus & anima rationalis, eo modo quo ratio diuinitatis cōmunicata est. Vnde planè colligitur quanta cum ratione sapientia ipsa, atq; eius operationes, bonum diuinū cēsatur: quandoquidē ipse hominis animus cui superiora oīa ornamento sunt: res diuina est: & vt talis ab Aristotele in decimo huius operis libro celebratur, sic uerius bonū, siue felicitas. Hoc iacto fundamento dico: quod de optimo bono primi ordinis disputatio hoc loco habetur, non autem de bono diuino

uino secundi ordinis, præcipue si accipiatur pro ipso Deo. quod hac ratione facile cōstat. Nam de eodem bono hinc fit mētio, de quo in primo capite disputatio præcessit: at ibi de fine vltimo ciuilis vitæ vt explicuimus, sermo habitus est: eundem igitur & nunc præsens litera sectatur. Quod vel ini xiū ipsius capitinis planè indicat inquiēs: Si igitur &c. vbi cōiū ctio illa si, iterationē planè dicit, illius quod præcesserat. Idē etiā processus literæ sequentis ostēdit. Siquidē prædictū bo num in facultate ciuili quērendum esse docet: hēc autem bo num illud humanum primi ordinis docet, ad ipsiusq; assolu tionem viam parat, de eo igitur tota hæc assumpta est dispu tatio. Sed iam id quod secundo loco propositum est vrgere videtur. Quare scilicet Deum omnium bonorum parentē, humanarum operationum finem vltimum, ac hominis felicitatem philosophi non constituerint, cum ad eum quērendum, rationes in argumēto adductæ omnino cogere videā tur. Pro cuius difficultatis expeditione animaduertēdū est: quod Deus vt finis vltimus omnium rerum ac proinde humanarum, ratione naturali ab Aristotele, & ceteris philoso phis, qui inter sapientes nuncupantur, cognitus fuit. Quod omīssis autoritatibus, ea ratione manifestum est: quod ita à natura omnibus rebus constitutum sit, vt in orbem se giran do, in idem principium tāquam in finem vltimum propriis operationibus redeant, à quo primò per generationem siue creationem esse proprium accipiendo, exierunt: vt ex regula illa quæ in primo capite posita est, aperte constat: à quibus scilicet initiis aliqua proficiuntur in eadem referantur est necesse. Nam eandem vim habet in moralibus, atque naturalibus: sed sic est: quod omnia à Deo optimo maximo tan quam ab vniuersali principio, primò effluxerunt: in ipsum ergo tanquam in finem conuertātur oportet. Quare eo bo no adepto, quod cuiusq; naturę accommodatum est, per id maximè vniuersali ac communi bono pro rata cuiusq; portione, vniuantur, & concilientur, maximè conuenit. Est igitur nō solum vt principium vniuersale omnium rerū Deus naturali ratione cognitus: sed tanquam finis etiam omnium vltimus in quem omnia quoad fieri potest, se cōuertere d beant quod fluminum & omnium aquarum in mare regres sus

sus à quo primò exierunt, vel cęcūtienti oculis aperte subiū cit. Similis eteren reciprocatio rerum in Deum est, illi aqua rum regressui: quem nobis protulit sapiens, cum aliquando dixit: omnia flumina egrediuntur amari, atque iterum in ip sum redeunt. Hac tamen ratione solū vt finis naturalis om nium Deus cognoscitur: vel ea ratione quod hanc cognitio nem homo virib⁹ propriæ naturæ suffultus venari potest: vt ipsis cōtigit philosophis. Alio modo cognoscitur a Christianis, & Theologis, vt creaturæ rationalis Deus beatificatiuus est, per propriæ essentiæ exhibitionem clara visione: at que vt sub vnitate essentiæ trinitatem retinet personarum: sub aliisq; rationibus sub quibus peculiari ratione Christianæ fidei assensum terminat. Secundum quam rationē Deus super omnia bene dictus cognitus, finis supernaturalis app ellatur: quia scientia tantum reuelata, de cæloq; lapsa, Christo Iesu redemptore nostro prædicante, & spiritu sancto apostolis & prophetis sugerente, tali ratione Deum maximum cognouimus, omnes qui Christianum nomen profitemur. Quibus diuina lux adē illuxit, vt sicut ex parte intellectus, sic etiam & volūtatis, explicitè, & omni procul he sitatiōe, nostris precationibus & actibus in Deum ipsum su pernaturali hac ratione cognitum, tēdere debeamus: ac mul tò excellentiūs quā philosophis ipsis, quibus eo modo quo cognoscebant se in Deum naturalem finem conuertere suf ficiebat. Atque hac ratione ducti, mundi sapientes, sapientiam ipsam seu Metaphysicam, & Astrologiam cum his quæ ipsi ancillantur: ut diuinæ facultates coluerūt. Nam illa qua ratione Deus optimus maximus vniuersale principium rerum omnium & finis existeret docebat: quoniam Deum ipsum pro obiecto sortiebatur. Ista verò ipsius Dei sedilis hoc est cæli, totiusq; eius ambitus rationem & ordinem expri mebat. Quarum rerum speculationi cùm voluntatem ap pulissent, vt ea contēplatione fruendo, omni gāudio & lætitia perfunderentur, se beatos ac felices nuncupabant: immisto siquidem ex duabus iis rebus contemplatione scilicet totius naturæ, ac voluptate subinde emanāte, huius vitæ felicitatem ac beatitudinem constituerunt: quam sapientibus tantum patere passim suis scriptis affirmarūt. Christus verò

redemptor noster quia omnium hominum illuminator, & magister aduenit: sicut verus existit amator: inuidiam & ignorantiam huius seculi sapientum arguens, in ea re huius virtutis beatitudinem & felicitatem constituit: quæ futuræ initium est: & ad quam omnibus volentibus facilis, & perius esset additus: in fide nepe illa viua Christi Iesu: quæ per dilectionem & amorem operatur: secundum illud Ioannis 14. Hæc est vita æterna ut cognoscant te Deum verum, & quem misit Iesum Christum. Loquitur autem, de cognitione per veram & viuam fidem spei, ac charitatis plenam: quam etiam æternam vitam appellat. Quia in homine ad finem usque perseverante, in æternum duratura est. Longè tamen differenter nunc & post huius vitæ exitum: nam videmus nunc per speculum & in ænigmate, ut inquit beatus Paulus: qua etia ratione fruimur: tūc autem facie ad faciem. Vbi ipsa diuinitate pleni, illis bonis quæ oculus non vidit, nec auris audiuit nec in cor hominis vñquā ascenderunt, Deo dâte pereniter fruemur.

His suppositis difficultatem motam sequentes rationes facile expediunt, prima est: ea de causa philosophi suæ vitæ finem, & felicitatem Deum non constituerunt, quia ipsum ut finem naturalē omniū rerū cognoverunt: ea ratione qua earundē vniuersale principiū existit. Quare & si in Deum ipsum omnium supremū & optimū finē, excellentius hominē quæ ceteras inferiores creaturas, propter naturæ sublimitatē quā sortitus est: conuerti debere intelligeret: nō tamē alia ratione ipsum attingendū existimarunt, quæ per conuersationē in bonum hoc inferius naturæ humanae accommodatū, quo vniuersali & supremo omniū bono, ut natura ipsa fert, cōiungeretur: perinde ac ceteras res per accommodatos sibi fines: eo modo quo Deus omnium conditor ipsis naturas proprias distribuens, constituisset, in eundē quoad natura propria permittebat, cōuerti cernebat. Atq; cū de ratione alia peculiari tendēdi in Deum specialiter nō fuissent edicti: in scopū suæ naturæ accommodatū, statim tendendū esse cōstanter asserebant. Quod sanè ipsis sufficeret, ad ampliores progressus in vita faciēdos, maioreq; illuminationem à Deo optimo maximo promerēdā: si ea, quā semel à natura instituti accepérat, probē, ut par erat, fuissent vni. Secunda ratio est: quā plures antiquorum,

quorum dubitarunt de immortalitate animorū: & qui inter eos elegatiores extiterūt, vt Socrates, Plato, Aristoteles, Cicerō, qui omnes opinati sunt: Animos hominū immortales esse: vt infra forsitan videbitur: ci tamē rei quia humana opinio tantū erat, cū formidine & suspitione contrarii semper adhescerūt: neq; firmā & stabilē huius rei p̄suasionē aliquādo haberūt. Vnde neq; status animorum prosequēti aeo eos plurimum solicitauit: atq; eò potissimum q̄ statū illū animorū post exitū à corporibus minimè in æternū duraturū sanxerūt. Quinimo anno illo Platonico elapsō, qui triginta sex millium annorum spatio conficiebatur: eorundē in corpora regressum docuerūt: & breuioribus etiā spatiis: interuallo scilicet septē milliū annorum cōtinuò mundū interire: ac rursus per generationē, siue creationē tenuari: afferuit etiam Plato. Quare præcipuum munus suæ vitæ præsenti seculo propriæ naturæ vites excolēdo: homini cōtingere cōsuerūt. Accedit p̄terea, & quod ad ré maximē facit: quodd animorū felicitatē post præsentē vitā in hoc potissimum collocarūt: vt libertatē à miliariis, & pressuris huius calamitosæ vitæ: cōsuetudinēq; suorū Deorū ac bonorū hominū, in celo, loco purissimo: assequerentur, vt autor est Socrates in Phædone. Quod etiam his tantū animis contingere dicit: qui iudicio Radamanthi, Æaci, & Minois, vt videre est apud Platonem in gorgia: & apud Ciceronē Tusculana prima: cādidi & puri ab omni cōtagiōe & affectu corporis appareret. Alios verò, qui cōtractis corporis sordibus nihil sanū habētes cōpareret in ima, & subterranea loca iudex trāsmittebat: vbi in perpetuū meritas subirēt pœnas, ut Tatalum, sisyphū, & ceteros: quos perpetuas luētes pœnas depingit Homerus. Alii postremo qui cicatricib⁹ & sordibus corporis distincti, corā iudice sisterēt, aliquid tñ sanī habētes, sanabiliaq; peccata cōmisisse ostendētes: ita iudicis arbitrio dabat pœnas, vt apud deos & hoīes (vt verbis Platōis vtat) utilitatē aliquā exēplo punitionis referrēt: ita tñ vt cruciatu & dolore tāde ab iniustitia liberarētur. Hec in sentētia Plato. quæ etiā in sōno Cipiois eleganter trāstulit Cicero. ex quib⁹ planē colligitur: eorū aīos postq; corpora exuisēt, p̄ cōmorationē in loco illo cœlesti ab omni iniuria & miseria libero, quib⁹ iste inferior est obnoxius,

*Quæ felicitas in celo seru dum philosophos.*

*Animæ  
vehiculū  
secundum  
Platonē.*

adiuncta suorū Deorū consuetudine: beari, ac felicitatē cōsequi: absq; hoc quod Deus optimus maximus aliqua peculiati ratione eorum beatitudinem augens, aut efficiēs, quam pacto ingrederetur. Cui statim agnascitur: vt dum in corpore agerent, eximia atq; præstātia vitæ munera, totūq; animi bonū, sūx naturæ: propriis itē viribus, atq; sapientiē: in sui exitiū impīe, & impudenter, adscriberēt: Deumq; ipsum omnium bonorum autorē, penitus obliuiscerentur. Atque hinc, signū illud ad quod hominīs natura ex sui conditione propensa est: optimū & summum bonū appellarunt. Quorū occasione eleganter doctores Theologi quæstionē illam agitarunt, vtrū viribus naturæ quis fretus, beatitudinem æternam consequi posuit: atq; cōtra horū hominū audacē im pudentiā definierūt: neq; viribus propriis eā sibi hominē parare neq; quantūuis neruos extēderit absq; auxilio & beneficio Christi Iesu vñquā consequi possē. Accedit insuper in confirmationem huius opinionis de felicitate futura secundum mentem antiquorum, quod per clarā Dei visionem (vt patet ex supra citatis) nūquam eam somniarunt: neque si in mentem hoc aliquando venisset, possibile iudicarent, vt eorum scripta facile ostendunt: & p̄cipū Platonis de cuius diuino fonte (vt inquit Cicero) ceteri biberunt. Ex quibus hæc ratio colligitur, hominis animus & terrestre corpus, propter vnius præstantiam & alterius ineptitudinē & cilitatem, ex sententia saltem Platonis, in vnu suppositum coire minimè potuerūt, nisi medio quodā puriori corpore, de natura celi aut stellæ illius, à qua animus deimigrasset, in quo ve luti in quodam tertio conciliarentur: atque in eo primò animus veheretur: ob quod etiam à Platone vehiculum appellatur: atque deinde ratione quadam corpori communicearetur terrestri. Quoniam corpus hoc animum informare Plato non concessit: sed tanquam nautam naui eidem assistere. Ex quo apertè colligitur: cūm in infinitum maior distantia sit, inter Deum super omnia benedictum, & hominis rationalem animam: quām inter ipsam & corpus: vñionem animæ cum Deo per clarā diuinę essentię visiōnem & notitiā impossibile omnino eos iudicasse. At quod ipsi impossibile existimarunt, vñgenitus Dei filius nō solū.

solum verbo & doctrina nos erudiens, planum fecit: sed facto etiam ipso: cūm diuinam ac ineffabilē vñionem, nostrā carnem in vnitatem suppositi assumens: mirabiliter effecit. Multò siquidem maiori interallo corpus nostrum mortale à diuino verbo distat, quām anima ipsa rationalis, quæ res spiritualis & diuina saltem secundum participationem vt su pra diximus, existit. In hac igitur vñione animæ rationalis cū Deo per claram eius visionem, & perfectam fruitionem, vera hominis beatitudo consistit. cuius philosophi nunquam meminere: neq; quoquam pacto possibile existimatunt. Vnde secundum hanc rationem qua Deus omnipotēs creaturæ rationalis beatificatius est, meritò supernaturalis finis (iuxta ea quæ ante diximus) cēsetur. Ac proinde etiam aper tè colligitur, eleganter diuū Thomam definisse: beatitudinem homini rem omnino supernaturalem esse. & ex parte cognitionis, quæ r̄uelatione tantum accepta est, & ex parte etiam ipsius animæ intra limites sūx naturæ: quæ, nisi lumine diuino, & supernaturali eleuerunt, tantum bonum nulla ratione attingere valet. Restat tamen probandum, idem Aristotelem de felicitate illa futura sensisse: quod Platonē docuisse protulimus. Atque hoc eius libri finem legenti, quem de mundo ad Alexandrum scripsit, apertè constabit. Vbi ex sententia generosi Platonis (vt Aristotelis verbis vtar) hæc proferit: quibus etiam ipse subscribit. Deus etenim ipse, sicut antiquorum sermo confirmat, principiu, & finem, atq; medium. etiam omnium rerum in suo tenens arbitrio: natu raliter vniuersa lustrans, quām rectissimè singula compler; atq; perducit ad finem: quem quidem perpetuò comitatur ipsa iustitia, vtrix nimirum, atq; vindex existens ea, eorum, qui à diuina lege deflecentur. Huius autem iustitiae statim ab incunabulis sit particeps, & alumnus oportet, qui futuræ felicitatis, & beatitudinis se sperat fore participem. Hæc ille. Vbi aportè vides diuinam prouidentiam, atque animorum immortalitatem ipsum fateri. Quæ ad difficultatis propositorum expeditionem longius volui discutere, ne cūm aliquis Aristotelem, & Platonem adeo ingenii neruos extendisse videbit: vt felicitatem vltimam futuram in cælo asserant: his, quib[us] inferius à corpore: nullam sordem, alicuius rei stu

dio & immoderato affectu in animam contraxisserunt. apparent etenim in anima, conspicuaq; iudici Radamantho se præbēt omnia scelera, & flagitia, quæ ex corporis affectibus inerant: perinde atque in hominis mortui corpore cicatrices, omniaq; plagarum vestigia, atque distorti, vel fracti membra deformitates, taliter ad tempus apparent: quæ, dum vivet, impressa fuerunt. Ne ergo aliquis hæc legendo existimat, beatitudinem, atq; æternam vitam diuinatus nobis reuelatam: eos intra limites naturæ agentes ratione aliqua attingere potuisse: hæc longius (vt dixi) aliquatulum sunt producta. Ex quibus planè colligitur, præsentem Aristotelis disputationem de bono humano in hac vita tantum esse. Quia hominem hinc moribus formandum suscepit, quantumque in eo naturæ vires valerent explicandum: vt, vel eo præstito, ad eam nimirum felicitatem futuram, quam ex philosophorum mente explicuimus, se virtutibus, & sapientiæ operationibus homines prepararent. Ex quibus iam perspicua manent earum rationum solutio, quæ in principio difficultatis adductæ fuere. Nam prima è labefactatur, quod Aristoteles, & alii philosophi de eo fine tantum loquuntur, qui humanarum operationum, atque exercenda virtutis principium existit: & ad operandum primò mouet. Hoc autem suæ naturæ à proprio fine excitatae tribuentes: Deo optimo maximo impiè, & stultè satis denegarunt. Asserebat enim omnipotentem dominum nō alia ratione, quam naturam (quam considerat) conseruando, & vegetando, in finem suum dirigere, sufficienterq; hac ratione ipsi prouidere: neq; ampliorum humanarum operationum curam Deo tribuerunt. Unde nec virtutem, quam docuerunt, opere depromere potuerunt: omnia suis viribus, & sapientiæ (vt supradiximus) adscribentes. Atque hinc ingenere finium, qui ad operandum mouent, & quibus actiones humanæ ditiguntur, eum, qui obiectum primum naturæ existeret: & qui omnes alias fines contineret: extrellum, & optimum bonum appellari. Secunda ratio facile etiam hoc pacto soluitur, nam satietatem, & expletionem humani desiderii in hoc solum constituebant: quod ab huius vita calamitatibus liberarentur in felicitate illa futura, quam ipsi constituerunt. Item quia ratio

Aristotelis  
Vnde philosophi suarū actionū fītiōnē Deum primò nō constitue runt.  
Aristotelis

Aristotelis non procedit de vniuersiūque hominis appetitu, & desiderio: sed ipsius tantum naturæ humanae: quæ in sui naturalis obiecti consecutione quiescebat, unde & ultimum humanum bonum id appellauit: secundum quod ultimi boni ratio superius posita illi congruit.

Reliquum est iam propositionem eam examinare, quam secundo loco probādam propositum, quæ in ea parte textus habetur vbi dicitur.

Quod si ita est, expericendum quidnam is sit figura comprehendere cuiusque scientiæ vel facultatis censeatur. &c.

Vbi primò philosopha insinuat, præfatū finem figuram quadam & non exacta doctrina esse in hoc opere inquirēdum, vt sequenti capite latius hoc idem prosequitur. Deinde positam subiicit conclusionem: facultatem scilicet ciuilem esse quæ eum finem persequi & inquirere habeat. Quam statim deducit, suppositis primum his, quæ facultas ciuili præstare & suppeditare habet, quæ tria numero esse Aristoteles docet. Primum est, discernere atq; examinare quæ artes in ciuitatibus admitti debeant: & quæ rursus excludi. Vt inutiles & vanæ quæ cum maxima morum corruptione in otio & luxu homines detinent: sicut quæ pernicioſæ sunt, & quæ ciuium pacem, & tranquillitatem perturbare habeant: penitus eiificantur. De qua etiam re superius non nihil diximus: que verò vtiles & frugi erunt, ad hominum vitam emendādā, omnino admittātur. Atque ne plus iusto in graue reipublicæ damnum in his perdiscendis adolescentes & iuuenes detineantur, vel ab iisdē immaturè discedant: ac proinde inepitè aliqui & sine aliquo delectu extraneas, & minime sibi cōgruentes artes aggrediantur, quapropter totius vitæ cursu errabundi agerent: quæ artes & à quibus, quantoq; rursus tē pore, discendæ sint, præscribere habet. In quo sanè maximā quandam dominandi vim supra reliquias artes, ciuili facultati inesse satis apertè declaratur. Secundum mithus quod hæc facultas præstare habet, est: leges & statuta condere: quibus elegantiores artes, & quæ magno in honore in republica habentur

*Facultas  
ciuilis q  
necessaria  
regi.*

bentur, ut militaris facultas, rei familiaris gubernandę peritia, atque oratoria facultas, quibus ciuitas quęq; & regnum ab hostiis defendit, & necessariis deinde rebus atfluēs, in vita & in optimo insuper virtutis studio augetur, & sustentatur: prædictis legibus & sanctionibus regantur, & modorentur: ad optatosq; insuper fines recto tramite perducātur. Quę res ciuilem facultatem maxime extollere & commendare videtur. Amplum siquidem & regiū est, eximiis & laudatissimis artibus agenda præscribere, perpetuoq; imperio iisdem dominari. Tertium munus (quod etiam ciuilem facultatem in summa imperādi, ac dominādi arce constituit) est, quod non agit, neque unquam ad opus aliquod exercendum accingitur, sed suo mune tunc plenè fungitur, quando inferioribus artibus imperat: atque agere volētibus opera præscribit. Et dum rursus etiam cognoscit, quę ad tantū imperiū apte gerendum, munia necessaria sunt: & quę item in ciuitate maxima sint: quidq; decorum & opportunū habetur, quid etiam contra. In quo, quod potissimum ciuilis facultatis est, sicut esse videtur, magnoperè siquidem hoc pacto eius dignitas & maiestas pellucet. Quod verò ad ceteras inferiores facultates pertinet, est nimirum agere: huic obedire, atq; omnia eius mandata diligēter transigere. Quod ex eo manifestum est, quod rex per se quidem non agit, sed per alios qui eius iussa capessunt, & executioni mandat. At potentia hęc siue ciuilis facultas, ars regia nuncupatur, cùm ea, dignitas regis potissimum cōdecorari & muniri habeat, nec minus hanc auream suppellectilem ad munus regiū recte obvendum, exigit: quām corpus ipsum in sui tuitionem præclaras vestes, atque imperatorię maiestati cōueniens ornamentum: ac decentem: insuper comitatum postulare videatur. Quocirca & facultas regia merito à Platone in Dialogo illo de regno hęc ars ciuilis appellatur. Ex quo etiam totus hic Aristotelis locus desumptus est. Ex quibus aperte elicetur, ad hanc facultatem spectare: cognoscere, ac disponere, quę per inferiores facultates effici debeant, simulque agenda ipsiis præscribere: quibus vt debitum famulatū prætent, continuò conuenit, operari: atque debitū pensum persoluere. Ex quibus iam ad propositum, talē Aristoteles colligit:

git rationem, ad eam facultatem maximè spectare video, humani boni inquisitio, & prosequutio, quę vt principalis & architectonica ceteris imperat, & dominatur. Hac etenim ratione in superioribus definitum est, in supra arte supremum bonum querendum esse, quia eius finis omnes inferiores perfectione superat, sicut ipsa omnes inferiores artes tanquam domina, complectitur. Talis autem est ciuilis facultas, vt ex officiis supra expositis manifeste patet, ea igitur est, quę finem humanū persequi, & nobis suppeditare debeat. Est tamen pro maiori explicacione huius partis textus observandum: quod nomine scientiæ, facultati, & potentie, artes actiua. Aristoteles intelligit, quas nomine potentie censet: per similitudinem quādam ad materiam primam. Nam sicut hęc contrariorum susceptiva est, atq; ob id primā potētia dicitur: ita & ars non semper idem præstat, sed in vtrāq; partem vim etiam habet, nam dialectica vtramque partem veram, & falsam probabiliter concutit: & oratoria item, vtrāuis persuaderelaborat. Ac similiter de ceteris artibus dicendum est, quę conjectura maximè valent: vt medicina, ciuilis facultas, & similes. Quare non immixto communiter nomine potentie & facultatis efferuntur, et si ad vnam partem exercendam suaptè natura omnes propendantur.

Nam si etiam & vni homini & ciuitati bonū idē sit, bonū tamē ciuitatis & acquirere & conservare, maius quid & diuinius videtur. &c.

Posset quispiā dubitare, quid ciuilis facultatis nomine hoc loco Aristoteles intelligat, & eā forsitan facultatē esse suspicari, quā in libris de republica philosophus tradidit: quod & nomē ipsum indicare videtur: aut prætoriā artē siue iurisperitorum facultatem, quę sub politica continetur. Et profecto si ita esset felices harū facultates cultores cēsendi essent, cùm in bono humano sibi & aliis acquirendo, & conseruando, assidue versentur. Atque cùm tantum bonum aliis suppeditare valeant, si id current, nescio qua ratione passim calaminentur & arguātur. Huic igitur dubio hoc loco Aristoteles occurrit, atque vt eius sententia clarius percipiatur mo-

## IN PRIMVM ETHIC. ARIST.

Moralis  
philo-  
sophia  
par-  
tes.

ralis philosophiae partes quæ communiter ore omnium circuferuntur, hic imprimis distinguendæ ac definiendæ sunt. Has autem tres numero esse communiter perhibetur, Ethicam nēpe, politicam, & cœconomicam, quas etiam ingenuè & cæreris sane philosophis præstantius, propriis ad id negotium expediendum libris editis, Aristoteles persecutus est, sed quoniā omnes circa hominis rectam institutionem, ac bonum versantur, cognitionem maximā inde habere vidētur: verūm hac ratione distingūtur: quod ethica hominem considerat, non quidem solitariè agētem, vt quidam perpetram voluerunt: nec in hoc illo ve domus, aut ciuitatis gradu constitutū: sed indifferenter vtcunq; ad prædictos gradus se habeat. Nam hac ratione solum huic arti subiicitur, in quantum scilicet in seipso optimis moribus formandus venit, & insuper vt virtutibus benè formatus, ad humanam felicitatē recto tramite & absque errore est deducendus. Politica vero eundem hominem instituere curat, ut in gradu tamen aliquo ciuitatis constitutus est: idest, vt ciuis aut ciuilis homo existit: qui in societate hominū aliquo munere ciuis, aut magistratu publico fungatur. Præcepta quippe tradit, quibus & ciuis & ciuilis hominis officium quisq; (quacūq; etiā fulgeat dignitate) ingenuè exercere, & eleganter insuper præstare valeat. Vt vel hac ratione tota ciuitas in pace & tranquillitate agēs, ad virtutis rationem & examen vitā traducere possit. Postremo cœconomica in domo, & familia hominem constitutū, in rei familiaris ratione instruendū suscipit. Præscribit namq; ea quibus ad vxorē, liberos, & seruos, aptè quispiā se gerere possit: & quæ insuper opera & officia cuiq; conueniant, docet. Vt vel hac ratione in quadā bonorum fortunæ sufficientia vita traducatur, & bonū virtutis semper augementatur. Atq; hę sunt partes, in quas primò moralis philosophia distribuitur, vt patet ex philosopho. 7. Politicorum. & 1. cœconomicorum. Nam aliæ quas quispiam ipsi adiungere aliqua ratione forsitan posset: ad aliquam prædictarum partiū potius reducuntur, vt iurisperitia, prætoria ars, oratoria, atque militaris facultas, quæ ad societatem hominum continentam necessariae sunt: & magnis encomiis semper ab omnibus celebrantur. Ex quibus duo (quæ ipsa litera tangit)

fatis

## COMMENT. CAP. II.

38

satis notanda colliguntur. Primum quod idem est cuiuslibet hominis & totius ciuitatis bonum: constitutum siquidem est, ethicam & politicam (quæ cuiusque & totius ciuitatis bonum procurant) idem subiectum, hominem scilicet suis præceptiōnibus habere: quare & idem erit vtriusque facultatis bonum, & finis intentus. Secundum est, quod licet ita sit, quod idem bonum vtrōbique petatur, excellētius tamen, ac Diuinus est ipsius ciuitatis, quām cuiusque priuati hominis bonum, quippe & si ita sit quod idem homo vtrique facultati considerandus subiiciatur, sub alia tamen atque alia ratione. Nam ethicae, vt ea ratione instituatur, quod in ordine ad se, bene beateque viuat: politicae vero, vt in ordine ad alios, congrue & decenter vitam etiam instituat. Vnde idem bonum quod vtraque facultas considerat, hæc pluribus hominibus acquirere, & partim cōseruare curat: illa vero tantum singulis. Quare idem bonum vt politicae subiectum, pulchrius ac excellētius existit, vt splēdior illa lux iudicatur, quæ maiori diffusa loco: minus tenebrarum relinquit. Item & diuinius etiam est. Nam bonū aliquod quanto magis extensum, & diffusum est, tanto diuinus discernitur, & iudicatur. Eius namque ingenii & conditionis omnia bona sunt, quæ nobis à Deo optimo maximo summa liberalitate clargiuntur: vt latè semper pateant: omnibusq; larga manu communicentur, suiq; diffusiusa semper existat. Vnde & boni humani procurator quātò id magis ad plures extēdere curat, tātò amplius & Deo ipsum omnīū bonorū autorēsuo, modo sequitur: & imitatur. Meritò ergo & humanū bonū qđ hac ratione diffuditur diuinius à philosopho appellatur. Ex quo infert: cōtētū vnūquēq; esse debere, si vni soli bonū efficiatur: cū hoc maximē ciuciūq; amabile sit, primoq; loco semper expetatur, pulchrius tamen iudicandum id censer: quod genti, id est, suæ familię & cognitioni cōfert. Vbi per gentē propriam generis familiā, & affines omnes intelligit, sicut per gētile id quod ad cognitionē & genus pertineat: vt aliquādo in lib. politicorū adnotauimus. Atq; aptè hoc loco gētis, & familię meminit, vt cœconomicae etiā cū aliis duabus philosophiae partib; mentiōnē faceret. Et rursus, vt bonū id quod ad omnes ciues se extenderet,

Bona sui  
ipsius se-  
per diffi-  
cuum:

scindere, pulchritus & diuinus esse existimadum, probaret: maioriq; cum ratione propter hoc ipsum quemlibet maximè contetur esse debere. siquidem quilibet eo bono, quod sua genti & familiæ cōuenit, eò quod ad plures extenditur, licet non ita ut ciuitatis bonum: magis semper cōtentus est. Quare pro bono publico semper procurando, proprium atque priuatum postponendum est: ut aperte hoc loco Aristoteles docet.

Ex his iam ut ad propositum dubium veniamus, planè constat, per facultatem ciuilem politicam hac parte philosophū non intelligere. Hac quippe non docet, quid sit, aut in qua se consistat, id quod querimus humanum bonum: sed quia ratione potius ciues id sibi poterunt parare: & partum aptè & ingenue conseruare. Officia siquidem, quæ huc tendant, & opera, tantum præscribit. Supponit igitur bonum id iam exploratum, & examinatum esse: ut quid sit, & à qua insuper re petendū, minimè ignoretur. Sed ex prædicta Aristotelis sententia ciuilis facultas hoc inquirere, & examinare habet: atque in qua re prædictum bonum consistat, docere: nō ergo per ciuilem facultatem politicam intelligit, quæ ad id bonum homines dirigere, ac solum præparare habet. Imo non aliud hoc loco ex professo Aristoteles probare videtur: ut facile patebit literam consideranti. Quapropter ineptè satis quidam hunc locum exponentes, contrarium assēuerunt: non aduertentes, hoc opere philosophum bonum: humanū velle inquirere, & in dagare: ea sanè ratione quod talis consideratio, & inquisitio ad ciuilem facultatem proculdubio pertineat: quare non aliud hac parte textus videtur docere. Clarè igitur constat, quod diximus: philosophum per ciuilem facultatem politicam minimè intelligere. Ob eādem etiam rationem sequitur, facultatis ciuilis nomine prætoriam artem non intelligendam esse, quā gubernator. & reipublicæ moderator in regendis, & ad debitum finem dirigendis ciuibus, (ut muneri iuncto satisfaciat) exercere debet. Huius enim munus prædictum bonum conseruare, & augere est: non autem inquirere vel quid id sit examinare, ut eius officium planè indicat, quod non est: leges condere, nec agēda: aliis præscribere: (quod ciuilis potentia proprium diximus); sed

*Politice  
specularis  
officium.*

sed potius, agere, ad opusq; ipsum sese continuò accingi. Cū sit, vt ait Plato, legum & reipublicæ custos. Præcipue liquidem ipsi incumbit, omnigenos ciuium contractus considerare, quidq; iustum iniustumq; contineant examinare: ut ad normam legum quas rex ipsi condidit: semper iudicet. Ad quod ingenuè præstandum, hoc imo pectore reponendum est: nullam rem esse quæ adeò iudicē expugnare, à iustitiaq; deflectere, valeat: perinde atq; proprium lucrum & commodum. Quapropter in hoc totum studium & diligētiam adhibeat oportet, vt in incedo quo quis negotio, definiēdoq; ab omni specie avaritiae animum & intentionem liberā habeat: hac etenim depravata existente negotii tractationem atq; diffinitionem errore infici necesse est. Vnde apud Thebanos optimè legibus cautum fuit: Ad nullū reipublice munus quempiam prius assumī posse, quām legitimè probaret: per integrum decennium à mercatura abstinuisse. In ea em suam delegisse sedem avaritiam arbitrati sunt. Ut vel hac ratione vsus tractandi nūmos penitus antiquaretur. & ipsi magistratus gerentes liberè omnino iustitiae vacarent, quæ importunatoris reipublicæ mentem & animum cōtinuò occupantur: ut neq; muneribus neque odio aut amore ductus, transgressis legibus mutuas accusationes aliquādo dissolue re audeat, neque ipsas nascentes audire. Quod liberè quisque præstabit qui mente continuò versari assūuerit, magistratum (quia iustitiae tantum cultor existit) neq; amicos neque inimicos habere. Ut hinc administrator publicus discat, amicitiae aut inimicitiae ratiōes (neglecta iustitia) nullius momenti apud ipsum esse debere. Quod accuratè perpendens quidam philosophus, ad magistratus assumptus dixit: hic amicitias omnes atq; inimicitias depono. Constat igitur vel ex proprio munere artis prætoriæ quod descripsimus: ipsam ciuilem facultatem minimè censerit debere: cū sub ipsa cōtineatur & perinde atque administratrix semper an cilletur. Quemadmodum etiā & ipsa oratoria, quæ & eidem subiicitur proprio munere suadendi aut disuadendi debitū semper famulatum præstanto, ciuilis namq; facultas an vi & armis, an potius persuasione, Cum his, & hoc insuper tempore, sit agendum deliberat: atque cū oratoriæ artis functio delibera

*civilis ho  
minis of-  
ficiū.*

*Que pes-  
tis magi-  
stratus  
importun-  
na.*

Oratorie  
faculta-  
tis mun.

deliberatio aliqua petatur: seipsum mōrīgerā offert: pro arbitrioq; iubentis operam nāuat. Deseruit deinde advirtutes suadendas, dissuadendaq; in publicis contionibus vitia, quē tantum momenti ad societatem hominum continendam habent, vt ratione hac (vti glutine quodam) ciuium pax & perpetua tranquillitas firmetur. Et hoc item modo omnes ciues à corpore corporis excitentur, & ad Dei optimi maxi- mi cultum augendum, a lacres accingantur. Continetur igitur oratoria ars sub ciuili facultate: quod probare intendebamus. Et perinde de militari facultate sentiendum est. Républicam namque hæc, armis & potentia defendit: deliberat insuper, quo tempore bellum cum hostibus sit conserendum: & quo rursus pax ineunda: sub ciuili igitur facultate tanquam pars etiam quædam contenta est. Quare de iurisperitia tandem restat dicere, an ciuilis facultas sit? Nam inter eas artes quæ ad hominum societatem tuendam conferunt: hæc maximam vim & momentum habere videtur: unde non abs re forsitan eam, facultatem ciuilem quispiam existimare possit. Quæ enim agenda sunt, & à quibus item abstinendum, legibus editis præscribit, & sancit, quod bonum humanum & præsentis vitaæ absolutio esse videtur. Cùm in declinatione à malo & continua bóni prosecutio ne secundum mentem Aristotelis humana felicitas constituantur: vt latius infra patebit: & præsens etiam litera planè testari videtur. Cæterum de hac, idem quod de reliquis superioribus censendum est: imo idem omnino quod de politica: cum eadem sit, aut quædam eius extensio & lata explicatio. Quare bonum humanum quid sit, & in qua rursum repositum, hæc vt politica etiam supponit: & tantum qua via ad ipsum properandum sit, & qua insuper ratione in plures diffundendum docet. Nam curat sane quo pacto bonum hoc virtutis per communicationem & diffusionem quandam in omnes populos, & ciuitates extendi queat. Vnde & præstantissima quædam ac penè diuina facultas censa est. A sua tamen dignitate & antiquo nitore nostris temporibus quoquam pacto degenerasse videtur, cuius causam esse arbitror, quod quidam de truncaram eam,

&amp;

Iurisperi-  
tia idem  
quod po-  
litica.

& à propriis radicibus abscissam comparete contendant. Multorum etiam deinde vitium accedit: qui dum eius participes & alumnos se esse profitentur, insignes eiusdem peruersores existunt: dum eam à proprio fine auerten tes, ad suum commodum & corporis luxum atque apparatum penitus accommodant. Iuris quippe peritia cum in philosophia morali proprium truncum multis ac magnis actum radicibus teneat: nescio qua ratione, ea neglecta, ad ramos & eiusdem viro rem nudis legibus apparen tem: fructus percipiendi cupidi, absque arboris cultura, quidam toto conatu properant. Quo fit vt cùm à radicibus (vti à capite) nulla virtus istorum industria, & diligencia in ramos, hoc est in leges ipsas deriuetur, eas nudas ac materno succo omnino destitutas, amplectatur. Ob quod minus aptè & exactè, eas intelligere valent. Cui rci forsitan non parum expediret, lege, ac statuto cauere: neminem ad iuris honorem ascendere posse, nisi prius definito tempore in philosophia morali progressus aliquos fecisse probaret. Et me præterit sanè qua ratione, neque ad Theologiam, neque ad Medicinæ facultatem, absque Dialectica & Philosophia vñquam aditus pateat: iuris autem peritia omnibus volentibus (illotis vt aiunt manibus) absque philosophia morali (quæ eius caput & principium est) larga manus sit exposita. Hebescit præterea hæc facultas quorundam abusu, quoniam è propria sede eam deturbantes, eius naturam & dignitatem penitus euertunt. Nam cùm èo omnes leges stabilitè sint: vt eorum adminiculo lex naturæ continua incrementa suscipiat, semperque locupletetur, & augeatur, mentibusque hominum explicatius adhærescat: ii proprio commodo tantum studentes, eam suo lucro omnino accommodant: ac penes quæstius arbitrium omnia semper iura deflectunt. Vnde & magis cupiunt proprias domos ab his frequentari, qui neglecta ratione, affectus impulsu in varia crimina prolapsi sunt: vnde & indefinibiles & longissimas lites contextunt: quād ab his qui animæ medendi gratia super aliquo contractu celebrando, aut opere agendo, vel vitando, eos consultuti.

## IN PRIMVM ETHIC. ARIST.

Quid facetas ciuilis.

consulturi accedunt. Quibus forsan potius expediet, propria ratione ad agendum duci, quam illorū vt arbitrio, qui sibi commodi causa, in vanas & pernicioſas lites animos consilientium inducentes: eorumdem patrimoniorum diligentes profusores existunt. Sed tamen ipsius iuris longe alia est intentio. Nam primò quidem homines iuuare, instituere, atque oprimō ducatu ad humanam felicitatē perducere intentur: quod si hac suavi ac placida ratione legibus nempē dielectricibus vtēdo: pr̄fatum bonum minus pr̄stare valeat: secunda tunc vtitur nauigatione, leges eas instituendo, quae delictorum punitionem respiciunt: vt vel hac rationē pœna & dolore veluti freno quodam eos coimpescat, & coerceat, qui priori illa nauigatione iter agere, inhumanæ felicitatis portum spontaneæ & tranquillè sese recipere renuerunt. Quam iuris intentionem animaduertant, oportet aduocati omnes: qui boni humani procuratores ac officiorum omnium ciuilis & humanæ vitę publicos se esse magistros profitentur. Qua racione & muneri iniuncto plenē satisfacient & suę facultatis præclara auctione: virtutem omnem & républicam ipsam continuis officiis promerebuntur: vt tandem cursu consumato: tanquam eximii iustitię cultores, & defensores, eiusdem pr̄emio Dei optimi maximi beneficio perpetuis sicutis afficiantur. Innotescit igitur tā ex ratione in principio huius disputationis posita, quām ex iurisperitia v̄su, (quem aliquo modo hic produximus) eam ciuilem facultatem hoc loco non censerit: sicut nec cæteras quas supra receſſimus: & sub ciuili facultate contineri diximus. Est enim ciuilis facultas quę bonum humanum, statuere ac docere habeat: cuius quęlibet ex his quę recensuimus: famula & ministra, bonum humanum acquirendo, & conseruando, in ciuitatibus existat. A sufficienti igitur partium enumeratione id solum restat, vt per ciuilem facultatem philosophiam moralem Aristoteles intelligat: quę omnes supradictas partes complectitur, & à qualibet in particulari abstrahit. Vnde & in solutione p̄positę obiectionis duarum partium principaliū politice nempē & œconomice munera (vt supra exposuimus) philosophus tetigit, vt ab iis & suis assecris mun̄ hoc bonum humanum inquirendi, se iunctum esse doceret. Pro

## COMMENT. CAP. II.

41

Pro eodē igitur philosophia moralis & ciuilis facultas hoc loco accipiuntur. Atque hæc inter omnes humanas artes summa illa facultas est: à qua bonum hoc humanum expetendum, & requirendum, in primo capite Aristoteles docuit. Quod etiam in Dialogo illo citato de regno Plato aperte confirmat: vbi cū artem regis ad iustè & optimè gubernandum quæreret: non aliam, quām morale philosophiā inuenit: quam adeò regi necessariam indicauit, vt regio nomine eam céseret, facultatemq; regiam appellaret. Cui etiam sententia planè subscripta Cicero secundo libro officiorum: vbi ex professo docet, artem benè beateq; viuendi ipsam philosophiam esse. Sed diceret iam aliquis: cū philosophia moralis multis partibus constet: & per eas quidq; ipsi incubat, doceat, & operetur: cùm fermè omnes iā à prædicto negotio expedieris, secundum quam tandem partem bonum hoc humanum, intra limites naturæ sistendo: suppeditare arbitraris? quem scrupulum statim Aristoteles diluit, Dicendo: quod hoc bonū nos docere & pr̄stare appetit, hæc doctrina siue discendi via, quæ ethica dicitur, cuius rationem subiiciens inquit: cùm hæc sit quædam ciuilis facultas: aliis dignior & sanè principalior. Nam articulus quædam, hoc etiam loco emphasin dicit, secundum id quod primo capite adnotauimus.



F C A P.

## CAPVT TERTIVM.

 Atis verò hac de re dictū existimetur : si perinde explicatum fuerit, ac subiecta materia postulat, nam exacta tractatio nō simili modo in vnoquoq; genere exquirenda est: quemadmodum neque in artium opificijs. Honestā autem & iusta de quibus ciuilis considerat, tantam differentiā tantumq; errorem in se habent, vt lege , non natura esse videantur . In bonis etiam talem quēdam errorē inesse propterea patet, quòd multis damna ex ipsis eueniunt: nonnulli enim ob diuitias, alij ob fortitudinem periēre. Contenti igitur erimus, si nos cùm de talibus & ex talibus differimus, pingui quadam minera , atque adumbrata figuraione verum ostendamus: siq; cum de his , quæ plerunque eueniunt, dicimus , ex his similia concludamus. Eodem modo etiam vnuſquisque debet ea quæ de aliquo dicuntur, admittere . Est enim eruditī eatenus exactam in vnoquoque genere explicationē requirere, quatenus pati rei ipsius natura potest. Nam & mathematicum suasionibus vtentem approbare: & ab oratore

oratore demostrationes exigere , simile vitiū videtur. Verūm vnuſquisque ea recte iudicat quę cognoscit: atque eorum bonus iudex est. Vnamquamque igitur rem benē iudicat, qui in ea : absolute vero omnia , qui in omnibus eruditus est. Atque hinc fit , vt iuuenis auditor ciuilis idoneus esse non possit: quippe qui imperitus actionum vitæ sit , ex quibus & de quibus rationes conficiuntur. Adde quòd cū perturbationes sequatur, frustra & inutiliter audiet. Finis enim non cognitio sed actio est. Interest autem nihil, iuuenis q̄tate, an moribus iuuenilis aliquis sit . Non enim defectus penes tempus est: sed quia & viuit , & singula persequitur ex perturbatione. Talibus em cognitio, perinde atque incontinētibus inutilis euadit . Illis autē esse perquām vtilis potest: qui secundum rationē, & appetiones, & actiones suas moderātur. Ac de auditore qui dem, & quomodo admitti huiuscmodi rationes debeant, quidq; proponamus: hactenus exorsum sit.



Ententia huius tertii capituli duabus propositionib; cōtinetur , quibus reliquas duas proœmii partes, Aristoteles absoluit. Quarum prima est, de proposito fine disputatio, atque modus docēdi, non erit exactus ac demonstratiuus, quomo-

*Qui philosophia moralis fructusca piant.*

do scientiæ mathematicæ & similes, solent procedere: sed tantum ostensiuus quadam explicacione & singulorum agi bilium illustratione contentus. Quapropter & eundem auditorem efflagitabit, neque demonstrationes propter quid & potissimas requiret. Secunda talis est: iuuenis philosophiæ moralis non est idoneus auditor. Prima propositione auditores dociles facit, dum facilem disciplinæ modum se obseruatrum pollicetur. Hac etenim re certiores omnes facit ob difficultatem Methodi, seu doctrinæ, nullum iusta ratione animum despondere posse: siquidem nullus locus, adeò dumetis & salebris impeditus erit, quem facilis docendi modulus planum & perspicuum nō reddat. Nam ita expositum & omnibus peruium iter philosophus ad hanc scienciam parandam, proponit, vt nemo sit, qui hebetudinis, aut tarditatis ingenii prætextu, quo minus huiusmodi disciplinam capessat legitimè se excusare valeat. Secunda verò propositione eosdem auditores cautos & attentos reddit: dum omnes iuuenes, hoc est, homines moribus perturbatos qui affectibus semper ad agendum ducuntur: ab hac lectione & morū doctrina vrinutiles reiicit. Vt vel hac ratione homines depravati & vitiosi dum impudenter in vitio perseverant: virtuti, & morum honestati, sui immemores, importune satis & periculosè ianuam occludere intelligent: atque hinc etià omnes huius doctrinæ contemptores opere ipso se iuuenes moribus declarare cognoscant. Efficitur igitur ex his, vt cautè & diligenter fugam & declinationem mali omnes procurent, qui huius disciplinæ idoneos auditores se præstare & exhibere volunt: ii enim vberrimos huius doctrinæ fructus decerpere valent: qui amore virtutis quoquam pacto sunt incensi, & continuo honestatis desiderio flagrant. Sed operæ pretium est iam, ad probationem dictarum cōclusionum accedere. Atque prima quæ ad eius priorem partem, quæ modum doctrinæ concernit: hoc pacto ab Aristotele suadetur. Materia quæ huic facultati subiicitur, minimè constans & firma est: ita vt perpetuo tenore contingat, sed tatum vt implurimum. Non igitur demonstrationibus potissimis, quæ ex necessariis & his quæ eodem modo semper se habent, constant: doctrina hæc procedere debet. Scientia etenim omnia

nis ex esse rerum quas pertractat, ita pendere videtur, vt nō maiorem disputationem ineat, quā res ipsæ subiectæ pati, & permittere possint. Est quippe omnis scientia, mensura quædam rerum: qua vti norma, & apta regula, animus res ipsi subiectas metitur, verūmque earum esse, examine recto probat, atque aestimat. Talis igitur debet esse doctrina: quæ rerum vslui flecti & accommodari facile possit: aliter enim rationem mensuræ amittat oportet. Per spicuum igitur est, modum rei semper insequi docendi modum: vnde & contingentes res rigorem exacti & demonstratiui processus, omnino subire recusant. Præterea aliarum artium similitudine producta, idem sic philosophus suadet. Si aliqua verbigratia imago fabre facienda sit, aut opere artis initanda: eadēnque diuersis opificibus proponatur, perspicuum est, non æqualem absolutionem & perfectionem ab omnibus esse exigendam, sed maiorem, aut minorem, secundum quod artes quibus vtitur, magis aut minus sibi tractabilem subiiciunt materiam. Vnde & à pictore maiorem imaginis absolutionem requirere solemus: quia materiam maximè obsequentem & tractabilem habet. A factore verò qui cera & luto vtitur, minorem: & minorem rursus à conflatore, scultore, & marmoratio, quia circa magis contumaces materias, suas artes exercent. Perinde igitur docendi modus & doctrina, tradenda erit, atque res ipsæ subiectæ patiuntur, & consentiunt. Quare cum hæc doctrina moralis ars quædam sit, iuxta ea quæ superius Aristoteles docuit: reliquum est vt sicut ceteræ artes ita & ipsa materia, circa quam versatur, se accoinmodet. Sed quod materia ipsi subiecta omnino contingens & variabilis sit, dup'ici ratione autor ostendit. Prima, quia res, quæ hæc tractantur, actiones hominum atque opera iusta & honesta sunt: quorum singula maximum varietatem & mutationem in seipsis: atque hæminum opinione & aestimatione patiuntur. Mutata quippe, temporis, personæ, aut loci circumstantia aliqua, & rationem iusti siue honesti mutari necesse est. Ea ratione vt quod paulo iustum & honestum est, Petro non item: imo neque ipsi paulo, alio tempore, aliave regione, sed turpe & indecorum iam factum sit. Non ergo in seipsis iusta & honesta opera fixa-

IN PRIMVM ETHIC. ARIST.

manent, neque eadem pulchritudinis & honestatis facie, continuò perseverant: quinimo pro cursu fermè ipsius temporis mutationi, & errori semper sunt obnoxia. Neq; etiam hominum opinione & aestimatione, certitudinem aut firmitatem habent. De eodem siquidem vtili comierto & contractu, iisdem circunstantiis ornato, cùm in dubium veritur, rationem ne iusti, aut honesti induat? variæ omnino sint hominum sententiæ: & iudicia. Vt satis perspicuum est, de his quæ à Cicerone tertio libro officiorum, & à Theologis in quarto libro sententiarum, super rationem iusti & honesti huc atque illuc magnis controversis continuò agitantur. Imo usque adeò de quavis minima re hominum opiniones & sententiæ variantur, vt quidam, secundum quod inquit autor: in hunc errorem prolapsi sint, vt afferant: nihil iustum aut honestum esse, nisi quod lege, & ciuili hominum institutione firmatum, & stabilitum sit. Quin potius iustum aliquid & honestum affirmant, quia legitimum sit: & non è contra: idèò legitimum quia iustum & honestū. Quo nullus error perniciösior potest contingere, vt quintolibro Ethicorum latè philosophus probat: & Cicero primo libro de legibus. Cui errori occasionem existimo præbuisse, tantam ingeniorum varietatem, ne rectius dicam immodicā inter homines ingeniorum contentionem, & arrogantiā, dum alii, alios facile ingenii dexteritate & habilitate superare toto studio, & conatu ostēdere curant. Qui quodā ambitionis genere ducti: nō ob aliud, q; vt ceteros reprehēdāt, suaq; laudent, id operis assumpsiſſe videntur quod in causa est, vt aliquando quæ minus rationi consentanea sunt, ipsi etiam edisserāt. Patet igitur ex his, singula iusta & honesta (vt quæ natura constant) fixa & semper eadem nunquam permanere: quare neque de ipsis vtpote de fluxis & contingentibus, scientiam (quæ de necessariis habetur) tradendam esse. Secunda ratio ex obiectis circaq; honesta ipsa versantur, sumuntur, eq; loco ubi textus habet.

In bonis etiam talem quendam errorem &c.

*Quasi sic argnmetaretur, bona ipsa externa, corporis & for-  
tunæ circa quæ honesta & iusta versantur, in scipis instabi-*

COMMENT. CAP. III. 44

lia sunt: & mutationi semper obnoxia . Pulchritudo enim corporis eodem vultu & flore nunquam sibi semper constat, neque robur item, nec sanitas : neque ipsa denique fortuna continuo flatu honorum & diuitiarum alicui semper spirat. Neque tantum in se hęc fixa non manent : sed hominem ipsum variis & diuersis casibus, iisdemque calamitosis continuo incessunt. Multi etenim ob honores, diuitias, robur: dum iis fidunt, atque bona sua defendere & alii rapere conantur, ab eisdem imperfecti sunt. Multi deinde propria sanitate, robore, & pulchritudine, ad praua opera abundantes, interierunt: ab humanisque rebus exempti sunt. Eadem igitur mutationem, & errorem & ipsa iusta patientur: quare de ipsis exacta doctrina tradi nullo modo poterit. Quapropter contenti inquit Aristoteles: erimus , hanc doctrinam tradentes : si rationes & syllogismos eo pacto necessamus, vt ex iis quæ vt implurimum contingunt, procedat, similesque conclusiones eliciamus. Est tamen hic obseruandum: quod per fortitudinem non virtutem animi, sed corporis robur, viriumq; prstantiam hoc loco Aristoteles intelligit: de obiectis siquidem quibus virtutes ipsæ exercentur, sermo est. Sed nomine fortitudinis, corporis robur significavit, indicans sanè: in bonis ipsis corporis, quæ cōtinuo oculis nostris subiecta sunt, quædam virtutum animi menta, benignam ipsam naturam oculis hominum obiecit: quibus ad animi candorem, & pulchritudinem desiderandam, continuo incitarentur. atque hac ratione quemad lectu ita modum , visibilium rerum consideratione intellectus operare, in cognitionem, & contemplationem Dei omnipotenti exiretis ascendimus: ita & bonorum corporis, quorum amore in bus obie nobis, & in aliis, statim capimur, continuo obtutu, in virtutem animæ (quæ pulchritudinis sanitatis, ac ceterorum bonorum corporis quædam naturæ radices & principia sunt) dum. voluntatis amorem excitemus. Ac deinde in Deum ipsum, totius pulchritudinis, ac bonorum omnium primum autrem & parentem à bonis corporis per virtutes, ac animæ ornamenta, gradum faciendo : vti scala quadam ab omni fece corporis expediti , proptè & liberè amore ascēdam⁹. Quod autem animæ virtutes, natura ita instituente , bonis corpo-

*Externi  
habitū  
corporis  
virtutū  
anima &  
fiduci mo-  
nitores.*

ris, vti quibusdam simbolis & indiciis se se exerant, & depro-  
mant: utrāque virtutum rationes consideranti, & inui-  
cēm conferenti, cernere in promptu est. Nam sensuum in-  
tegritas, bonitas, & viuacitas, prudentiam indicat. Bonitas  
sq̄uidem tactus qui toto corpore, & omnibus sensibus dif-  
fusus est: ex doctrina philosophi in libris de anima, bonita-  
tem semper arguit intellectus. Nam si tactu & ceteris sensi-  
bus integrē & perfectē omnia sensibilia percipimus, & agi-  
bilia singula circa quā prudentia versatur: negotio intelle-  
ctus optimē iudicare & discernere necesse est. Perfectio igit-  
ur prudentiae sensuū bonitate, vt procēmio & indicio quo-  
dam naturae certo quodam modo se se insinuare videtur.  
Fortitudo deinde & animi magnitudo, corporis robore &  
& virium præstantia: perinde ac ingenuus artifex se se oc-  
cultans: eleganti tamen & accommodato instrumento ad  
magnarum rerum usum omnibus exhibito, Luce clarius ma-  
nifestatur. Pulchritudo præterea corporis temperatiā re-  
fert: quemadmodū enim pulchritudo in dispositione qua-  
dam partium corporis temperata, atque eleganti membro-  
rum concinitate, colorisque apta mistione, consistit: ita ani-  
mi temperantia omnium appetitionum, atque partium ani-  
mę pacato, & correspondenti ordine valet. Et postremo iā  
sanitas, & bona corporis valetudo, iustitiam significat: vt e-  
nim illa æquabilitate quadam humorum constat, & viget:  
ita hæc iudiciorum & bonorum operum, quadam concini-  
tate erga omnes quibus cum homo versatur, fulcitur, qua-  
ratione maximo ornamento ceteris virtutibus, & ipsi ani-  
mo est. Insinuant igitur prædicta corporis bona, animę vir-  
tutes & dotes: perinde atque indices & quidam naturae le-  
gati, qui semper nos ad eas excolendas admoneant. Quis i-  
gitur erit adeò vecors, qui vocibus naturae aures obturet?  
Surdumque se omnino exhibeat, in his quā ad tempus so-  
lūm, corpori adiacent, sistendo, cursumque animę detinen-  
do. sed danda opera erit, vt ipsius naturę ordini nos morige-  
ros præstando: ab iis indicibus, in anima pulchritudinem:  
& ornamentum nosipso recipiamus, & tandem in Deum  
ipsum omnium conditorem. Ingentes semper illi gratias a-  
gendo: quod tot modis ad se attrahere, & ad ipsius amorem  
in

inuitare placitum fuerit. Ut vel hac ratione virtutibus cor-  
poris quas oculis cernimus: & manibus tractamus: virtutes  
anima contemplari, & opere exercere discamus, & Christo  
redemptori nostro qui continuo ad officium, animi hostiū  
pulsando inuitat nos, totos exhibeamus.

Eodem modo etiam unusquisque debet ea  
quā de aliquo dicuntur admittere. &c.

Positæ conclusionis posterior pars hoc loco iam suadetur,  
argumento sumpto à bono nomine & honore ipsius disci-  
puli, cui maximē prospicere semper debet. Atque in hunc  
modum argumentatur. Eruditæ ac multarum rerum peritia  
prædicti est, pro natura subiecti in quo versatur, accommo-  
datas, & conuenientes rationes semper exigere: contrarium  
enim imperiti ac stulti hominis esse videtur: & rebus ipsis  
contra ipsarum naturam, violentiam inferre volentis: quan-  
doquidem ea Scientia & cognitione non est contentus, quā  
res ipse patiuntur: sed ea tantum quam luxuria intellectus,  
importunè ipse extorcerit. At nos inquit Aristoteles erudi-  
tos audirecs atque minimē naturae repugnantes, & contu-  
maces quærimus: crassum igitur & adumbratum docendi  
modum (quem statuimus) libenter acceptabunt. Rursus idē  
ex communi omnium eruditorum assensione confirmat:  
qui eodem vitio cum teneri dicūt: qui mathematicum sua-  
tionibus vtentem approbaret, atque illum, qui ab oratore  
demonstrationes exigeret. Nam uterque æqua lance rerum  
naturas confundere videtur: cum æqualem eidemtiam &  
certitudinem ab his autoribus petat, ac si circa unius mo-  
di res ambo pariter versarentur. Quod planè ipsorum igno-  
rantiam & inertiam demonstrat. Nam cum descendit via pa-  
randæ scientiæ instrumentum quoddam existat, quod re-  
bus cognoscendis, accommodari debeat: perinde atque ar-  
tificis, materiae quam tractat, & operi, quod arte ipsa præsta-  
re laborat: fit, vt quemadmodum hic si aptum instrumen-  
tum negligat, opus nunquam cōficiet: ita nec ille scientiam  
perfectamque rei cognitionem aliquando assequetur: si mo-  
dum discendi rebus ipsis attemperare noluerit. Sed rogabit  
iam aliquis: cūm testimonio Aristotelis primo libro poste-

*Discendi  
modus at  
temporan-  
dus quē-  
admodū  
& scien-  
tia ipsa.*

riorum oporteat, discentem præceptoris credere, ac se illic omnino obsequente præbere: quare tam accuratè hic de acceptatione auditoris, eorum quæ toto opere tradentur mentionem fecit? Cuius rei geminam rationem reddere possumus, ex doctrina Aristotelis secundo libro metaphysicæ. Prima est, quod cum sciendi modus parandæ scientiæ primus aditus, & vestibulum sit: operæ pretium est, eum, qui alicuius facultatis alumnus & particeps fieri cupit, & quæ penitiora, & abstrusiora in ea sunt, comprehendere: discendi modum prius percipiat: in eoque (vti in vestibulo) perinde acis qui ad interiora alicuius dominus penetrare cupit, primum gradum faciat. Absurdum quippe est, (inquit philosophus loco iam citato) simul scientiam, & sciendi querere modum: vbi ne alterum quidem asequi facile est. Secunda causa est: vt omnes qui huic facultati operam nauarint, scientiæ fructum, simul & laboris præmium adipiscantur. Sunt enim quidam, qui non tam altioris rationis participatione, quam consuetudine quadam proprium factandi & effundendi ingenium, cuius facultatis generi, & civilis præcipue in frugiferos se opponunt: dum minimæ cuiusque ac notissimæ rei exactam rationem, & potissimum demonstrationem requirunt. Hos igitur vt frugi labores subeant: pro natura rerum mansueti, atque non eas sibi discendo, sed se ipsis attemperare debere docet. Maximè autem huius rei auditorem moralem admoneti oportuit: quia civilis facultatis principia, contra aliarum scientiarum hoc peculiare habent: quod eorum assensus non tantum negotio & opere intellectus expositis terminis, comparantur: sicut aliorum principiorum: sed quandam insuper appetitus ad honestū & bonum propensionem vt integrè percipientur, requirūt. Atque optimo id quidem iure, quia scientia hæc non ad cognitionem, sed ad actionem tandem ordinatur: cuius principium simul cum intellectu vel ratione, & appetitus ipse electiuus existit. Est tamen aduertendum, quod notanter diximus: aliquos non tam altiori participatione rationis, quam consuetudine quadam, forsitan ambitione ducta: importunos se discipulos exhibere. Quo non est animus negare, propter

propter diuersas rationis participationes, diuersas etiam homines rationes, variasque eiusdem rei confirmationes requirere. Nam compertum est: eos, qui maiori rationis illustratione pollent, aptè & conuenienter conuincentes intellectum, rationes exigere: & eos rursus, in quibus sensus maximè valent, ad fidem adhibendam, semper exemplum petere: & alios postremò probabilem tantum rationem. Sed eo dicto afferere volumus, ad hoc etiam negotium plurimū consuetudinem valere: nam id genus probationis audientes exigere semper videmus, cui maximè dediti sunt, magisque in eo se exercuerunt: Vt Rhetorem exemplum, poetæ carmen, in quibus scientia versentur, sicut importunum etiam Dialecticum, semper demonstrationem. Quam sententiam philosophus loco iam citato, in hunc modum profert: A uscultationes propter consuetudinem sunt: nam vt consueuimus, sic & oportere dici censemus: Vt ea, quæ præter eas (scilicet consuetudines) non similia, sed ob insolentiam ignota nobis, alienaque magis videtur. Hæc Aristoteles: quæ clarè continent ea, quæ nuper diximus: nam planè inquit, quod quando ea, quæ dicuntur, his, quibus assuefacti sumus, consentiunt, consentanea rationi existimamus: quando verò præter consuetudinem, omnino peregrina & aliena videntur. Maximum igitur momentum ad rectè iudicandum haberet, quæ in bonis rebus firmata est consuetudo: quam ab auditore Aristoteles postulare videtur: vt clarius in fine huius capituli videbitur.

Verum unusquisque ea recte iudicat quæ cognoscit. &c.

Ex modo quo auditor, siue lector orationes docentes & *Exacta* præcepta artis debeat acceptare, occasionem nactus: de instrumento, quo quis ad rectè de re aliqua, vel scientiæ *cognitio* *recti in-* *dici* *re-* *gula*. præceptionibus iudicandum: muniri debeat, hoc loco autor differit: vt qualem auditorem desideret paulatim ostendat. Afferit ergo: quod exacta rei, siue præceptio num alicuius artis cognitio, aptum & necessarium instrumentum est, ad rectè de rebus sic cognitis feren dum iudicium. Quod hoc pacto suadetur. Exacta & perfecta

## IN PRIMVM ETHIC. ARIST.

fecta rei cognitio perinde se habet ad sententiam & iudicium de re quapiam proferendum, vt lumen & medii illustratio ad hoc: quod corporeus oculus rem aliquam videat, de ciuisque quantitate, & qualitate, apte aliquid valeat enuntiare. At lumen ita necessarium est in visione corporea, quod absque eo oculus tenebris offusus, non potest rem aliquam cernere: nec de ea aliquid iudicare: igitur nec intellectus absque perfecta rei cognitione, ignoratione impeditus, iudicium aliquid rectum ferre poterit: quare solùm ille recte de re aliqua discernere poterit, qui eam integre & perfecte cognoscet. Præterea, tunc aliquis liberum & rectum iudicium de quantitate alicuius rei edicere potest, quando certa & explorata regula & norma eam metitus est: hac enim ratione publico mensurarum exploratori, fidem omnes adhibemus: & edificatori insuper, & lapidum incisori, afferentibus lapidem aliquem alicui loco conuenire, aut ab eo discrepare. Habent etenim omnes hi, regulam illam exploratam, per cuius applicationem, rei quam examinare intendunt, facile quantitatem, & dispositionem inueniunt: quibus cognitis discernere apte possunt, si proposito finis conueniat, an omnino inepta sit. Nam si regulæ congruat, statim ut conuenientem laudant: si autem eius examen fortè transgredietur, ut discrepantem omnino vituperant. At perfecta & optima rei cognitio, eiusdem mensura & regula certa existit: humanus quippe animus cognitione ipsa, rerum omnium explorator, & examinator adest: qui igitur rem aliquam integrè & perfectè cognoscit, regulam certam procùl dubio habebit, qua nimur eiusdem rei quantitatem, & dispositionem omnem atque esse metiatur: quare per eius applicationem rei quæ discernenda est, facile inuenire poterit, quid de ea re existendum sit. Nam ut regulæ adhibitæ, ipsa res congruat, vel discrepet, perinde iudicium de ea conueniens ferre poterit, quod omnino ignoratia impediret: est igitur hæc iudiciorū ferendorū regula certa, quare & maximè memoriae cōmen-  
frater nō dāda. Vnde iudicia illa in primis fratrū absentiū, qui in soda-  
judicau-  
dus. litatibus, & hominū cōsuetudinibus frequēter cōtingunt,  
ut temeraria, leuitatis ac vanitatis plena, omnino redarguū-  
tur.

## COMMENT. CAP. III. 47

tur. Quippe non integra rei cognitione, sed suspicione tan-  
tum, ex proprio cuiusq; promptuario desumpta, perniciosa  
in alios proferuntur. Quapropter vel hac ratione ne ab al-  
tantibus leues, & temerarii astinemur: nec ab absentiis  
insuper cum rescuerint, quæ diximus: damnemur, tantum  
demq; & ipsi patiamur, cum nostros etiam defectus illi in-  
cesserint: à iudicio proximorum penitus abstinentium est.  
Quamobrem cùm talis fese obtulerit occasio, antequā tua  
lingua caleat, aliorumque sanguineri tuis dicteriis temere  
fundas, in tui ipsius considerationem descendere, & propriæ  
concupiscentiæ fætaginem contemplare, & expende: sta-  
timq; propriæ vanitatis murinur, & strepitum te ipsum ac-  
cusantem, circumspicies. Quo remedio vti medicina mor-  
bum præcauente, vsus: propriæ leuitatis rubore tinctus, li-  
benter aliis parces, vel colloquium maximo cum fructu rū-  
pes, vel ad frugaliorem sermonem ipsum reuocabis. Sed ro-  
gabit iam quis, qui sunt, qui huiusmodi cognitionem tā  
exactam habent, secundum quam ita integrum, & absolu-  
tum iudicium ferre valent? Hi sanè, qui cognitionem alicuius  
scientiæ, aut facultatis habentes, simul & terum ad ipsam  
pertinentium experientiam habent: quæ quando sufficien-  
tem sequitur cognitionem, eam facultatem maximè colit,  
& auget, cuius finis in actione positus est: ut in decimo hu-  
iuis operis libro philosophus est autor, atque experientia sa-  
tis compertum est. Constat enim, eū, qui in aliqua re est eru-  
ditus, quia integram, & perfectam eius rei cognitionem ha-  
bet, de ea etiam integrè & perfectè iudicare: sicut qui in om-  
nibus est peritus, de omnibus etiam optimè discernere: ut  
carmen apte iudicat, qui rationem carminum protènenet:  
& imaginem aliquā optimè factam esse, qui perfectæ, & de-  
ficientis etiam imaginis cognitionem integrum haber. Vn-  
Dubitante aliquando & beatus Hieronymus eos artifices felices re, prim⁹  
censebat: quorum opera à sapientibus iudicarentur. Ii e-  
cœnam sunt, qui de rebus ipsis aliquando dubitarunt, & tan-  
sunt satis gra-  
dem à dubio se expedientes: perfectam cognitionem sunt dus ad ve-  
assecuti: secundum id, quod tertio Metaphysicoru[m] Aristo-  
rā re cog-  
teles docet: quū inquit: Operæ pretiū est bene eos dubitare, nitionem  
qui consequi percupiunt facultatē, posterior enim facultas parandā.  
solutio-

solutio est eorum quæ prius dubitabantur. Ex quo aperte constat, eos, qui rem aliquam nunquam in dubium reuocant, nec difficultatis nodus eos aliquando prescit, eius perfectam cognitionem nunquam assecutos fuisse: tantum abest, ut de ea aptum possint ferre iudicium. Vnde & eadē mēsuta ignorantia, tam exacta, quam imperfecta opera, metientes: in propria ignorantia semper deprehenduntur. Tantum siquidem ii qui sciunt, & alicuius generis rerum eruditionē habent, quia ex cognitione, qua possunt: rationes vtrinque; contendentes, perinde atque aduersarios, qui iudices audiunt, optimè affecti sunt, ad iudicandum. Est ergo Aristotelis regula notanda, qua dicit cognitionem & eruditionem ad recte iudicandum, instrumentum conueniens & necessarium esse: quæ cognitio doctrina variaq; eruditione & rerum peritia parari solet. Sed dicet iam quispiam, sit sanè quod is de aliqua re optimè solum valet iudicare, qui in ea peritus & eruditus existit, sed quorsum hæc? Nam hic de cognitione ea & iudicio sermo est, quod nondum sciens, sed discens habere debet, ut doctrinam & sermonem de moribus conuenienter valeat acceptare. Cui obiectioni ita responderetur: quod maximè ad propositum prædictam doctrinam philosophus induxit. Nam si aptè iudicant, qui exactam rerum habent cognitionem: probè etiam iudicabit, qui in aliquo genere rerū expertus, aut quoquis pacto institutus, aut propensione quadam, ad verum id quod in rebus ipsis quæ docentur, existit, benignitate naturæ, aut optima institutione inclinatus est: quando de iisdem rebus doctrina seu cognitio, ipsis traditur. Atque prædicta dispositio auditoris præcipue in hac doctrina morum necessaria est, cum circa ea versetur, quæ in continuo fluxu & contingentia posita sunt. Nam cùm rebus his quæ honestiores sunt, assūfactus aliqua ratione fuerit, libenter acceptabit, ea quæ de iisdem præcipiuntur, secundum quod anteā insinuauimus. Et hanc cognitionem siue dispositionem per consuetudinem, experientiam, institutionem, aut naturę liberalitate partam, Aristoteles hīc intendit: licet, ad eam paulatim ex perfecta cognitione, quam absolutū iudicium requirit, deduxerit.

Hoc iacto fundamento, secundam propositionem principalem

cipalem huius capitinis sic Aristoteles suadet: iuuenis ob ætatis defectum actionum humanarum inexpertus est, & omnino imperitus: ergo vt qui nullo honestarum rerum desiderio tenetur, neq; ad ipsas quoquam pacto est propensus, de iisdem minimè aptè iudicabit. Quare neque rationes universales quæ ad ipsas adducetur, nec quæ ex his eruentur conclusiones, vitæq; præcepta, lubens admittere: aut æquo animo acceptare poterit. Ex præhabita siquidem doctrina, nemō potest aliquid rectè iudicare, cuius omnino ignarus & imperitus existat. Deinde ex vita ratione quam ipse iuuenis persequitur: aliud sic depromit argumentum. Iuuenis superata & neglecta ratione semper affectu & sensus perturbatione ad agendum dicitur: erit ergo facultatis ciuilis inidoneus auditor. Quippe huius finis non cognitio sed actio est: cum autem iuuenis moribus, aut ætate appetitum habeat ad corporis voluptatem procluem: ea tantum quæ eidem sentanea sunt ad operandum eliget: esto ita sit, quod intellectum scientia & honestarum rerum vera cognitione munatum habeat. Perinde inquit Aristoteles: ac incontinentis, qui verè cognoscit, & iudicat malum agendum non esse: quia eo grauiter Deus offenditur, proprio insuper ornatu gratiæ & virtutis anima spoliatur, & grauibus plagis immaniiter afficitur: præsentis tamen delectabilis titillatione semper vincitur: ac in se malum admittit, propria scientia tanquam re inutili ad agendum neglecta & superata: similiter ergo de iuuene & moribus homine perturbato sentiendū est: quare quicunque talis facultatis ciuilis inidoneus auditor existet. Solum enim auribus quæ dicentur capiet, nullam inde utilitatem percipiendo, quia quæ docentur, nunquam eius animo verè adhærebunt. Duplici igitur ratione iuuenis hic inidoneus auditor iudicatur: prima, quia proprio fine hæc doctrina frustrabitur, deinde quia principiis quæ de actionibus humanis statuuntur, non verè & ex pectore assentiet: sed tantum verba neget, inaniterq; aerem verberabit: qua ratione, neque præceptionibus, quæ ex ipsis principiis deducuntur fidem adhibebit. Manet ergo ex his secunda principalis conclusio firma in cuius deductione litera capitinis finitur. Contra eam tamen statim aliquis sic occurret. Ab Aristotele pluribus

ribus locis huius libri doctrina hęc moralis , medicina quędam animorum censetur:imo sępe eam cum medicina corporum curatiua confert:at medicina morbum respicit: morbus autem in iuuuenibus, & sensu perturbatis existit:erit igitur hęc doctrina huiusmodi hominibus per quām vtilis,iuxta elogium illud diuinum: Non est opus valentibus medico, sed malę habentibus.quare iuuenes vtiles auditores huius disciplinę erunt, adeò siquidem ipsis conducens existit. Dubium hoc sensum , & intelligentiam positę propositio- nis pręcipue querit: supponit tamen, iuuenes semper inori- bus perturbatos esse: atque de hoc prius videndum erit. V- trum ita sit? & vnde item, hoc illis contingat? Pro quorum expeditione, eandem conclusionem Aristotelis statuo : Iuuensem cui recta magistri institutio, aut parentum educatio proba non accedit, vitam perturbationibus plenam semper sequi. quę sic patet. In iuuuenibus huiusmodi, totius vitę arbi- trium penes sensus & appetitum sensituum est: semper er- go affectibus & perturbationibus ducti: ad operandum ac- cingentur. Sensuum namq; iudiciū, voluptates corporis, & tantum quę ipsi consentanea sunt, probantur: quibus cū sta- tim etiam appetitus capiatur: ad eorum amplexum & prose- cutionē vehementer iuuenes omni actione, & vita concirā- tur, & corporis oblectamenta absq; contradictione sequun- tur: morem semper propriis affectibus gerendo, quod est, perturbatè viuere. Sed dicet quispiam, ratio ipsa cui vitę gu- bernacula à natura commissa sunt: quia semper ad id quod optimum est inuitare habet: cùm sensu ipso validior sit, vo- luptates negliget, sensus ipsos superando, quare hac ratione & iuuenum etiam vita corrigetur. ad hunc scrupulum diluē- dum duo animaduertenda sunt. Primum, quod anima ra- tionalis quām primum corpori vnta est, minimè vim ratio- nis exerceat, sed usque ad certum & statutum à natura tem- pus(quoad hanc vim exercendam)otiosa manet, neque ra- tionem ipsam quoquam pacto exerit, neque eius usui ac- commodatur. Cuius duplex potest esse ratio: prima, quia a- bonora- anima rationalis cùm recenter corpori vnta est, tantum hęc tione non vniōnem conseruare, propriumq; esse in corpore, cuius a- vita: hr. more capta est, tueri curat, atq; ad hoc primum officiū exer- cendum,

cendum(ipsa natura rerum ita exigēt) anima omnibus suis functionibus (excellētiora penē munera oblita:) conuersa est, hoc primo sui cursus tempore. Deinde etiam corpus ip- sum firmare, stabilire, elegantioribusque muneribus in pro- gressu vitę exercendis, aptum reddere curat: ad quę p̄stā- da tanta teneritudine, & corporis breuitate, minimè homo accommodatus est, habet se igitur anima hoc tempore, non secus quām generosus & illustris vir, qui domum aliquam humilem, & continuo ruinam minitārem, inhabitandam suscipit. Nam quod primum eum solicitat est, qua ratione eam fulcire, cęmenta firmitiora supponendo: nouam ædifica- tionem etiam inchoādo, poterit, vt firmiori redditā, usib⁹ propriis etiam reddatur commoda. Ita nimurum & anima ipsa dum inter exordia nascentis naturę, quamuis in uno quoquo homine sua vi, & essentia tota integra sit, ac tanta quanta tempore usus rationis existet: vim tamen rationis tunc non exerceat: sed tantum proprium esse in corpore con- seruare studet: ipsiusque, vt proprię domus firmitatem, cō- moditatē, & futuris usib⁹ aptitudinem, omnino querit. Atq; maximē, id cum ratione: nā sicut operari esse rei, quę debet agere, presupponit: ita & instrumentorum aptitudi- nem, & accommodationem in ea prærequisit: hęc autem non nisi homini, corpus iam ipsum firmum, ceteraque membra, debitè quanta habenti, accedunt: meritò igitur corporis functionibus anima ipsa ad tempus intenta, ad vim ratio- nis & hominis propriam functionem exerendā, veluti cor- pore consopita, propriique generis, & dignitatis quasi im- memor, depresso iacei?

Quod secundo loco animaduertendum diximus, est: tē- pore iam accidente firmitoris ætatis, animam sui ipsius pro- prii illustrisque generis fieri memorem: per quandamque à prædicto corporis somno excitationem, in se ipsam conuer- ti: atque ultimi sui exitus, & finis inire considerationem: cu- ius rei scilicet gratia creata fuerit, ad quid tam ingenuas, & liberas potentias acceperit, & cui tandem muneri exercen- do, ipsa sic munita, in lucem prodierit. Cui illico bonum & malum tanquam duo fines offeruntur: hac tamen ratione, quod bonum & honestum quia cum ratione ipsa comen- surationem

*Quare &*  
*primor-*  
*vite*  
*commodatur.*  
*Cuius duplex potest esse ratio:*  
*prima, quia a-*  
*bonora-*  
*tione non*  
*vniōnem conseruare, propriumq; esse in corpore, cuius a-*  
*vita: hr.*  
*more capta est, tueri curat, atq; ad hoc primum officiū exer-*  
*cendum,*

# IN PRIMVM ETHIC. ARIST.

Vnde ex  
naturae-  
tiā inter  
sensitiū  
appetitiū  
& ratio-  
ne lucta.

sōrationem habent: cum eadem cognitionem quandam & affinitatem contrahunt. Ob quam ad id semper quod honestum est, ratio ipsa semper inuitare & excitare habet. Malum verò quia corpori semper consentaneum est, & affine, ob corporeas & sensibiles res, quas cōtinuò sequitur: ad ea quæ corporis sunt, continuò pellicit: qua ratione animam prorsus deprimere conatur: perinde ac honestum à sordidis corporis voluptatibus eandem semper leuare. Vnde ea partiū animæ oppositio est: vt sicut ratio ad id quod optimum est, semper inuitat, & deprecatur: ita & sensus atq; eius appetitus quia corporei, & materiales sunt: ad malum, & quod corpori suave est, incessanter irritant, atque impellunt. Quibus stateribus constituta anima, si in bonum se conuertat, idq; sibi semper amplectendum statuat, quia sic in Deum ipsum implicitè (eo modo quo cognoscit) conuertitur, adimpletque præceptum illud domini: Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos: gratiam assequitur, & peccatum originale remittitur. Sin minus peccat mortaliter. Vnde constanter asserit diuus Thomas, & eleganter quidem: cum originali peccato veniale nulla ratione consortium habere posse. Quo habito est rursus aduertendum, quod anima iam rationem exercens, in seipsm̄ erecta, corpus ipsum sensibus & appetitiis facultatibus præditum: vt puerum bonis institutis rebellem, nulloque pacto rationis freno obsequentem, aut dominum: non secūs quām pedagogus, & magister quidam, instituēdum suscipit. Quod primū sursum attollere, propriisq; ipsius animæ moribus formare curat: ante omnia tamen rigorem illum deorsum quæq; trahendi, rationēmque ipsam continuis insultibus impetendi, vt amittat: instare nō definit. Ad tantum tamen munus exercendum, debitumq; hoc officium præstandum, remissioribus viribus & penè imbecilla inuenitur. Cūm ob stuporem illum, ex affectibus & perturbationibus prima illa ætate contractum, quæ nondū discussit, neque velamen illud ignorantia, quo palliata extiterat, vt cognoscere sciat, quæ agenda sunt, semperq; peioribus meliora præponere, ad benè operandum: detraxit. Tum ob appetitum etiam (à quo intellectus seu ratio, ad agibilia deliberāda mouetur) in malum propensum: quem ad-

huc

# COMMENT. CAP. III.

50

Vnde homini ad malū proclivitas, atque ad bonū omnē imbecillitas.  
huc homo habet, qui cūm magnas egerit radices, non facilè excuti potest. Atque hæc in malum proclivitas ex duabus potissimum causis semper viget: prima est, consuetudo indiuidua, semper corpori indulgendi, quam ab ipsa natuitate homo sibi paravit. Esse namque corporis, eius denique vegetatio, & firmitas, quibus viisque ad rationis tempus solum hominem vacare, diximus: non nisi amplexu omnium voluptatum, & eorum, quæ corpori maximè placent, continentur. Ex tot igitur, tantoque tempore, repetitis actibus, habitus, & consuetudo parata erit, qua quæ corpori consentanea sunt, & suavia, lubens appetitus depereat. Existente autem hac appetitus in malum propensione, rationem seu actuum intellectum, ipsi appetitui conformia semper eligeret oportet: vt Aristoteles est autor tertio huius operis libro. Quare vel hac de causa contra imperium sensuum ratio ipsa infirma quodammodo facta est. Secunda ratio eiusdem etiā imbecillitatis est peccati originalis fomes & pœna, quo primitus hæc facultatum inordinatio introducta est: & continua viget. Eo enim totus homo in ipsos sensus (veluti in tyrannum domesticum) prolapsus est, pœnamque & suppliū illius homo continuò sentit. Hac forsitan ratione, vt ab eo continuis plagis, & flagellis affectus, tanti facinoris pœnas debitas, iugiter pédat: & illius etiam felicis status memoriā semper repeatat, vt tantam dignitatem animo versans, ad eam ascendere pro viribus nitatur, cauteq; sic in posterū vitam agat, sensibus semper eius quod honestum est, continuis oppugnatoribus, penitus dominari studens. Ex quibus manifestum iam est, vnde homo statim quod in lucem editus est, ratione non vtatur, sed præfixum à natura semper tēpus habeat expectare, & quo pacto insuper iuuenis ex se, cui nulla recta accedit institutio, aut educatio, affectibus semper, & sensus perturbationibus agatur, talēmque vitam traducat. Quam etiam iuuenilium morum censurā Dominus edixit Elaiæ cap. 65. puerum centum annorum maledicto subiacens: & beatus Paulus in prima ea Epistola quæ ad Corinthios extat: cūm pueros effici sensibus omni studio vetat. Quibus locis cūm ii qui sensuum perturbationes tota vita sequuntur, cuiusvis ætatis fuerint, pueri & iuuenes cen-

G 2

scantur,

## IN PRIMVM ETHIC. ARIST.

seantur, planè sequitur: vitam perturbatam, pueros & iuuenes vt propriam sedem delegisse: & merito etiam Aristotelem viros & senes etiam in decrepita constitutos, si moribus perinde ac iuuenes perturbati fuerint, à suo gymnasio, & lectione depulisse: ita vt nulli ætas, sed tantum recta educatio, aut rectè instituendi vitam studium suffragetur.

Sed rogauit iam quispiam: vnde tanta luxuries vitæ huiusmodi senibus accidere potest, cùm grandior ætas, & senior prudentia ei omnino obiare videantur? cui nihil aptius responderi potest, quām officinam propriæ libidinis (quām isti ab adolescentia compararunt) in causam producendo. Hæc enim rationi, & prudentiæ semper obſistendo: per incrementa ætatis semper inualuit, maioresq; vires continuo accepit. A tempore liquidem vſus rationis, in malum, & id quod turpe est, ii statim deflectentes, vsque ad eō corporis voluptatum vehementes amatores extiterunt, vt absq; Dei omnipotentis timore, & hominum etiam pudore, totius vitiī campū excurrere non sint veriti. Vnde & dictam officinam sibi pararunt. Nam, postquam collum iniquitati subiugarunt: eos veluti columbari, & vinculo quodam iniesto, ad eō tota prauitas deuinxit, vt omnino ipsis dominetur, suōq; imperio, & dominio, (quocunque libuerit obsequentes trahat). Suo etenim pondere ita rationē ipsam deprimit, & grauat: vt in terram ipsam semper hominē pronū reddat: eius fruitions, & voluptates, semper despicer cogēdo: nūquam autem suspicere, aut quavis honesta consideratione, sursum attolli, permittendo. Id sanè operante tanta perturbationum caligine, quæ oculū mentis, & rationis quasi nube quadam obiecta, sic impedire habet, vt fermè honestum ipsum, & bonū agibile, transpicere, & planè videre nō sinat.

**Conscientia.** Vnde tot iniquitatis plagis, & cicatricibus, propria conscientia peccata, atque anima ipsa affecta est, vt tali strage mens ipsa, totorū icti-tusque animus occalluisse videatur. Vsqueadē vt nullum bus occalictum, neque maliperceptionem, ob stupore contractū, prolat. ratione damni sentiat: sed omnia ex æquo ita permittat, vt quæ suapte natura bona sunt, etiā spernere videatur, iuxta il lud sapientis: Malus. cùm in profundum malorum venerit, contemnit.

## COMMENT. CAP. III.

51

conténit. In huiusmodi ergo statuū delapsi sunt ii, qui cum iuuenili ætate ingenium, & mores exuere renuerunt. Neq; vicissitudinem ætatum, statuto ordine sibi succendentium, mutationem vitæ & morum postulare, eam continuo oculis subiiciendo, nunquam considerarunt. Temporisq; insuper lapsum, qui continuo roboris, pulchritudinis, totiusque *Mortem viroris edacitate mortem ipsam nos admonet: imo quod ip* <sup>ab ipsa</sup> *fa mors prædicto modo continuo à natuitate, & primo or-* <sup>natuitate</sup> *tu, suam iurisdictionem exequatur: nūquam perpenderūt.* <sup>te in ho-</sup> *Vnde nec prædicta damna, horum cor faxeum cū ipso cor-* <sup>mine suā</sup> *pore, immutare potuerunt: quod maximè cuim natura ipsa,* <sup>iurisdi-</sup> *ipsiusq; dispositione pugnare videtur. Nam cùm hæc sem-* <sup>tionē ex-</sup> *per ultra progradiatur, longiusq; ab initio distet: ipsi cōtra,* <sup>ercere.</sup> *vita, morūmque incompōsitione, in idem continuo regre-* *diuntur: vnde & in totius vitę cursus fine, in eiusdem initio* *commoratos se esse deprehendunt: à quo lōgius vita, & mo-* *tum institutione distare debuissent. Quapropter meritò hu-* *iusmodi homines iuuenes appellātur: & ciuilis facultatis in* *idonei auditores ab Aristotele censemur. Nam & si possint* *quocunq; bonum agere, in bonumq; omnino se conuer-* *tere, propria delicta conterendo: & virtutes prosequendo:* *quia tamen sensuum illecebris semper obedire consueue-* *runt, penes appetitum prauum, rationum omnium animæ* *medentium, quæ huic rei accommodatæ adducentur, accep-* *tatio: & arbitrium erit. Vnde nec rationibus veris vñquam* *ex pectore credent: neque ad bonum exercendum & si pos-* *sint, aliquando se accingent. Sed quod bonum est, ore tan-* *tum effrent, & dentibus terent, quod tamen nunquam* *deglutient, neque in stomachum traicent. Perinde ac fe-* *bribitantes, qui propter infectū gustū, licet dulcia, & sana o-* *re circumferant, nunquam tamen ea in stomachum mittut,* *sed statim eiiciunt: stomachum ipsorum minimè ea recipi-* *re posse affirmantes. Quibus id, quod in argomento suppo-* *nebatur, satis discussum manet. Sed id, quod primò & prin-* *cipaliter quærebatur, restat expediendum: quod huiusmo-* *di est. In his, qui perturbatis sunt moribus, hæc ars inutilis* *est. studiosi autem, & qui bona indolis sunt, ea minimè in-* *digere videntur: quibus ergo hæc facultas proderit ad quod*

G 3 respon-

# IN PRIMVM METHIC. ARIST.

*Cuius gen-  
neri ho-  
minū phi-  
losophiā  
morale p-  
rīlē esse.*  
 respondetur. Primum, eam cuius generi hominum qui à vi-  
 tiis reuocati sunt, & ad bonum vt cunque aspirare nituntur,  
 vel maximè vtilem esse. Nam licet hi quadam naturę benig-  
 nitatem, diligentia insuper, diuina benevolentia adiuncta, à vi-  
 tiis abhorreant: caligine tamen cuiusdam ignorantiae impe-  
 diti, ad singula quæ bona, quæq; mala sint, discernenda, pro-  
 gressus maiores in virtute facere non valēt. Nam ad hoc au-  
 ditate quadam virtutis, & quodam erga honestatem animi  
 ardore, & si figura quadam agenda cognoscant, nimis in-  
 digent: quæ omnipotens domini beneficio, peculiari qua-  
 dam agibilium consideratione, & perscrutatione, quām hęc  
 facultas tradere nititur: iugiter homini contingūt. Cuius de-  
 fectu, quidam ipso limine, primoque gradu, in via honestat-  
 is implicati, iter ipsum, & media, quibus compendiosè vita  
 agatur, ignorantes, sicutū. Ad cognitionem igitur eorū quæ  
 sectanda & fugienda sunt accipienda, & ad ampliores insu-  
 per virtutis spiritus in generandos, ipsiusq; liberā prosecu-  
 tionem intendendam, rationibus vitium deturpatisbus, vir-  
 tutis autem pulchritudinem, & ornatum, commendatibus  
 sursumq; ad cœlum, vsque attollentibus, indigent: quæ om-  
 nia ciuilis facultas plenè tradit. Maximè ergo huiusmodi ho-  
 minibus erit necessaria. Item licet ante huius facultatis asse-  
 cutionem, hoc genus hominum id quod honestū est, assue-  
 tudine quadam, sequatur: ad ipsumq; suas actiones dirigat:  
 non tamen ea promptitudine, certitudine, & facilitate, qua  
 cum rationis artem, ac morum facultatem assecuti fuerint:  
 id opere præstabunt. Nam cùm rationis arte edocti fuerint,  
 omniaq; vitæ præcepta peculiariter cognoverint, quidq; ho-  
 nestum, & quid contra se habeat, exactè intellexerint: ad id  
 ipsum sectandum, & adipiscendum, audius omni conatu,  
 & studio properabūt. Ita siquidem natura comparatum est,  
 vt in qua re quisque clarus existat, ad eam vehementer pro-  
 peret: maioremq; diei partem illi impartiatur: vt & ignoran-  
 tiā omnino superet; magisq; conspicuus tandem ipse eu-  
 dat. Claritudinem autem hanc, & artificem rationem, hon-  
 estas actiones sequēdi, doctrina hęc moralis suis præceptio-  
 nibus præstat: maximo igitur commodo eius cupidis, ciuilis;  
 hęc facultas existeret. **Quod si adhuc in consuetudine sistas,**  
 affe-

# COMMENT. CAP. III.

afferasq; honesti exercitium, emendationem vitæ sufficien-  
 ter facere: atque ad id ostendendum, solam rationem cuiq;  
 sufficere, vt intra naturę limites vita ipsa dirigatur. Respon-  
 deo, quod hoc iam esset omnes artes ē medio tollere. Si qui-  
 dem opera quæ ipsas præcesserunt, & quibus inuentæ sunt:  
 humanae vitæ commodis & aqua lance prospicerent. Nā ante  
 dialecticę artem aliquid inuentum, & probè iudicatū fuit,  
 disputationesq; ratione ipsa ducente, exercebantur: sicut an-  
 te oratorium artem viri diserti extiterunt, & antequām lite-  
 ris musicę præcepta comprehensa fuissent, homines cecine-  
 runt: neque Hippocrates qui medicinę artem inuenit: pri-  
 mus morbum cognovit, remediaq; conuenientia, & pro fu-  
 tura, est ineditatus: & primus etiam morbum leuauit. Fue-  
 runt igitur ante artium inuentionem, opera & facta, his quæ  
 arte præcipiuntur similia. Non tamen propter hoc artes un-  
 quam neglecte fuerunt: quinimo ob tātum beneficium, ea-  
 tum autores quotidie summis laudibus efféruntur: maximo-  
 que ipsæ in honore, & precio in omni republica habentur:  
 quæ tamē ex operibus quæ ratio ipsa probauit, & cum pro-  
 batione obseruauit: omnes emanarūt. Ex eo enim quod cre-  
 brō aliqua facta sunt, & eadem fini intento, semper respon-  
 dere, diligentes homines obseruarunt: artes & artium præ-  
 cepta cæpēre: atque indiēs pro vñēre præ clara hominū in-  
 genia, quæ dispersa collegerunt, confusa disposuerunt, atq;  
 rudia tandem, & imperfecta, polire, & explorare, magna cūm  
 laude procurarunt. Vt non modo iam facta, sed quæ fieri e-  
 tiam possent, compendio artis ingenuè sunt amplexi. Vnde  
 secutum est, vt in posterum homines non quia aliquid fac-  
 tum est, ideo fieri debere iudicarent, (vt ante artium inuen-  
 tionem contingebat) sed quia debere fieri arte comprehen-  
 derent, ideo debere fieri, & opere exequi, existimarūt. An-  
 te inuentionē igitur artiū, earūdem opera præfuerunt: nō ta-  
 men quæ ex arte exercecentur: nā cūm ea certitudine prōp-  
 titudine, & scientifica ratione, qua ab arte egrediuntur ante  
 artium inuentionem nullo pacto exercebantur: cūm neque  
 particulares agibilium rationes perfectè tenerentur. Perin-  
 de igitur de ipsa morali philosophia cūm ars vitæ quædam  
 sit, censendum erit. Ita tamen vt ante philosophiam ipsam,  
 G 4 ratio-

## IN PRIMVM ETHIC. ARIST.

rationisq; artem, natiua prudentia, & ratio, rudi quadā mīnērua quid honestum, quidq; malum esset, actioniq; minime conueniens, suppeditabat: at post philosophiam, moralisq; vitæ artem partam, artifici quadam ratione & non temere virtutum opera exertentur, maioriq; cum promptitu dñe, atque certitudine, propter peculiarem agibilium cognitionē. Perinde igitur vt cæteræ artes necessariae sunt, ad vitam commode traducendā: ita & moralis philosophia, ino tanto maiori cum ratione: quanto anima ipsa corpore p̄fretat, quod cæteræ artes primò respiciunt. Hæc autem animæ virtutem toto studio augere, & colere nititur: rationes, quibus ad se virtus inuitet, animamq; ipsam augeant, & ornent, peculiariter ostendendo: & eas insuper, quibus vitium: imo diabolus eius fuso vtens, in mentes hominum obrepat, & abditis accessibus imaginem fallens, serpat, à quo & serpentis nomē accepit. Vt vel hac ratione ipse, & omnia vitia, quibus vt propriis armis vtitur: eximiè conterantur, & concilcentur. Ostendit postremò quot virtutū sint vtilitates: quot etiam vitii fucati morsus incommoda: non solùm ad vitam animæ spiritualem perdendam, sed & ipsam vitam naturalem ex corpore & anima constatē. Quibus cognitis ad fugam vitii, virtutisq; prosecutionem, maximè homines excitantur, & quotidiana consuetudine, & exercitio, in bono ipso colendo, omni studio & conatu firmantur. Est igitur ars hæc quām maximè necessaria: quæ vt certa via ad finem naturalem homini destinatum dirigat. Quod & si natura ratiocinatrix, id etiam suo modo efficere posset: ars tamē certior dux ipsa natura ad id præstandum existit. Quod in arte benedicendi quarto libro definib; Cicero ostendit, cū inquit: aliud est more poetarū verba fundere, aliud ea, quæ dicis arte, & ratione distinguere. Summo ergo studio ob eius vtilitatem, ab his præcipue, qui aliquo scientiæ genere excellere cupiūt: hæc ars amplectenda est. Nam præter hoc, q; intellectum, & voluntatem agibilem cognitione, morumq; cōpositione, (vt supra deduximus) maximè ornat: materia etiā suppeditat, qua publicè, & priuatim, in cōmuni cōsuetudine, alios docere, & exhortari liberè & ingenuè quisq; possit: multaq; insuper ex antiquitate, & ratione ipsa viuēdi-

in:

## COMMENT. CAP. III. 53

in medium producit: quæ non minus illustri colloquio, quā libero homine digna existunt. Secundo loco assero facultatem hanc etiam iuuenibus, moribusq; perturbatis, profutram esse. Nam cū ex ea id, quod nature hominum conueniens, & consentaneum est: didicerint, & in quam insuper miseriam vitii voluptatum amplexu deuoluti sint, apprehenderint: quāmq; à vero bono longius recesserint, perspectum habeant: veluti quibusdam stimulis (nisi penitus stolidi sint) ad corrugandam vitam in futurum, elapsæq; verè & ex animo, pœnitentiam & mœstiam subeundam, omni diligentia excitabuntur. Est quippe, vt in arguento dicitur, hæc moralis facultas, quædam animorum medicina. Hæc autem & valentibus bonam habitudinem cōseruare, & ægrotatibus pristinam sanitatem restituere habet. Ars igitur hæc quæ medendorum animorum, præceptionum vitæ exhibitatione, exhortatione, & admonitione, facultas dicitur: utriusque munera vim, & rationem habebit. Quapropter quemadmodum medicorum facultas, quæ corpora considerat: quædam in optima suæ naturæ constitutione firmare, & cōseruare habet: & quædam alia rursus, quæ à naturali dispositione in eam, quæ præter naturam est, sunt delapsa, restituere, & reuocare, curat: ita sanè & hæc, quæ animos concernit: propriæ naturæ finē, & præcepta virtutū, quibus ad ipsum via sternitur, docendo: atq; humanæ dignitatis curam admonitione, & exhortatione, commēdando: veluti quibusdam adhibitis medicamentis, iisdein mederi, & prospicere curabit. Quod præcipue præstabat ei generi hominum, quæ simplicioris naturæ existunt: & ad virtutem, simul & honestatem, infitam quandam propensionem habent. Ex quibus difficultas proposita satis explicata manet. Sed quid Aristotelis respondendū est, qui adhuc, cū omnes iuuenes ab hac lectiōe excludat: vrgere videtur. Cui primò dicere: ipsum tāquam auditorem inutilēm, iuuenem ab hac lectione reieciſſe: non tamē asseruſſe eam ipsi futuram inutilēm. Sed magis ad rem secundò dicendum arbitror: eos tantū exclusiſſe: propter appetitum prauum, & in malum propensum; quem ex consuetudine sensus sequendi, sic infecissent: nam penes tales appetitus proclivitatem (vt supradiximus) sem-

*Philos-  
phia mo-  
ralis an-  
morū me-  
dicina.*

G 1 per

per ii iudicabunt, rationesq; omnes quæ ad præcepta virtutum adducentur, percipient. Atque cum in hunc usum omnes inducantur, vt visu sensuum reprobentur, atque ipsi ex opposito pugnent, sensuum iudicio omnia metienda esse, assertentes: ineptos sanè huic doctrinæ percipiendæ se præstabant: cùm eius principiis nullo pacto adhærent: quales fuerunt aristipus, eudoxus, epicurus, eorumq; sequaces, qui sollem padalem existimarent: quia huius quantitatis sensui apparebat. Atque corporis voluptates finem omnium actionum continere: quia sensus vt sibi prospicerent, tales eas iudicabant. Quo circa hos præcipue & eorū sequaces ab schola sua hoc loco excludere Aristoteles ob rationem dictam

*Quem iuuenem à sua lectio ne philosophia ab legatur.* nitebatur: qui appetitum nempe deprauatū omnino habent, quem semper sequitur, rationis iudicium erroneū. Atque quia propositio hęc in doctrina hac primi principii vim habet: neq; aliter quām principium eā probare potuit, cùm rationibus intellectum cōvincentibus, eā probare non posset: vt importun os, & indociles homines, ob id quod principia negarent, sensui, & eius appetitui gubernacula vita committentes, à sua lectione morum excutere decreuit: contra quos potissimum, prædictam sententiam produxisse crediderim. Sed tamen est aduertendum: quod illis temporibus quibus iudicia sensus, eiusq; oblectamenta, passim ab hominibus probabantur, forsan dicta sententia congruit: quia nulla veritas certa stabilis philosophis erat: sed eā pertenebras & caliginem quandam, obscurę & cum trepidatione quadācernebant. Nuncautem quando cuiuscunque actionis veritas, totiusq; humanæ salutis ratio, ore diuino Christi Iesu propalata, & reuelata est: omnibus ad hanc doctrinam aditus iam patet. Scripturam quippe sacram diuinamq; veritatem, vt regulam infallibilem, & normam, qua omni actione doctrinamq; morum, & quavis alia facultate omnia metienda sint: habemus: ex qua illuminatione quantumuis quisq; prauus sit, certò cognoscit & exploratum habet: sensus, & ea omnia, quę illis consentiunt, homines ipsorum sequaces in æternum præcipitum agere: nec aliud quam quo pacto homines à recta veritatis via deflectant, procurare. Tale nāque est ingenium demonis per eos instigatis. Quo principio accepto;

cepto, cum iudicio sensus mordicus nulli iam adhærent, vt illi, contra quos Aristoteles hīc agebat: sed rationis dignitatem agnoscant, semperq; & si ab ea declinauerint, eandem tamen semper suspiciant, & venerentur: rationibus, quę vir tutum præcepta tradent, fidem adhibebunt: atque tandem ipsis perceptis, diuini numinis beneficio, ad actionem eisdem consentaneam, se accingent: in qua huius doctrinæ finis constitutus est.

Restat tamen hīc aliud dubium expediendum, de tempore, quo hęc facultas discenda sit, ac ordine, quem inter alias disciplinas habeat, vt aptius, & conuenientius parari possit. Nam ex sententia Aristotelis hoc loco videtur: prius alias disciplinas esse parandas, vt per eas iuuenes dispositi ciuilis facultatis idonei auditores possint euadere, ob cuius defectū à lectione morum eos nunc reiicere videtur. Idem præterea videtur indicare ordo librorum quos Aristoteles reliquit. Nam illi qui de philosophia naturali conscripti sunt, hos de moribus præcedere videntur: siquidem ex iis ad illos nos sep̄ remittit. Et ratio deinde idem postulare videtur: nam docetur illi, quanto interuallo ratio ipsa, viresq; animæ superiores sensum & appetitum dignitate excellant: ex quo statim sequitur ipsam in homine perpetuò debere dominari: quod hęc ciuilis facultas in primis presupponit: cùm eius potissimum munus sit, imperium hoc & rationis dominiū extollere, & magnificare: facultatesq; omnes sensitivas ē cōtra deprimere: ipsiūq; obsequentes reddere. Item in eo philosophia genere docetur: quot sint animæ partes, & quo ordine distributę, ad humanas functiones obeundas, omnes disponantur: horum autem cognitionis morali philosopho per quā necessaria est: vt quo subiecto gaudeat virtutes, quibus rursus potentissimis, seu facultatibus earum officia exerceri debeat, compertum habeat: primum ergo oportet, in phisicis disciplinis iuuensem exerceri, quām philosophiam moralem patrare contendat. Pro huius difficultatis expeditione animad ne disci- uertendum est: sciētias & facultates omnes adeò affines in- pline pa- ter se, & cognatas esse, vt mutuam inuicem operā ad sui ge- randae.. nerationem, & perfectionem requirant: ac mutuis deinde auxiliis ita se adiuuent, & perficiant, vt vel cęcutienti cog- natio-

# IN PRIMVM ETHIC. ARIST.

nationis vinculo (vt diximus) mixtas, & colligatas esse, manifeste pateat. Quod non alia probatione indigere videtur, q̄ propriæ conscientiæ cuiusque testimonio, qui aliquem progressum indisciplinarum aliquo genere fecerit. Nam quantumcunque facultatem aliquam perfectè adeptum fuisse, arbitretur: cùm aliis disciplinis deinde comparandis, animum apullerit, mediocriterq; eas assūctus fuerit: multò perfectius se antiquam, & priorem illam disciplinam tenere, ingenuè fatebitur. Ex qua doctrina hæc conclusio planè colligitur: eam disciplinam prius descendam esse, ac parādam, quæ minus aliarum opera, & functionibus indigeat, neq; ad sui acquisitionem quoquam pacto alias presupponat. Hac em̄ ratione distinctius, & facilius quælibet parari poterit, & ad sapientiæ culmen aptius quispiam peruenire: cùm à primo ad iru, & fundamento, per paulatinos progressus ad sapientiæ fastigium, & absolutionem, peruenire curerit: non autem contrà: in quo omnis rerum confusio consistit. Ex qua conclusione iam apertè sequitur, dialecticam, quæ omniū scientiarum instrumentum est, ob quod minus etiam earum operam requirit: primo loco descendam esse. Cui statim rhetorica coniungenda est: quia etiam ab aliarum scientiarū functionibus magis libera existit, Dialecticæq; sequax est: vt in procēmio suā rhetorica Aristoteles est autor. Quo etiā loco & poësis céseri poterit. Neque his obiat: quod perfectus orator ex sententia Ciceronis, omnium disciplinarum genere præditus, & ornatus esse debeat: vnde & postremum locum inter sciētias, cùm omnes presupponat, ars benè dicendi, obtinere videtur. Hoc tamen conclusionem positam nullo pacto inficit. Nam si ita esset, vt predicta ratio docet: apertere sequitur: nunquam vel solum in fine vitæ, quantumuis aliquis diligens literarum cultor existat, oratorem euadere. Cum prius omnes sciētias, quas oratoria ars pro materia requirit, discere, & parare debuisset: & tūc demum artem rhetorica, præceptaq; benedicendi ediscere, atque eadem exercere, quod omnino absurdum est. Est igitur ordine positio hæc ars discenda. Cuius præcepta cùm semel tenueris, & ad alias disciplinas te contuleris, materiam semper parabis, qua eadem præcepta aptè exercere possis. Quod diligēter facere curabis

# COMMENT. CAP. III.

55

curabis: quo exhibito tandem sapiens & orator euades, vt docet Cicero in partitionibus, atque in de oratore. Propter eādem etiam rationem mathematicæ facultates statim post prædictas artes, descendæ sunt: ab aliarum enim functionibus maximè sunt exemptæ. Item quia cùm res à materia sensibili sciēntias tractent, plurimum imaginatione indigent: qua iuuenes maximè valere dicuntur. Vnde iam ad nostrū propositum sequitur: ante scientias naturales, vt metaphysicam etiam includamus, sciētiā hanc morum rationibus adductis non obstantibus, discēdam esse. Minus quippe iuxta rationem positam aliarum ope indiget, & quia magni etiam momenti & ponderis ad cæteras disciplinas aptè parādas existit. Siquidem appetitum rectum hæc facultas suis virtutibus facere habet, à quo omnis rectè iudicandi, veritatemque liberè contemplandi, aptitudo primò emanat. Sed quòd minus etiam aliarum indigeat, manifestè patet: ratios (quas adduximus) eādem oratione soluendo. Atque in primis dico: quod & si hæc ciuilis facultas perfecta, & omnino absoluta, sine aliis haberit non possit, vt planè suadere videntur argumenta adducta, ad mediocrem tamen, & sufficientem morum institutionem, & cognitionem parandā, sc ipsa absque aliis sufficit. Præsertim quòd cognitio naturaliū scientiarū (quam præsupponit) non specialem tractatū requirit: sed tantum admonitionem quandam: quæ præceptoris ope facilè constare poterit, qua præsupposita, aptè à quo quis singula quæ hæc facultas tradit percipientur. Item si ætati iuuenum non aptè huiusmodi morales scientiæ conuenirent, sequeretur: quòd cùm virilem ætatem quis assūtus esset, quæ operatiua est, & multis officiis inter homines præstandis idonea: tunc eorundem officiorum cognitione occupari debuisset, arque artem tunc rectè agendi discere: quando agere debuisset, quod absurdum est, & maximè cœti illi importunum, atque hominibus ipsis aliis negotiis, & operibus, quæ tunc pro ætate præstare debent: distentis, per graue & molestum. Item sequeretur: fœminas, & cæteros homines, qui cultui literarum non incumbunt: ex virtute minimè operari posse, neque studiosos euadere: quod omnino absurdum est. Imo eorum quilibet in quantum debitè operatur,

operatur, felicitatis ciuilis, & humanæ particeps ab Aristotele censetur, afferente in libris de republica, cam ciuitatem in qua mulieres studiose non sint, in dimidio à felicitate deficere. Non igitur ad felicitatem humanam comparandam, quæ hoc libro traditur, aliarum scientiarum cognitio necessaria est: & si ita sit, quod eius perfectio, & absolutio aliarum scientiarum cognitione maximè etiam gaudet. Neq; prædicta assertio Aristoteli obiat, iuuene à sua lectione excludenti: nam de iuuene omnino fero, & indomito, qui neque educatione parentum, neque magistri institutione, rationis freno aliquando parere consuevit: neque eius quod bonum & honestum est, quoquam pacto spiritus aliquando concepit: nam hoc sufficeret, vt frugi auditor esset, secundum quod explicatus infra Aristoteles docet, hoc loco sermo habetur. Vel dicamus, vt (suprà etiam exposuimus) cùm de iuuene hoc loco in idoneo moralis philosophiæ auditore, Aristoteles mentionem fecit: contra eos tantum sermonem conseruisse, qui cuncta iudicio sensus omnino discernenda esse iudicabant.

## CAPVT QVARTVM.

**N**unc iam dicamus repetita oratione, quoniam omnis cognitione, omnisque electio bonum quoddam appetit: quidnam illud sit, quod ciuilem appetere dicimus: quidq; illud, quod omnium agendorum bonorum summum est. De nomine sanè inter omnes ferè constat. Nam & plerique & elegantes felicitatem id appellant: & felicem

felicem esse idem, quod benè viuere, beneq; agere esse opinantur. De felicitate verò, quæ nam sit, dissentunt. Neq; simili modo & vulgaris & sapientes eam definiunt. Nonnulli enim aliquid ex ijs, quæ euidentia, manifestaque sunt, vt voluptatem, vt diuitias, vt honorem: alij aliud eam esse dicunt. Sèpe etiam fit, vt idem de ea diuersa opinetur: cùm enim ægrotat, sanitatem: cùm pauper est, diuitias summum bonum putat, qui autem ignorantiae conscienti sibi ipsis sunt, eos admirantur, qui magnum quid, ac supra vires suas referunt. Nonnulli verò præter multa hæc bona, aliud quoddam per se bonum esse existimarunt: quod esset in causa, vt omnia etiam hæc bona sint. sed omnes velle opiniones exquirere superuacaneum fortasse est: satisq; erit, si eas solum modò inuestigemus, quæ extant maximè, ac supereminent: vel videntur rationem aliquam in se habere. Neque tamen illud nos lateat, differre inter se disputationes, quæ vel à principiis fiunt, vel ad principia. Rectè em. etiam Plato de hoc dubitabat: quærebátque, vtrum ne ab initijs, an ad initia via esset: perinde atque in stadio, à munerarijs ne ad metam, an è contrariò. Nam à notis est incipendum

dum. Ea autem duobus modis sunt, alia emi-  
sunt nobis, alia absolutè ac simpliciter nota.  
Fortasse igitur ab ijs nobis est incipiendum,  
quæ nobis nota sunt. Quocirca benè morib⁹  
institutus esse debet, qui de honestis & iustis,  
ac omni deniq; ciuili rc est conuenienter au-  
diturus. Principium enim est, quod sit: atque  
id si satis constiterit: nihil amplius erit opus  
indagare, cur sit. Et qui eiusmodi est: vel iam  
habet: vel accipere principia facile potest,  
cui verò neutrum horum adest: hesiodum au-  
diat hæc dicentem:

*Optimus ille, potest qui ex se cognoscere cuncta.  
Ille bonus, monitis qui aliorum obtemperat. at qui  
Ex se nec nouit, nec quæ benè consulit alter  
Percipit, admittitq; animo, est ignauus inersq;.*

**A**bsoluto proœmio, h̄ic iam rei tractatio incipit,  
atque illius boni: quod primo capite proposuit,  
disputationem hoc loco inchoat, vbi postquam  
de bono, & fine humano quæstionem, an sit de-  
finiuit: quam sedem & subiectum idem bonum  
habeat, quidq; sua substantia & ratione sit, inquirit. Nam  
quæstio hæc secundum locum obtinet earum, quæ ab his,  
qui exactè & diligenter re aliquam disquirunt, primò absol-  
uendæ sunt, iuxta ea, quæ secundo libro posteriorum Aris-  
toteles tradit. Dictam tamen disputationem exordiens, ean  
dem propositionem repetit, quam in initio ipso constitue-  
rat, id nempe bonum se inquirere dicens: quod omnem co-  
gnitionem & actionem illic appetere constanter assuer-  
uit.

uit. Quod nostram sententiam in expositione illius loci po-  
sitam euidenter confirmat. Quia tamen rerum ordo id exi-  
git (secundum quod Aristoteles docet primo libro de cælo)  
vt qui de re aliqua proprium iudicium & sententiam pro-  
ferre debeat, prius de ea re contendentes audire, & eorū ra-  
tiones perpendere & examinare oporteat, in hunc namque  
modum inquit: Nūc dicenda magis credentur, si sententia-  
rum earum, quæ in controversiam veniunt, iura prius fue-  
rint audit, absentes enim cōdemnare minus videbuntur:  
etenim eorum, qui satis indicauerint veritatem, non aduer-  
sarios, sed arbitros esse oportet. Hac igitur ratione de huma-  
no bono, ciuiliq; felicitate sententiam propriam Aristote-  
les dicturus, prius antiquorum opiniones de ea re his duo-  
bus sequentibus capitibus in medium profert, eorumq; iu-  
ra audit, rationesq; contendentes perpendit, & examinat.  
Vt autem ordinatè iuxta docendi præceptū à genere ad spe-  
ciem sermonem deducat, primum in hoc capite (in quo om-  
nes antiqui de ciuili felicitate disputantes conuenierint, & in  
quo rursus dissenserint) proponit. Secundo loco huius occa-  
sione modum, quo rationes tam confirmantes, quam con-  
trarias conclusiones excludentes construi debeat, edisserit:  
vt iter, quo in posterum procedendum sit, planum auditori  
faciat: de quo etiam nonnihil docet, quale ingenium portissi-  
mum in eo desideret, explicando. Hanc igitur conclusionē  
primo loco statuit: omnes scilicet antiquos, qui de bono hu-  
mano aliquando mentionem fecerunt, nomine ipso, quo  
res appellaretur, conuenisse: de sede autē & subiecto, in quo  
resideat, & à quo felicitas ipsa sit petēda, vel quam maxime  
dissensisse. Quorum primum hac ratione ostendit. Quia si-  
ue per nomen simplicem dictionem, (quæ rei, cuius est no-  
tio, contracta quædam definitio dicitur) intelligas: siue cuius-  
dein rei definitionem, (quæ explicatum nomen continet)  
omnes vnamiter felicem eum appellarunt, qui benè bea-  
teq; viueret, & felicitatem ipsam oratione hac (bene scilicet  
beateq; viuere) sufficienter explicare, eiusq; naturam inte-  
grè comprehendere tam vulgares, quam docti & elegantes  
homines existimarunt. Quo planè constat eos ad felicitatis  
cognitionem parandam (quod in quavis disputatione ob-

*Veritatis  
indagato  
res nō ad  
uersarios  
sed arbit-  
ros esse  
oportet.*

*Nomē rei  
eiusdē fi-  
nitio.*

# IN PRIMVM ETHIC. ARIST.

seruandum est) in pace & cōcordia primum gradum fecisse. Quare primum constat, quo pacto scilicet in nomine ipso felicitatis omnes conuenēre. Secundum etiam, in quo scilicet discrepauerint, iam offendit. Nam de re, in qua tale bonum propriam sedem haberet, satis varia fuit eorum sententia. Vulgus namq; seu pleriq; (quippe numero multitudinis semper gaudet) à sapientibus, & his, qui eruditione, elegātia, & sermonis lepore p̄r̄ cāteris valent, maximē (inquit philosophus) dissentient. Nam plerique in rebus manifestissimis, quā sensu percipiuntur, eiusq; maxime iudicio probantur, felicitatem collocant: sapientes vero, vt Plato, eiusque sequaces in bono quodam vniuersali ab inferioribus bonis separato, (quod tamen causa sit, vt quā apud nos sunt, bona fint, & appellantur) bonum humanum & felicitatem ipsam constituerunt. Vnde constat, quantum in ipsis rei esse, & substantia inquirenda discrepauerint, & si in nomine, & appellatione ipsa vñanimes antiqui conuenerint. Quippe nec tantū vulgares à sapientibus (vt nuper assertum est) inquit Aristoteles, sciuncti sunt, sed pleriq; ipsi inter se pro varietate & diuersitate rerum, quibus maxime delectabantur, aut quarum copiam vehementer desiderabant, & indigentia contra premebātur, perinde in hac vel illa re felicitatem respondebant, quam etiam rem, vt Deum quandam venerabantur, & colebant. Vnde ambitiosi in honore, opulentī & copiosi homines in diuiniis, voluptuosī in voluptatibus, quia his maxime oblectabantur, felicitatem constituebāt: & rursus secundum quod eorum quisque huius aut illius rei vehementi desiderio tenebatur, è contraq; eius indigentia vexabatur, in ea totam suam confidentiam; perinde ac felicitatē collocabat, secundum quod de pluralitate Deorū apud vulgus ipsum Plinius lib. secundo naturalis historiæ sentit. Qui postquam infinitum Deorum numerum recepsuit, inquit: Quid fragilis & laboriosa mortalitas in partes ista digessit, infirmitatis sute memor: vt portionibus quisq; coleret, quo maximē indigeret. Ita nimirū felicitatem non solum plures homines multis & variis rebus adscriperunt, sed unus atque idem homo pro status, & appetitus mutatione modò in re hac, modò in illa tandem constituebat, sic vt cum aliquis

# COMMENT. CAP. III.

58

quis pauper esset, diuinitas vs felicitatem desideraret, cūm au tem eger, sanitatem diuinitis posthabitis. Neque solum isti sic de felicitate censem̄bant, sed eam rem, cui coniūctam esse cernebant (quod maxime impium est) vt Deum quandam celebant, diuinisq; honores illi impendebant: quod planè sequebatur, ad eam siquidem rem omnes suas actiones referebant: suāmq; virtutem & fiduciam, omnem denique spem sui in ea collocabant: summo nimis oblectamento semper ipsam futuram existimantes. Pro Deo igitur cuique sic sit appetenti talis res erat. Vnde omnes auaros tanquam à Deo suo à diuinitis possessos, auaritizq; somno cōsopitos his verbis propheta damnauit, cūt inquit: Viri diuinitarum dormierunt somnum suum, & nihil inuenérūt in manibus suis. Et beatus Paulus voluptuosos homines, sensuq; ac esculetorum & poculenterum voluptatibus deditos, ventris vt sui Dei, cultores appellat: Quorum Deus inquit: vēter est. Quibus testimoniis manifeste sententia posita comprobata est, quodd ea res scilicet cuiq; pro Deo sit, quam suarum actionum & appetitionum finem vñtimū constituerit, & quā suā vitā felicitatem existimauerit: vt vel hac ratione omnes auari, in honesti, & ambitioni homines, qui continud corpori indulgent, & quā solū ipse consentiunt, semper amant, quam censuram eorum vita subeat, in quamq; ipsi miseriā, & seruitutem miserrimē sint prolaphi, in propriam ipsorum confusionem planè intelligent: atque sic intelligētes in meliorem frugem vitam ipsam studesat commutare. Maxima ergo dissensio de felicitate ciuilis vita inter plebeios, vulgaresque ipsos homines extitit. Quod ea de causa huiusmodi hominib⁹ contingit, quia illa, quā nesciunt, se scire nimirū existimant: à qua ignorantia (quā propriæ inscītia dicitur) vti à p̄senni fonte, quācunque hominum falsa & vanæ opiniones sunt, profiscuntur. ob quod maximē disciplina indigēre videtur, vt ea redarguti, in verasq; rationes se erigentes, erubescant, atque ita repulsis veræ doctrinæ impedimentis, idest falsis opinionibus conceptis, ad veram scientiam & cognitionem amplectendam, idonei euadant. Neq; alia p̄ter illa, quā vere noscum, nosse se amplius arbitrentur. Ut hanc fane ratione perinde ipsorum animi curentur,

H 2 atque

*Finis à  
peñimis  
homini -  
bus cōsti-  
tutus, tan  
quā Deus  
quidā ca-  
latur.*

acquē corpora à péritis médicis: Quæ non prius salubribus epulis nutrienda tradunt, quām impedimenta morbum efficiētia, radicibus inde pellantur. A lii autem sunt, qui licet inter plerosque computentur, non tamen ea in sc̄itia, qua superiores laborant, vt existimant se scire, quæ nesciunt: sed sibi consciū sunt à vera scientia, atque doctrina deficere. Vnde & sapientiæ studiosi sunt, ciusq; maximè cupidi, ita vt sapientes semper admirantur, ad eorum dogmata, & instructione spectantes. Quod supra quām ipsi possint, cognoscant, & differant. Quapropter hi longo intervallo superioribus antecellunt, ad id, siquidem, quod verum est, veramq; rerum cognitionem accipiendam, paratos se exhibent, quod superiores omnino renuebant.

Neque tamen illud nos latet. &c.

Iam id, quod secundo loco proposuimus, constructionem scilicet rationum, quibus ad aliorum sententias infirmādas, propriam verò confirmandam v̄tetur, nos admonet, hancque conclusionem constituit: licet ita sit, quod ratiōnes & disputationes, quæ ad principia, vel à principiis procedunt, vi & efficacia magnam differentiam admittant: his tamen præsenti disputatione vtendum erit, quæ ab actionibus, & effectibus ipsis ad principia & causas progrediuntur. Priorē partem autoritate Platonis fulcit, qui recte inquit: dubitabat, an via ducendi, doctrinamque aliquam tradendi, vñendum sit rationibus, quæ à principiis & causis desumuntur, an his, quæ ab actionibus, rebūisque effectis ad principia pergū? Quod & exemplo illustravit, vt in stadio inquit: licet idem spatiū sit à munerariis & his, qui premia ponunt, (qui principii & initii locum tenent) ad metam seu stadii calcem, & è contra: cursoribus etiam hac vel illa ratione cursum attrahant, multum refert. Nam lōge velocior agitatio cernitur, cùm ad munerarios, & principium contentionis spe brauiū præcipiendi, cursus dirigitur, quām si è diuerso disponatur.

*Quaeratio currēdi in chriſtiane ritate cursu.*  
Quam celerem, & contentiosam currēdi rationē in Christianæ ritæ stadio obnixè nobis commēdauit beatus Paulus, in epistola ad Philippenses. cap. 3: cùm inquit: Vnum autem: quæ quidē retro sunt obliuiscens, ad ea verò quæ sunt priora.

ra extendens me ipsum, ad destinatum persequor, ad breviā supernā vocationis &c. quod prius etiam Corinθios docuerat. Perinde igitur dicendam erit, de rationibus quæ in disputatione aliqua, & docēdi ratione ad principia tendūt, vel si à principiis ipsis eadem proficiscantur, longe ante se vi & efficacia differte. Posteriorē verò partem, (quæ huius dubitationis definitio existit) sic Aristoteles ostendit. Ratio docēdi à cognitis & manifestis nobis ad ea, quæ incognita, & abditæ sunt, ducere habet. Ita enim natura compātum est, vt per ea, quæ nobis notissima sunt ad ea, quæ recōdita & abstrusa latent, manu ducantur. At ita est, quod ex virtute actiones, & operationes humanae, nobis notiores ipsa felicitate existunt: vtpote quæ semper oculis subiiciantur: & non item felicitas, quæ principium finale, atque ob id effectuum earum est: rationes igitur, quibus in frequentibus vñemur, (vt rectam docendi viam obseruemus) ab actionibus ipsis humanis sumendæ sunt, atque ita per eas ad felicitatem, (quæ earum causa & finis existit) ascendendum: & ad ipsarum etiam virtutum cognitionem, quæ principia effectiva studiosarum operationum similiter existunt. Felicitas nimis, quæ finis humanarum operationum assertur: vt virtutes ipsæ principiū effectuum & formale: quia earundem actionum causæ sunt, vimq; efficiendi continent: simpliciter & secundum naturam ipsis actionibus antiores existunt: ipsæ autem actiones nobis: vt singularia quedā, & quæ nostris sensib⁹ continuò contemplanda se offerant. Iure igitur ad felicitatem ipsam commōstrandam, cognitionēc⁹ ipsius afferandam, ab actionibus depromuntur argumenta: vt facile ab omnibus percipiantur, & tradeādis in hoc operare, omnes spontaneos auditores se exhibeāt. Est tamen hic obseruandū: prædictā Aristotelis definitionē modū docēdi à notioribus p̄scribentē: Platonis etiā extitisse sententiam quā tamen nō aperte propalauit, sed quæstione mota, & in vtrāq; partē agitata, indiscussam reliquit: quia academia spe cialiorē definitionē eo tempore nō patiebatur. Quod in causa fuisse crediderim, vt Aristoteles dubiū hic determinare, & specialiter definire statuerit. Vnde & verbum fortasse ad iecissim etiā suspicor: vt sermonē attēperarer, & cōmuni con-

fuerudini suæ ætatis moré gerédo, ceteros philosophos sibi, fuisq; scriptis vel hac ratione cōciliaret. Qua etiam de causa hanc phrasim loquendi suis operibus semper obseruauit, vt cùm rei alicuius mométi & pôderis definitionem exhibeat, verbis his, quæ modestiam quandam, & cunctationem præ se ferút, continuò vtatur: vt videtur, fortasse, & similibus: & etiam nonnunquam interrogatione: cùm ex professo alteram partem questionis definiat. Vt in sequentibus passim videntur, & in initio etiam ptoemii fecit, cùm omnem humanam actionem constitutum finem semper appetere constanter afferuisse, verbo tamen (videtur) vñus est.

Quocirca bene moribus institutus esse debet, qui de honestis & iustis. &c.

Ex his quæ immediate dixit, infert Aristoteles, quod tertio loco proposuimus: qualē scilicet auditorē hīc sibi optet, & desideret. Sed statim occurret aliquis, in superiori capite de auditore moralī lōgū sermonē philosophus cōtexxit: quorū ergo hoc loco eundē repetit? Atq; similiter obiicere poterit cōtra id, quod immediate antè in hoc capite de modo procedēdi & docēdi dixit. Nā ex professo intertio capite idē docuerat: atq; eadē toties inculcare ignauum autori, & ipsis auditoribus per molestū sānē est. Ad quæ facile respōdetur, q̄ magno artificio & semper sui similis hīc etiā Aristoteles incedit. Quippe & si eadē materia hīc & in locis superioribus subiiciatur, lōge tamē alia ratione hīc, & ibi disserit. Nā de modo procedēdi, figura quadā, craſſāq; minerua, nec exacto modo, promisit se omnia supra traditurū. Cū autē hæc in genere dicta sint: & sub perspicuo, & non exacto modo procedēdi plures rationes doctrinæ (vt ex dialecticis patet) includātur: reliquū fuit, vt ordinē doctrinæ seruando, à generē ad speciē descendendo, vt idē peculiarius hic traderet. Quod & præstítit: genus rationū, quibus in futura disputatiōe vñsus est, explicādo. Vel secūdo & forsan mēti Aristotelis magis consonū, dicendum arbitror: q̄ quia immediate promiserat, se in ipso operis vestibulo cū aduersariis acturū: quod disputādi genus exactas rationes propter quid, & omnino intellectū cōuincentes requirit: vt idē Elenchorū lib;

primo.

primo docet: ideo ne hīc insufficientis processus redargueretur ab illo, cui eius rationes minus efficaces, (quia causam nō dicent) viderētur: operē pretiū hoc loco duxit, lectorē ipsum admonere, rationibus planis & à rebus sensui subiectis in hac controuersia se esse vñsurū. Quoniā etsi lucta cum aduersariis conserta, exactaq; disputatio, exactius etiā disserēdi genus postulare videatur: subiecta tamē materia id nulla ratione permittit: vt latius in superioribus cōmonstratū est. Quare vt omnibus huius facultatis studiosis cuiuscunq; ingenii & eruditioñis sint satisfaceret, secundum exigentia subiectæ materiæ sermones, & rationes omnes, se in postertū temperaturū promisit. Aliud itē, quod obiiciebatur, facile etiā soluitur. Nā doctrina id exigēte: eleganter hoc etiā loco de auditore morali mentionē facit. Quoniā in superioribus tantū quos auditores à sua lectione reiiceret, docuit: docendū aut̄ supererat, vt quos etiam aptos & idoneos iudicaret, quosque ipse deligeret, & desideraret, nobis exponeret, quod præsenti loco eleganter exhibuit. Quare nulla est ciusdem sermonis inutilis repetitio. Sed iam ad explicationem loci veniamus. In quo Aristoteles hanc conclusionem statuit: bene moribus institutū esse oportet, qui ea, quæ de moribus hīc tradentur, probē est iudicaturus. Quare principio videndum est, quem bene institutum moribus philosophus censeat, vt probē eius mens percipiatur. Vbi quia vt aliás ipse docuit: contrariorum eadem est disciplina, considerandū primò est, quē maiē moribus institutum sentiat, vt inde eius contrariū ad nostrū propositum deducamus. Atq; in superiori capite eū inutilem auditorē iudicauit, qui ex praua cōsuetudine ad ea, quæ corporis sunt, sectanda, proclivitatē habet. Quia is tantū ea amplectetur, quæ corpori cōsentanea videbūtur, atq; ea solū libēter accipiet: ad virtutes ipsas, atq; res honestas eligēdas, grauatione quadā, atq; corporis torpore, & pondere oppreslus, cōtinuò iacēs. Atq; eundē in modū is, qui rebus honestis insuetus, minimeq; expertus est, vel quia breuiori tēpore, q̄ oportet, iisdē est exercitat⁹: vel quia quadā naturæ tarditate ipso corpore est cōsopitus, ab eiusq; somno nulla accedente parentū aut magistri admonitione, nunquā est excitatus: nec quauis alia ratione rerū honesta-

H 4 rum

*Quis idem  
ius hu-  
facul-  
tatis audi-*  
**cum cupidus aut studiosus factus: qui etiā vt iuuenis & inuti**  
**lis auditor supra explosus est. Ex quibus patet id, quod quæ-**  
**rimus eū hīc bene moribus institutū Aristotele censere, qui**  
**rebus iustis & honestis, omniq; actione, quæ in cōmuni ho-**  
**minū societate frequens est, exercitatus, & assuefactus exis-**  
**tit. Nā hinc consequens est, vt de eisdem rebus rationes dis-**

**ferentes libenter audiat: ac de eisdē etiā traditam doctrinā**  
**percipiat: quia suæ nimirum consuetudini maximè conser-**  
**tiant. Et item eū, qui licet ob defectū ætatis non usque adeò**  
**sebus honestis assueverit, mediocriter tamē eisdē instructus**  
**est, ita vt differentiā, & distantia eā, quæ inter honestas & pra-**  
**reas actiones intersit, aliqua iā ratione cognouerit, atque eo**  
**pacto ad honestas amplectendas propensionem quandam**  
**acceperit, earumque rerum cupidus magis, & studiosus exis-**  
**tat. Siue id contingat ex iusta parentum educatione, siue pe-**  
**dagogi, aut magistri proba institutione: quæ pueris ipsis fa-**  
**cile inseritur. Qua explicatione vt fundamēto iacta corolla**  
**riū, siue cōclusionē posita sic aristoteles suadet. Quia inquit:**

### Principium enim est, quòd sit,

**Idest, (vt ante diximus) quia initium disputandi facimus,**  
**rēmque ipsam incipimus: ab actionib; humanis, quæ à vir-**  
**tutibus simul & felicitate efficiuntur: à quibus omnes ratio-**  
**nes pro disputatiōne sequenti, desumentur.**

### Atque id si satis constiterit.

**Inquit: idest, si is qui audit, iisdem assuefactus est, beneq; in-**  
**stitutus, (cū ex superioribus secūdū cōsuetudinē auscultatio-**  
**nes siā) facile, quæ dicētur, percipiet, & eisdē absq; repugnan-**  
**tia credet. Quare subdit. Neq; amplius opus est indagare.**

### Cur fit.

**Hoc est dictis rationib; & ostēsionib; cōtentus, demonstra-**  
**tiones propter quid, & potissimas causas, propter quas.**  
**res ita se habeant afferētes, eisdēq; innitētes, minimè requi-**  
**ret. Ad quas causas afferēdas, ex ipsisq; demōstrationes pro-**  
**cedētes cōstruendas, totā animē substantiā, mentē scilicet &**  
**rationē, cū omnibus aliis potentiis, ex philosophia naturali**  
**pfecte cognoscere oporteret. Vbi plane indicatur quod su-**  
**pranos afferuimus: doctrinā morū, scientiā ipsam naturale**

&amp;

**& metaphysicā quæ per seētē ea, quæ de anima diximus, tra-**  
**dūt, p̄cedere debere. Siquidē hac ratione à demōstratiōibus**  
**dicētibus cur est, hīc philosophus se abstinet. Quibus consti-**  
**tutis planē cōstat, eo modo quo diximus: probē moribus in-**  
**stitutū auditorē esse oportere, vt lectio & auscultatio huius**  
**doctrinē ipsi sit profutura. Quā cōsequentiā Aristoteles p̄-**  
**bat: quia qui p̄dicto modo institut⁹ accedit, principia huius**  
**doctrinæ ex se habet, vt illud, bonū semper esse agendū, ma-**  
**lū vitandū: quęcūq; volumus, nobis faciat hoīes, eadē & nos**  
**ipsis faciamus: & cātera similia: vel si nō habuerit, facile &**  
**absq; repugnātia ab ipso p̄ceptore accipiet. Quibus adeptis**  
**necessario à principiis ipsis ad assensus cōclusionū ducētibus**  
**spōtaneus deueniet. Qui verò ex se, atq; ex domo ipsa, prin-**  
**cipia cognita nō affert, neq; ita dispositus est, & cōstitutus, vt**  
**ea facile capiat à p̄ceptore proponente, & terminos ipsis**  
**exponente, in utilis auditor huius disciplinæ profectō acce-**  
**dit. Quod sententia Hesiodi: quā ex libro, qui opera & dies**  
**inscribitur, citat. q̄ si ignauus inersq; ad culturā animi oīno-**  
**est, operēptiū illi erit: corporis robur exercere, & seruili, rus-**  
**ticoq; operi, se accōmodare quib⁹ litera ipsa capitis finitū.**

**Est tamen vt clarius quę diximus, percipiāntur, aduerten-**  
**dūt: propositionem illam**

### Principium enim est, quòd sit.

**Quā ad disputationē, & tractationē, per ratiōes ab actioni-**  
**bū vim ducentes, à quibus hīc Aristoteles exorditū, retuli-**  
**mus: aliter & forſitā nō minus aptē explicari posse, ita quòd**  
**Principium**

**Nō ad disputationis modū, siue rationē doctrinæ referatur,**  
**quæ talē auditorē, quale depinximus, exigere videtur: sed ad**  
**ipsum tantū auditorē. Sic vt pro primo huius doctrinæ prin-**  
**cipio accipiatur, quod ita in primis requisitū in auditore ipso *Geminū***  
**fit, vt absq; eius cognitiōe nullus in hac doctrina morū, gra-**  
**dū aliquē facere possit. Id autē principiū duplex est, intrinsec- *ad hanc***  
**sciētiā eū & extrinsecū: internū principiū auditoris est, propēsio & capessē-**  
**inclinatio illa appetitus in bonū finē: qua existēte tanquam dā princ-**  
**norma & regula primō dirigēte, omnibus propositionib; piū, in au-**  
**quę secundū exigentiā propositi finis adducētur, creder: vn ditore re-**

H. 5 de quīstū

de & virtutes, & omnia, quæ ab illis proficiuntur, tanquam media necessaria ad destinati finis aſſectionē, libeſter amplectetur. Itaq; ſenſus erit: q̄ diſtū principiū quilibet docēdus, ex ſe habere debeat, atq; ex domo ipta afferre. Externū dein de principiū eſt, finis ipſe propositus, eiusdēq; cognitio: qui extrinſecus ſui appetitiones excitādo, ita actiones oēs, omneq; vitæ iſtitutū ad ſe adducit, vt penes eius arbitriū omnes viuendi rationes ſemper tēperentur: quare & auditor moralis philoſophia ad eundē modū cūcta diſcernet. Hoc autē principium nullo pacto habebit, niſi moribus eo pacto, quo ſupra diximus: aptē iſtitutus ſit. Prēdicti igitur principii eſſe cōpotem, q̄ maximē necessariū eſt illi, qui doctrinæ ciuilis, utiſis & idoneus auditor accedere cupit. Eſt tñ diſfertia hęc inter hāc & priorē expositiōnē aduertēda: q̄ ſecundū hāc interpretationē, p̄prefata Aristotelis propositio immeđiatē antepoſitā cōclusionis cōfirmatio eſt, eius ſcilicet: **Quocirca bene morib⁹ iſtitutus eſſe debet.** Secundū autē priorē non iſtē: Sed illatio illa prēcipue conſimari videtur: ex eo (ſcilicet) oportere auditorē bene moribus iſtitutum eſſe, quia ab actionibus & rebus notiſimiſis, quas facile percipit, qui illis affuetus eſt: toto doctrinæ proceſſu, argumenta ſumenda ſint. Quæ differentia valde notanda eſt, vt ſententia Aristotelis clarius percipiatur.

Sed cūm tanti moſnēti ſit ad virtutis amplexū, moralēq; disciplinā, & omnē aliā doctrinā integrē percipiendā, p̄dicta appetitus in bonū propenſio, quæ poſt illud, quod naturę liberalitate largitur: & id iſup, quod aſſiduis orationibus, & precationibus, à Deo optimo maximo, iſis parentes filiis impetrāt, cū ex optima educatione & iſtitutione pendeat, qualis hęc eſſe debeat: vt à procliuitate illa iſenſa, ad proportionē honesti, p̄cipue parentū educatione, qui adeò tenerimē filios amāt, auocētur: & ſi hoc longiore disputationem, ſpecialeq; tractatum requirat: obiter tamē vt magis litera Aristotelis explicetur, lectori q; etiam ex parte aliqua ſatisficiamus: & cōmune iſup omniū deſideriū q̄ optimē filiis proſpiciendi, adiuuemus: admonitione quadā hoc perſtrinere consentaneum duxi: pro eo tempore tantū, quo non dum filiorum cura præceptoribus & pedagogis demādata eſt

eſt. Quare ſolū proponam in genere & figura quadā, quę ad iſos parentes attinere videntur, vt hominibus (cuiuſuis ſtatus & cōditionis ſint in republica) ex equo deſeruire poſſint. Cetera ad librū ſeconomicorū &. 7. Politicorū relegando. Atq; in primis immodiſus parentū amor, quo indulgentiſiſi filios proſequuntur: omneq; deliciarum genus iſis procurant, & ſi intrinſecus ardeat, extrinſecus ramen omnino moderandus & cohibēdus eſt. Cui rei plurimū hęc cōfereſte crediderim. Primū, ſi aduerterint amore illū, qui ad ſitione filij indulgentiā, atq; delicias, adeò impatiēter tendit, non à parenti verū amore eſſe, ſed concupiſcentiā quandā ſenſu affectibus excitatā: quibus etiā iumenta & pecudes, cetera q; bruta gendi animalia ſuos natos, & filios proſequantur. Quorū affectus ad corpora iſa filiorū nutrieda, & vegetanda, tanquam ad proprias iſorum partes ſolū extendit. Sed quid iā obſcro, tā abiecius & vilius, homo ducere debet, q̄ in ratione filios procreandi, & diligēdi, cum brutis iſis animantibus penitus conuenire, nec vno (vt aiunt) villo ſe ab illis ſurſum attoller. Quod non ſolum in iſorum parentum conſuſionem, ſed & in filiorū ignominiam, cum eorūdem etiam maximo detrimen̄to cedit: dum ea ratione liberos educant, ac ſi homines non eſſent, animāmque rationalem, adeò Deo optimo maximo chariſſimam non haberent: ſed vt partem ſui corporis præcise ſenſu præditam, atque vt effectum omnino & integrē ab iſis procedentē, ignoranter ſatis, & abieciſiſimē procurant. Meminerint ergo hi oportet, amorem verum rationis moderatione adeò gaudere, vt eō neglecto nomen iſum amittat, neceſſe fit. Considererent iſup, libris iſis corpus naturali quodā ordine tantū effeciſſe ac p̄ſtituiſſe: animam autē, men temq; iſam, quæ in homine p̄ſtantissimū quid exiſtit: Dei optimi maxiſi largitate abſque naturalis cauſa cōcurſu, creatā omnino extiſſe: vnde & in iſum Deū à quo totā accepit eſſentiā: tendere habet, omninoq; in iſum ſe tollere & cōuertere. Cui operi corpus iſum (quod hominis opus eſt) perpetuū famulari, & ancillari tenetur. Turpe igitur, & res abieciā omnino eſt, parentes iſos adeò indulgentia, & deliciis, corpus iſum natorum, laſciuire, & ſuperbiere facere, vt cūm diſcretionis, & prudētiaz tempus

tēpus adūtauerit, quo corporis adminiculo potissimū ani-  
 ma ad p̄dīctū munus exercendū vsura fit: indomitū ferū,  
 ac omnino iugo rationis ineptū, parentū culpa, penitus in-  
 ueniat. Vnde secundo loco maximē confert ob oculos sem-  
 per ponere, indomita ipsa sensus cupiditate, ac propria feri-  
 tate manente, iuuēt, atq; grandiori etate hominē constitu-  
 tū, cū perfecto prudētiz fonte semper careat: omni bestia  
 intractabiliorē tandem euadere. Insidiosissimus quippe, acer-  
 rimus, & petulantissimus bestiarū omniū, ipsa feritate indo-  
 mita id suppeditatē, cōtinuō cernitur. Quod elegatē politi-  
 corū primo Aristoteles adnotauit: cū hominē improbū, bru-  
 torū etiā animaliū pessimū esse afferuit, ob id nimis, q; in  
 eo armata iniustitia importunissima sit. Ad tantā igitur im-  
 manitatē vitandā, & vt suis etiā cōmodis parētes consulant,  
 dū sibi morigeros, & in omnibus obsequētēs filios faciunt,  
 multis frenis eos deuincire conabūtur: vt à fera & indomita  
 sensus natura (qua cōtumaces & repugnantes, vti immanes  
 quasdiā feras, se parentibus p̄bent) ad benignorē rationis, &  
 virtutū culturā ipsos reducere valeat. Quas ratiōes ad filio-  
 rū amorē moderandū, & iuxta rationis regulas regendum,  
 q; plurimū cōferre arbitrō: & ad eā insuper evitā, & diligen-  
 tia in filiorū educatione adhibendā, quā hoc loco philoso-  
 phus requirere videtur. Ex quib' optimē perspectis, h̄c ad-  
 monitio cōtinuō sequitur: delicias q; plurimū optimæ filio-  
 rum procreationi obesse. Difficiles naq; morosos, iracūdos  
 ac leui de causa excitabūdos, iuuēt mores efficiūt: sicut cō-  
 trā nimia, & atrox seruitus, abiectos, illiberales, atque ad hu-  
 manā consuetudinē ineptos reddit. Quorū causa est, quia  
 hic, nunquā magnū animū, nec ingenuo spiritus, quoquam  
 pacto cōcepit: ille verō, quia nec muscæ strepitū, molestia a-  
 liquādo affectus fuit, quando omnia pro consuetudine, nō  
 suppetunt, facile affectus, qui voto semper potiri consue-  
 rūt, permouētur: quo rationē ipsam à propria sede eiiciētes  
 qui illorum mos est: à propria dignitate cōtinuo hominem  
 deturbat. Sunt igitur, quātum ad deliciarum genus spectat,  
 ita liberi educandi, vt paulatim cupiditates, & affectus oēs,  
 superare discāt, & ad id semper in posterū faciendū, cōsueta-  
 dinē parēt. Secūdo loco sequitur obscēnos & futiles cātus,  
 sicut

sicut nec ludos, pueris minimē esse permittendos. Facilē ete-  
 nim huiusmodi rebus affectus excitari solent: cū his, qui-  
 bus quispiam assuefactus sit, similia semper eligat. Quare si  
 huiusmodi res, voluntati corporis consentaneæ fuerint, ea-  
 runde statim ingenuum procuratorem appetitum ipsum,  
 ac sensus rationem habent. Cui rei (vt arbitrō) satis prospec-  
 tum crit, si à conspectu parentum effrenes, per vicos & pla-  
 teas minimē abire permittantur. In quo maxima cura adhi-  
 benda est. Nam pro aliorum libidine, fero etiam, & indomi-  
 to appetitu, cuiusq; concupiscentia (vti cotis cuiusdam attri-  
 tu) ad ea, quę sibi consentiunt, amplectenda, continuō acui-  
 tur: ac veluti ignis pabulo sibi apposito, semper nutritur,  
 crescit, & augetur. Qui abusus cum maxima pernicie, & im-  
 pudenter satis, communi cōsuetudine, impunē peruagatur.  
 Honestis igitur ludis tantū pueri exerceri permittentur:  
 quorum etiam solum copiam habebunt: atque ea moderatione,  
 vt à conspectu parentum, nutricis, aut alterius, qui do-  
 mi curam aliquam gerat, nunquam discedant: qui eorum lu-  
 dis, & consuetudine, modestiam, & incompōsitionem etiā  
 obseruet: vt pro ratione excessus statim puniantur. Castiga-  
 tio namq; maximē necessaria est, ne ea neglecta nimium de-  
 liciosi, propriam semper cupiditatem explentes, pueri reddā-  
 tur. Est tamen absque contumelia cum moderamine ratio-  
 nis semper adhibenda: ne abiectionis ratione, in iracūdiam  
 efferantur, animūq; ipsum ad magnas actiones despondeat.  
 Sed maximā suā indolis spēm semper indicando, omnesq;  
 item contribules magna sūtæ virtutis expectatione teneri: at  
 que consimilia producendo: quę & animū, & magnos in-  
 super spiritus concipere faciunt. Quibus & magnum virtu-  
 tis ornamentum cupere incipient: atque ad ipsum aspirare.  
 Tertio loco danda opera erit, vt honestis laboribus exerceāt Otiū fu-  
 tur, commodisq; rebus semper occupentur. Maximi quip-  
 pe hoc momenti est, ad stimulos quosdam virtutis percipiēt nānibil  
 dos. Lasciuia enim corporis, quę otio luxuriat, & succreticit: aagentem  
 hac ratione coercetur, & temperatur. Nam cū ab exterio-  
 ribus rebus obiectis, affectus aliquis motus, agitationem & re impos-  
 perturbationem intulerit, exterior motus, (quo impeditus sibile  
 & occupatus est) internum illum futiosum, & terribilem,  
 vincet

Obscani  
 & furiles  
 cantus in  
 pueri vi-  
 tandis.

vincet, atque sic affectus superare incipiet: quod ad iter virtutum sternendum, non parum negotii est. Quapropter tempore etiam infantiz, quam minimum dolore, metu, tristitia pueros affici conandum est. Nam hac ratione pacatior, & tranquillior pueri animus reddetur. Atque si semel affectus ea aetate, qua facile quipiam imprimitur, & firmas etiam radices agit: inuaescere, & vigore experient, maxima cum difficultate a suo labore, imperio & dominio dimouebuntur. Legitimè ergo pueros occupari, ad bonam educationem maximè confert: & etiam ad ipsam sanitatem tuendam, aptis laboribus exerceri: potissimum primis quinque annis (secundum quod refert Plato) ubi plurimum solet nutrimentum affluere. Quod si hæc ita strictim facta, a parentibus in educatione filiorum obseruetur, si accesserit pedagogi, aut praceptoris institutio, sic moribus institutus iuuenis, & grandius aetate factus, ad ciuilem facultatem accedet, ut idem ciuilem auditor ab Aristotele compleatur.

## CAPVT QVINTVM.

**S**ed nos eò redeamus, vnde dicensi sumus. Bonum enim & felicitatem non absque ratione homines ex variis viuendi modis videtur existimare. Plerique quidem atque importunissimi voluptatem esse putant: vnde etiam fruitioni deditam vitam amant. Tres enim sunt quæ maximè excellunt vitæ, hæc, quam modo dixi: tū ciuilis, ac contemplativa tertia. Plerique igitur seruiles prorsus videntur, cum pecudum vitam

vitam eligant: ea verò ducuntur ratione, quia multi ex ijs qui in potestatibus sunt constituti, dissolutam, perinde ac Sardanapalus, vitæ traducunt. Elegantes verò & ad agendum idonei honorem esse felicitatem existimant: hic enim ciuilis vitæ ferè finis est. Sed hic tamet remotior aliquatulò ab eo ipso, quod querimus, bono videtur: magis enim in ijs qui honorem exhibent, quam qui eo afficiuntur, consistit. Bonum verò ipsum eiusmodi esse diuinamus: vt proprium quoddam sit, quod auferri facilè nequeat. Præterea sectari honorem ob id videntur, vt seipsi bonos esse credant. Querunt enim à prudentibus, & ab ijs à quibus cognoscuntur, & ob virtutem honore affici. Perspicuum igitur est, horum etiam ipso rum sententia, honore virtutem esse potiore: vnde fortasse etiam aliquis magis esse eam cí uilis vitæ finem existimaret. Sed imperfectior tamen etiam ipsa est. Videtur enim fieri posse, vt qui virtutem habeat, vel dormiat, vel in vita nihil agat: malis præterea affligatur, sitq; maximè infortunatus: cuiusmodi hominem sanè felicem appellari nemo, nisi qui seruare positionem velit. Ac de his quidem haecenus: satis enim etiam in circularibus de ipsis dic-tum

tum est. Tertia vita est cōtemplatiua, de qua in sequentibus considerabimus. Pecuniaria verò violenta quædam est: & diuitiæ neque ipsæ proculdubio sunt id quod queritur, bonum: sunt enim vtiles, alteriusq; causa comparantur: iccirco ea potius quæ prius dicta sunt, esse fines aliquis existimaret, sò quòd propter se expetuntur. Sed neque illa tamen videntur: licet multæ ad ipsa hæc coniectæ rationes fuerint. Hæc igitur missa faciamus.



A m in hoc capite. Aristoteles ad id, quod in genere superius de summo bono, humanaq; felicitate, secundum vatiam antiquorum sententiam proposuerat, specialius tractandum descendit.

Atque in primis quatuor opiniones recenset, quæ suo tempore celebriores extiterat, simulq; eas impugnat. Quia tamen ab hoc negotio, ad docendi modum, & ad eas insuper partes explicadas, quas in auditore exigeret: sermonem supra diuertit: ad idem nunc disputationis principium se conuertens, digressionē factam innuēs, verbo illo redemus vtitur. Atque in ipso disputationis principio, antequā singulas sententias referat, & discutiat, vna eademq; oratione omnes simul antiquos reprehendit, quod rem tanti momenti, vt summum bonum, humanaq; felicitas existit: non ratione, & methodo, quasi firma aliqua & stabili regula vt par erat: indagarunt: sed pro vario cuiusq; viuēdi appetitu, & libidine alii in vna re, alii in alia atque alia felicitatem sibi

*Ex variis viuendi modo vs. roris etiæ oris fines* constituerunt. Oportebat namque, finem ipsum totius humanae vitæ cardinem, non sensui, singulisq; hominum appetitionibus inuestigandum committere, sed rationi, eiq; partis, quæ in homine præcipuum ac potissimum locum tenet: atque totius vitæ gubernacula possidet. Sed postquam vitæ rectam

rectam id inuestigandi neglexerunt, ex modoq; viuendi, ac variis hominum appetitionibus finem inquirendum statuerunt, optime inquit: & magna cum ratione: secundum q; vi tæ, seu modi viuendi in varias partes dissecti, & distributi sunt, fines etiam ipsos digestos, ac in varias & diuersas partes felicitatem fuisse partitos. Etenim cum secundum exigentia finis constituti media, & actiones, atque vita omnis dirigatur, aptè secundum q; genus vitæ, & operandi, ab illo sciunctum, & separatum est, sciunctum etiam & separatum fine, seu felicitatem pro ratione vitæ afferuerunt. A fine siquidē ipso vita omnis regitur, & gubernatur. Secundum quam regulam quatuor de felicitate recenset opiniones. Prima est eorum, qui voluptatum fruitioni vitam omnino deditam amant: finem ultimum atque felicitatem ipsam voluptatem afferentes. Secunda est eorum, qui vitam ciuilem sectantur: qui secundum q; hæc vita in honorum, & virtutis acquisitionem partitur, ita honore, virtutem vt felicitatem, partiti & ipsi, coluerunt. Tertio loco qui contemplatiua vitam secuti sunt, in bono separato, vt Plato, eam posuerunt: sicut qui quarto loco pecuniis congerendis tota vita studuerunt, pecunias sibi felicitatem fore opere confirmarunt. Cuius sententiae in fine capitil philosophus meminit, ob id quod vio-lenta sit hæc vita, cum vim quandam naturæ humanæ inferre videatur: vt suo loco patebit. Voluptuarie igitur vitæ amatores, pro summo bono, felicitateq; humana, voluptatis assertores existunt. Qui à philosopho vulgus, & importunitissimi homines eo appellatur, quod in sectandis voluptatibus adeò frequentes, & impetuosislissimi sint, vt satiri, & quieti quantum vis ipsis indulserint, nunquam euadant, neque ab eisdem desistant: quinim d dum magis ad eas properant; voluptatum; iter celerius arripiunt, magis instabiles, inquieti, & earum sitibundi reddūt. Idem item & onerosissimi ab eo dicuntur: q; grauedine quadam, & inutili pondere, absq; fructu aliquo, tum irritatione quadam alios premant: tum etiam terram ipsam continuò calcibus conculcent: secundū q; eleganter horum quemlibet telluris inutile pondus existimat Homerus. Est tamen aduentendum, per vnlgus hoc pondo. Ioco Aristotelem non tantum intelligere homines è media

*Vulgus*. plebe, qui continuò huc atque illuc absque ratione, & rerū delectu temerè diuagentur, sed eos etiam qui & si literis parandis operam aliquam dederunt, appetitu tamen, & sensu iudicio, ad aliquid de felicitate hominis discernendum, perinde atq; inepti, & ignorātes homines ducti sunt. Quorum princeps Aristippus extitit: deinde Eudoxus, & Epicurus, qui pr̄cipui voluptatis assertores fuerunt. Quos etiam suo modo secuti sunt, Hieronymus Rhodius, qui in vacuitate doloris felicitatem cēsuit, & Carneades, qui in iis, quæ secundum naturam prima sunt, vt in pulchritudine, valetudine, & aliis huiusmodi, eam collocauit. Omnes enim ii ad voluptatis assertionem tendunt, quemadmodū & illi, quos in superiori capite pro varia terum appetitione, & indulgētia, varios, & diuersos in vita fines constituere dixit. Quare bant sanè omnes voluptatē, hac vel in illa re positam: quēad modum & hi, quos nuper recēsuimus. Meritò igitur varias sententias vulgarium hominum, & eorum etiam, qui dum literarum cultores se exhibuerunt, iudicio sensus, & vulgi ad felicitatem stabilendam ducti sunt, in vnam classēm philosophus reduxit, simulq; voluptatis assertores existimauit. Vnde omnes iam simul reprehendit, atque eorum sententiam his verbis excludit:

Pleriq; igitur seruiles prorsus videntur, cùm pecudum vitam eligant. &c.

Quo loco duæ insinuantur rationes: prima, quod vita hæc voluptuaria omnino voluptatibus subdita sit, atque proinde seruiles, & mancipiorum vitæ, quæ non propria libertate & voluntate, sed tantūm domini ducuntur, persimilis existat. Ratio etenim sensus & appetitus ancilla, & serua facta est: eorum quorum à natura imperatrix & domina est constituta. Atque hac ratione, propria hominis prauitate in misera seruitutis conditionem, à tanta spiritus dignitate deiecta est. Imo & ab ea prefectura, & dominio, quod in ceteras corporeas res in prima sui conditione accepit: cùm in ipsis iam proprium finem, & felicitatē constituat: vegetationi quandoquidem, & nutritioni, atq; ceteris sensuum voluptatibus, effrenatè indulgēdo, in brutum aliquod animal, aut plantam

plantam, moribus & vita, vt superius dictum est, vita & moribus euadat. At vita, quæ felicitati humanae viam parat, libera & ingenua est, ductūq; rationis semper agitur, iplosq; etiam homines dominos, liberos, & claros reddit: non igitur vita voluptuaria humanæ felicitatis via, aut iter commodū est. Quare nec eius finis felicitas: sed qui maximè ad eā consequendam obſit: & impedimento sit. Secunda ratio huiusmodi est. Quod vita hæc voluptuaria, ac perinde eius finis, pecudibus, & omnibus animalibus brutis cum homine, communis sit. Voluptatem enim ipsam, aut eius fruitionem tanquam ultimum, & proprium finem omni actione bruta animalia appetere videtur. Quod vel hinc colligi facile potest, quod si asino, cani, aut sui, facultatem loquendi concessam fingas, quærassq; ab eis, quid sibi velint, cùm fœminas tam rabilē conjectantur, vt vix diuelli queant, cibum & potum *Vcuptas* huius rei gratia negligant: aut cur alios mares abigant? vt nec *brutorū* victi quidem absistant, sed à forrioribus sēpe contriti eō ma *felicitas*. gis insectentur? aut cur nec imbre, nec frigora pertineat, nullum periculum recusent, omnem denique laborem suscipiant? Non aliud sanè respondebunt, quām felicitatem illorum esse corporis voluptatem: atque propter eius assecutionem usque adeò laborare. Est igitur corporis voluptas propria brutorum felicitas, atque ad eam parandam vita voluptuaria certa via. At homo per aliquid commune sibi & brutis beari nullo pacto potest: quod diuersa à natura tributa instrumenta plane indicant. Etenim quemadmodum brutis animalibus aliquid proprium datum est, vt feris dentes exerti, armētis cornua, volucribus pennæ ad sui tuitionem, propriq; finis assecutionem concessę sunt, ita homini: ratio, quæ longe prædicta omnia superat: tributa est: eō igitur vt proprium finem, atque felicitatem per eam assequatur, fero rumq; deinde animalium impetus industria superet, & manus ea sibi, atque obsequentia faciat. Non igitur corporis voluptas homini postremus finis, & felicitas existit, neque vita voluptuaria ad eam parandam apta via, quæ brutis animalibus accommodata est.

Fa verò ducunt ratiōe, quia multi ex his. &c. Non contētus philosophus cum ea impugnatione opinio-

nis, quæ adducta est, vnde iam potissimum ansam, & occa-  
sionem, vulgares homines ad eam afferendam acceperint,  
hoc loco exponit: nō tantū (quātū cōiectare possum) vt vul-  
gus ipsum excusat, q̄ vt eos arguat, & rēphēdat, qui ipsis cau-  
sam, & incitamentum ad sic sentiendū, & agendum prēsti-  
tēre. Quos eos homines afferit esse, qui publici existūt in re-  
publica magistratus, magnisq; in honoribus, & potestatibus  
sunt cōstituti: quando pro propria ipsorum libidine volup-  
tatibus semper vacant, atque ex ipsis ita vitam traducunt, vt  
perinde, ac Sardanapalus, viuant. Vnde cūm ipsis praui sint,  
exemplo vitæ suos subditos, atque vulgares omnes, propriæ  
prauitatis labē etiam inficiunt. Pro quo aduertendum est:  
Sardanapalum regem fuisse Assyrię adeò voluptatibus cor-  
poris deditum, vt sui regni proceres muliebrem habitum, &  
vitam, in eo minimè ferentes, cum tanquam indignum, quā  
hominibus dominaretur, proprio regno spoliare conati-  
sunt. Adeò enim hic dum vixit, voluptates omnes corporis  
persecutus est, vt morti proximus epigrammate quodam di-  
ceret: se omnes secum libidinum voluptates abstulisse. Cu-  
ius insaniam aliquando Aristoteles his verbis irrisit: Quod  
enim ne viuus quidem diutius sentire poterat, quād dum  
fruebatur, quomodo id potuit mortuo permanere? Sed ex ē-  
plo relicto ad explicationem sententiæ veniendo, hoc alta-  
mente omnibus magistratibus, & publicis functionibus in  
republica potentibus, obseruandum est, ita natura compa-  
ratum esse: vt plebs, hominesq; vulgares, eos continuò mo-  
ribus & vita sequantur quos magistros morum suscepérūt:  
arbitrantes nimirum, tantam esē connexionem inter doc-  
trinam, seu sc̄iētiā, & cuiusque docentis mores, ac vitam,  
vt perpetuum melos, & cōcinnam harmoniam, hēc indi-  
viduē ita scruent, vt nec minima realiquando discrepent. Vn-  
de fit, vt quorum doctrinæ pabulum accipiant, eorum vitā,  
& mores imitentur: atque hoc semper ita seruandum, in ani-  
mum inducūt. Ab ipsorum sanè vita, qui reipublicæ aliquo  
docendi munere, aut gubernandi officio præsident, doctri-  
næ, & sermonum, quibus alios instituere conantur, potissi-  
mum argumentum, & confirmationem petentes. Quam si  
doctrinæ forsitan disrepātem, deprehenderint: statim verba  
fuiſſe

fuiſſe tantum eorum præceptiones, ac nullius ponderis, &  
momenti ad vitam traducēdam credunt ad hāc forsitan rem  
huiusmodi homines, & reipublicæ principes, in sui excusa-  
tionem producere poterunt, q̄ eorum crima cāteros late-  
re possint. Sed quanti hoc momenti sit, ipsis videant. Sunt e-  
nīm veluti in specula quadam constituti, in quos oculi oī-  
nium statim coniiciuntur: ita vt quid agant, & quomodo e-  
tiam viuant, semper inquirant. Quare ac si in clarissima lu-  
ce semper versentur, ita eorum mores, & actiones omnibus  
sunt manifeste: tantum abest, vt eorum dictum aliquod, aut  
factum vñquam obscurum esse possit. Neque præterea si ce-  
lari eorum errata possent, hoc ad turpe aliquod admittendū  
apud eos valere debet. bonis siquidem viris non occul-  
ta, sed honesta queruntur, atq; hinc non plus sibi licere pec-  
care, cūm celandi opor: unitate potiūtur, existimare debet,  
quād si in luce meridiana, & in loco insuper edito, ab om-  
nibus cernerentur. Oportet igitur, vt iuxta præceptum So-  
cratis, tales prædicti viri se exhibeant, quales ab omnibus vi-  
deri volunt, & quales doctrina, & scientia, quam alios do-  
cent, seu ad quam prouocare contendunt, requirit, & futu-  
ros esse pollicetur. alioqui certo sciant non tantum se ipsos  
propria prauitate inficere: sed & omnes alios, quorum præ-  
fecturam aliquo docendi, aut gubernandi munere gerunt:  
in quos imitatione quadam eiusdem prauitatis studiū pro-  
pagatur. Quod sapiens Ecclesiast. 10. aliquando enunciauit,  
dicens: Vē tibi terra cuius prīceps puer est, & cuius principes  
mane comedunt. Et iterum per beatum Matthæum à prædi-  
cta persuasione principes, & doctores, vita & moribus scili-  
cet esse sequendos, liberans, dixit. In cathedra Mosis fuderūt  
principes, & sacerdotes, quæcunq; dixerint vobis, facite, se-  
cundum autem opera illorū nolite facere. Explicans nim-  
irum, q̄ & si in rebus humanis ita sit, q̄ quando vita & mo-  
res docentium doctrinæ præstitæ non consonant, eam infir-  
miorem reddant, quia eorum autoritati tantum nititut: ta-  
men in doctrina sacra longe aliud euenire: quia cūm homi-  
nis autoritati minimè innitatur, eius deprauata vita nulla ra-  
tione eam inficere potest, & si ita sit, quod optima, & legi di-  
uinæ (quam docet) cōformis vitæ institutio, magnos stimu-  
los

Humanæ  
doctrina  
doentis  
bois auto  
ritati in-  
nititur se  
cuo auti di  
nina.

los ad eam exercendam in aliis generet. Vt cunque tamen se gerat, diuina lex nullo pacto ratione ipsius, autoritate augetur, aut minuitur, cum diuina penitus sit: deiq; verbo omnino innixa: atque eius subscriptione tandem firmata. Manet igitur ex his praedicta conclusio firma: vulgus scilicet ipsum vt proclive est, vt a magistratibus, & excellentibus in republica hominibus erudiatur: iuxta illud beati Iob, boues arabant, & asinæ pascebantur iuxta illos: ita etiam, vt eorum opera & mores imitetur. Quia conclusione satis admonetur, qui officium in republica aliquod gerunt, quanta cura, & diligentia, omnem vitæ labem vitare, & fugere debeant, & quam leniter bonæ vitæ exemplo (ipsa *Natura docente*) ad honestatis culturam, & exercitium, plebem promoueant: & quam perniciose contraria, eorum calus, & flagitia, ipsam laborfactent. A qua etiam cura non eximuntur, equites, viri illustres & excellentiores in republica, quos veluti exemplaria quadam ceteri continuo intuentur, & eorum dicta probant, atque studiosam vitam etiam demirantur. Quod si tam curunt, suorum subditorum, & ceterorum ciuium studio virtutis posthabito, qua potissimum ratione familiam augent, terminos suos dilatent, atque extendant: & qua ite ratione cutem tantum curando, suauissimis sensibus fruendo, subditis dominantur: grauissime etiam ut superiores, peccant. Nam præter iniurias, quas subditis necessariò inferunt: proprios labores, & sudores extorquedo: vt suos sumptus faciant: propriamq; libidinem effrenes exequantur: ad earundem etiam rerum studium, ad similiaq; flagitia rudem plebem, & ineptam trahunt: cuius pastores, & gubernatores esse debuissent. Sunt ergo & huius generis hominum causus grauissimi, sicut mores ingenui, quos, ne à suis maiorib;, & ab eo, quod præstare ceteris tenentur, degenerent, colere habent: maximè existunt commendabiles. Magna igitur cum ratione Aristoteles ignorantis plebis, ac subditorum depravatam vitam, ac perditos mores, in impotentium, & magistratum negligentiam, flagitiosamque vitam, tanquam in originem & primævum fontem reiecit.

Elegantes vero, & ad agendum idonei. &c.

Hoc

Hoc loco eorum opiniones improbat philosophus, qui ex vita ciuili finem postremum & felicitatem venati sunt. Atque hos elegantes, & iucundos homines ob id appellat, quod ad actiones, quæ ad societatem hominum continentam plurimum valent, idoneos, & aptos se maximè præsent, cum omnia ratione & electione quadam prosequantur. Sed hi in assertenda etiam felicitate partiti sunt. Nam eorum maior pars, & qui politioris cultus se exhibent, quapropter & particula illa, Ferè, vsus est philosophus: honorem felicitatem existimant: reliqui vero virtutem: propter quam, eiusq; perfecti nem assequendam, nullos labores esse recusandos censem. Atque hi pauciores numero sunt, ut pote q; hæc vita non tantum appetitui, sicut superior donet: & eorum etiam sit, qui doctrina, & scientia finē humanum persecuti sunt, ut Stoici philosophi, Zeno, Polemon, Arcecelas, & ceteri horū sequaces. Omnes enim hi virtutē humanū esse bonū, & felicitatem docuerunt. Atque ut exempla aliqua horū producamus, prioris generis fuerūt Achilles, Hector, omnesq; equires, & viri gentiosi, qui maluerūt potius honestè statim cum gloria mori, quam diu obcurè, & cum ignominia longā vitam traducere. In quod idolū ferè omnes, qui in republica clari haberi cupiūt, inclinati sunt, atque in eius cultum facile decident, nisi cautè honore ipso ut instrumento ad Dei cultum augendum vententes: cum ipsius timore viuant. Posterioris vero ordinis caput se præstitit Socrates, & alii eiusdem sequaces. Qui nullum vitæ, nec mortis periculum ob virtutem ipsam seruandam recusavit, sed imperite sanè, cum suis viribus fissus, sui curam omnipotenti domino committere noluerit, ut eum illuminaret, & de necessariò agendis peculiariter instrueret.

Sed hic tamen remotior aliquantulo. &c.

Ad examinationē praedictarū opinionū iā hic philosophus *Honestus* descendit, atq; priorē his rationibus explodit. Prima, felicitas in honestate, proprium opus est ipsius felicis, ita ut in eo existere debeat, ad felicis appellationem præbendam: ed enim q; albedinem corpori inhærere videmus, ab eoq; ut propriū opus sustentari & omnino pendere, corpus aliquod albū dicimus: at honos non est in eo, qui honore afficitur. Sed in eo poti, qui eundem

I 4 exhibit

exhibit. Etenim ut scriptio proprium opus scribentis est, & deambulantis deambulatio ita & honos honore affidentis propria operatio, seu opus existit: ad ipsum tamen honoratum, tanquam in signum, & testimonium probitatis, quam colit: ab efficiente dirigitur. Ita namq; natura comparatum est, ut eos homines, quos virtute, & probitate, ceteros anteire putamus, atque tum omni dedecore carere, tum etiam iis vitiis, quibus alii non tam facile obsistere possunt: ex admiratione quadam ad eos cohonestandos, & augēdos, in propriae virtutis testimonium, signa quādā honoris tribuamus. Præterea idem sic probatur. Nam honorem exhibere actionem quandam dicit, quæ ad prædicamentū actionis etiam refertur, quæ & nullo insuper pacto ex iudicio & libertate honore affecti p̄edet: aliás enim honore aliquem affici, si ex propria cuiusque voluntate se ipsum estimantis, penderet, non usque ad eō sanè aliquem honoribus affici apud homines magni fieret. Honore autem aliquem extolli, pati est: & quod ad prædicamentū passionis pertinere videatur, cū in homine nihil pro tempore aliquo agente, vt dormiente, honos possit reperiri: atque de nouo ipsi accedere. Ut si iniustissimus Cæsar magnis honoribus præfatum hominem afficiat, de ipsis penitus nihil cogitantem. Non est igitur honos in ipso honorato, sed potius in honore aliquem afficente, honoresq; exhibente. Item cū honos virtutis signum, & testimonium sit, in honoris distributore liberum, & integrum iudicium sanè requirit, ut pro cuiusq; meritis præmia continuò rependantur. At affectu, quo nosipso diligimus, excēante, in propriae virtutis, ac probitatis causa, liberam sententiam, & iudicium proferre nullo pacto possumus: quous igitur afficitur honos, in ipso exhibente, & non in acceptante est. De ratione siquidem honoris est actio, qua, qui afficitur honore, omnino caret. Est tamē in ipso efficiente, atq; ita ex libertate aliena p̄edet. Ob quod magno in pretio ab omnibus habetur, quia ex alterius iudicio nostra merita, & virtutem, iusta lance pensantis, nobis accedit. Quare eundem argumento colligitur honorem minime felicitatem existimari posse, cū ipsa ita in potestate felicis sit, vt ab ipso solo pendeat.

Bonum

Bonum verò eiusmodi esse diuinamus &c.

Alia ratione eandem oppugnat opinionem, quæ huiusmodi est. De felicitate licet quicquam hactenus demonstratum non sit, eiusmodi (inquit) bonum esse diuinamus, idest conjectura quadam astruimus, ut in sequentibus planius fiet: ut ab ipso felice in uito nullo pacto, aut difficile auferri queat: quia ita proprium ipsius est, ut ex eius potestate & arbitrio solum pendeat. Sed honos (ut ex superiori ratione aperte constat) ex aliena potestate dependet: atque ob id facile ab eo, qui honore affectus est, ipso in uito auferri potest: temere igitur asseritur, honorem felicitatis rationem continere.

Præterea sectari honorem. &c.

Terio loco iam sic arguit. Honos semper expetitur propter aliud, & non propter se, non igitur boni ultimi, & felicitatis momentum habere potest. Id tamē, quod assumptimus, quā finis eleganter probat. Nam omnes inquit: honoris sectatores, ut statuēdus fuū probitatis, & virtutis rationem, sufficienter apud alios commendent, à viris probis & laudatis, quorum intentio & iudicium semper ab omnibus probatur, firmum, atque ratum habetur: laudes & virtutis testimonium querunt. Solidus enim honos, neque adumbrata laus, sed vera & conscientis honorū opinio, incorruptaque vox, ex virtute bene iudicantium existit, qui quia recte factorum comes est: virtuti tanquam præmium resonat: ob quod à viris etiam bonis minimè repudiatur: vel hac vna ratione q; honore ipso, & clara opinione, continuò ad virtutem, vti quibusdam calcaribus stimulati, quadam contētione aspirent. Et si ita sit, q; qui hac in re laxioribus vtūtū habēnis, & plus æquo honori tribuūt, hac ratione solū vt bene apud multitudinem audiant, boniq; & studiosi apud plebem habeantur, honorem expectant. quem non à quouis, sed à sapientibus, & prudentibus etiam consequi contendunt: vt cū horum testimonio, ipsorum fuerit declarata virtus, ab aliis cotinuo suspiciantur, asserimentum & magni fiant. Hac sanè ratione appetitum glorię vanum, atque populi vocem promerētes, quo uno præmio contenti sunt: & merito: siquidem elogio diuino iam suam mercedem receperint. Nulla igitur ratione neque apud I s hos

hos elatos homines, neq; apud superiores, honos felicitatis vim retinet, cùm ad aliud semper ordinetur, quod apprimè Aristoteles insinuavit, quando huiusmodi homines superbos èd à prudentibus honore affici cupere dixit, & ab iis qui eos cognoscunt, vt ipsi inquit: se bonos esse credat. Etenim cùm nullo pacto virtutis sibi cōscii sint, sed ea potius vacuos se penitus agnoscant: continuoq; ob id propria conscientia eos accuset, q; aliud foris ostentent, aliud verò intus habeat: quapropter vt hypocritas, ac virtutis simulatores reprehendit: vt sibi ipsis, & propriæ conscientiæ vocibus, quoquā pacto satisfaciant, se decipi consentientes, cùm propria tenuēte conscientia, hac in re sibi suffragari minimè possint, alium de opitulari querunt: à prudentibus nempe, & notis, siue probitatis testimonium ea ratione, qua poslunt, exigentes. Qua ratione cùm vera virtus quietam, & tranquillam vitam ipsis reddere non valeat, saltem adumbratā eius effigiem, quæ in leui notorum consistit testimonio, ad vitæ tedium quamquam pacto leuandum, requirunt. Elatorum ergo, atq; ambitionisorum hominum vita penitus futilis, & vana ex hoc loco censenda est: cùm ea ratione solūm, vt coram hominibus alicuius ponderis, & frugis, in virtutis bilance esse videatur, honorem in virtutis attestationem expectet. Atque hæc de ambitionis hominibus dicta sint: qui virtutis umbram tantum colunt: honorem eum, (quem diximus) attendantes: vt proprio appetitui, ceterisq; hominibus satisfaciant. Ceterū qui solidæ virtutis cultores existunt, verū honorem seu solidum virtutis testimonium (in eiusdem auctionem, & splendorem, solūm à prudentibus acceptant. Sed tamen vtcunq; ab his, aut illis honos expetetur, satis expositis ratiōibus planum est: ipsum felicitatis rationem minimè continere.

Vnde fortasse etiam aliquis. &c.

Ad tertiam sententiam impugnandam iam hoc loco accedit. Finis non dit eorum, qui ciuilem etiam vitam colere dicebantur. Sed in virtute statuēt: qui ratione superiori conuicti virtutem, propter quam viri boni, & elegantes, honores maxime acceptant, ultimum ciuilis vita finem & felicitatem afferant. Hanc igitur felicitate ipsa, extremoq; fine, multo inferiorem, imbecilliorēq; esse duabus rationibus potissimum ostendit: quām breuissime

mē ab ea se expediens. Et primò sic arguit. Id quod imperfatum est, & deficiens: nulla ratione habentem, perfectum & felicem reddere potest. Est quippe felicitas bonum sufficiens & perfectum (vt infra latius videbitur). At virtus huiusmodi non est: siquidem cùm non operatur, sua perfectione, & absolutione minimè gaudet: qua sanè cùm ad operandum se accingit, potitur: planc ergo sequitur operationem ex virtute, virtute ipsa præstatiorem esse. Est siquidem ipsius finis, & extremum bonum: quapropter & præstantior iuxta eam, quæ primo capite philosophus docuit. Non ergo virtus vi-tæ extreum, & felicitas erit: quandoquidem eius ratio virtuti ipsi minimè accommodatur. Secundò idem sic ostendit. Quia dato opposito, sequeretur dormientes homines, & nihil omnino per totam vitam operantes, dum modo virtutum habitus tenerent, & si eos nunquam depromerent, vel quia perpetuo somno vt Endymion, essent impediti: vel quia facultatibus ad virtutes exercendas carerent: quod magnificis saepe contingit: felices venirent omnino cœsendi. Sed & omnes insuper, qui continua morbis, corporis etiam doloribus, atque maximis tormentis, vehementissimè cruciarentur, dum modo virtutibus prædicti essent, eadem etiā ratione felices, & fortunati essent existimandi. Quæ usque addid absurdā, & contra rationem sunt, vt nemo ea cōcedat, nisi qui positionē inquit: seruare velit, id est, nisi ille, qui opinionem absurdam alicuius, qui in philosophia claruit, probandam, tuendamq; suscepit, vt Parmenidis, qui omnium esse defendebat, & plura etiam alia, quæ hodie disputationis, & ingenii tantum ostendandi gratia defenduntur. Nulla igitur ratione virtus felicitas, & extremum bonum censenda est, vt latius inquit philosophus: hoc in circularibus demonstratum est, id est in congressibus gymnasticis, ubi circumfusis discipulis, de hac & similibus rebus querentiibus, dictare solitus fuit. Aut si malis intellige per circularia opus illud, quod circularium carminum inscriptum est, quod Aristotelem edidisse pluribus placet, atque de hac re & aliis ad philosophiam moralem spectatibus multa tradidisse. Restabat iam de contemplativa vita, quam proposuit, ac de eius fine differere, quam Plato amplexus in bone separato.

parato felicitatem constituit. Sed quia hæc longiorem exigit disputationem, atque ob id ab his separatam, in sequens caput eam reiicit. Quare ad disputationem quæstuariae tandem in calce capitum se confert, dicens:

Pecuniaria verò violenta quædam est &c.

Vita vio-  
lenta.

Vbi primò considerandum est, quod cum hæc vita, non addèt ut superiores excelleret, quamobrem simul cum aliis eā supra recensere noluit: suos tamen cultores, & sectatores etiam habet, qui quia hominem diuitem, copiosum, & opulentum, idem atque felicem esse existimant: totum vitę studium congerendis pecuniis tanquam propriæ felicitati parandæ, impendendum esse censuerunt. Est tamen in primis animaduertendum, quod ea ratione vita hæc ab Aristotele violenta appellatur, q̄ eius aſſeclæ vsque adēt cumulandis pecuniis intenti sint, vt nullis ad hanc rem conferētibus dolis, nullis vñquam fraudibus parcant. Quinimo si opus fuerit, atque impune id liceat, imbecillioribus vim inferunt, vt eorum bona rapiant, & diripiant: Atque mille insuper insidiarum genera huic negotio semper machinantur, quibus pacata, & tranquillæ hominum societati: quæ à natura intēta est (vt eleganter primo politicorum probat philosophus) violentiam interrogēt, atque eam omnino deturbent. Quamobrem in numero modorum viuendi ciuiliter hæc vita ab Aristotele numerata non est, & tandem violenta nuncupatur. Vnde & eius cultores cum pecuniarum cupiditate acti, parūm ab insania absint: sicut illi etiam, qui voluptatum libidine in principio huius capitum semper solicitari diximus: postea fortis, ac fæcis hominum in societatibus habetur: & distantia quædam sit, quod horum vita societatem hominum, ad eam deturbandam, non invadir, sicut illorum. Ex quo colligitur, hos (cūm pecuniarum copiam finem suæ vitae vñstrum, & felicitatem existiment, omnesq; sui spem in diuitiis ipsius repositam habeat, ut pecuniarum cultores à regno ecclorū merito excludi, secundum illud domini: Facilius est enim castellum, per foramen acus transire, quam diuitiis intrare in regnum Dei: quasi diceret: impossibile est nisi diuitiis intelligi: esse desinat, id est, nisi à cultu diuitiarum desistat,

desistat, & liberalis, ac beneficus possessionem ipsam ad vsum deducendo, quem tanquā finem spectat: euadat. Quæ animæ mutatio adeo Dei auxilium speciale requirit, ut absque eo homo semp̄ soinno diuinitatū dormiat. Quapropter statim rogantibus A postolis, quis ergo poterit saluus esse respondit dominus: Omnia possibilia esse apud Deum, aperte insinuando se tales mutationes facere posse: cui si homo operanti consentiat, aditum ad vitam statim inueniet. Contra hos ergo diuites hoc loco philosophi sermo dirigitur. Ad quos redarguendos & si dicta ratio sufficeret, ditas tamen alias subiungit, quibus aperte hōrum perditissimorū hominum errorem de felicitate condemnat. Atque primò sic arguit. Diuitiæ in rebus vtilibus censemur, imo inter omnes maxime vtiles existimantur: sunt igitur propter aliud, in quod suapte natura referuntur. Quod enim in vsum hominum venit, medium vtile, & quasi vtenſile ad finem expeditum consequendum dicitur: nullo ergo pacto felicitas pecuniarum copia censenda erit. Ratio siquidem finis vltimi nullo modo ipsis conuenit. Secundò sic agit. Voluptas & virtus, quæ potius finis, & felicitatis, rationem tenere videtur, cùm tanquam fines etiam expectantur, ut ad id probandum multæ rationes ab Aristippo, & Stoicis adductæ sunt: felicitatis, & vltimi finis rationem non habent, ut sufficienter rationibus superioribus ostensum est: non ergo diuitiis, quæ multo longius à ratione finis distant, ea dignitas conuenire poterit. Obiat quippe maxime regula illa Aristotelis, si cui magis aliquid inesse videtur, non ineſt, nec cui minus.

Atque hoc pacto tam liberorum hominum de felicitate sententiæ, quam seruillum ac violentorum sufficienter exemplæ manent.



## CAPVT SEXTVM.

**M**elius verò fortasse est, vt vniuersale consideremus, & quomodo dicatur, inquiramus. Quanquam arduam nobis hāc questionem futurā esse video: propterea quòd amici sunt, qui formas introduxerunt. Sed forsitan rectius esse, & oportere videatur: vt pro veritatis salute vnuſquisq;; & pr̄fertim philosophi sua quoque propria refutarent. Nam licet amici ambo sint, sanctū est veritatē ipsis in honore anteponere. Qui igitur hanc opinionem attulerunt, in illis species nullas faciebant, in quibus prius & postea rius liquid diceret. Vnde neq; numerorū species, idest idēā cōstituebant. At bonum dicitur & in eo quod est quid, & in quali, & in eo quod est ad aliquid. Quod verò per se est & substantia, prius eo natura est, quod est ad aliquid, esse enim hoc appendix, quedam videtur atque accidēs eius quod est. Quare cōmunis aliqua in his idea esse non potest. Præterea cùm bonū totidem modis dicatur, quot illud quod est (nam & in substātia dicitur, vt Deus & mēs: & in qualitate, virtus: & in quantitate,

titate, mediocre: & in eo quod est ad aliquid, vtile: & in tempore, occasio, & in vbi, diuersatio: & alia huiusmodi) perspicuum est commune aliquod vniuersale atque vnu esse non posse. Non enim in omnibus denūcupationibus, idest prædicamentis, sed in uno tantū diceretur. Præterea in ijs, quæ vnam habent ideam, vna quoque scientia est: atque ita bonorum omnium vna quædam scientia esset. Sed multæ sunt scientiæ eorum etiā, quæ sub vna denunciatione constituuntur. Ut occasionis: in bello, militaris ars: in morbo, medicina: & mediocris in alimento medicina. in laboribus exercitatoria. Dubitaret autem quispiā quidnā velint per se vnuquodq; dicere: si & imper se homine & in homine vna & eadem ratio hominis est. Nā quatenus homo, nihil different. Quòd si ita est, neq; quatenus bonum, quicquam distabunt. Veruntamen neque quia sempiternum aliquid est, ideo magis bonum erit: siquidem neq; albū quod diutius, quām quod vno die tantū durat, albius est. Probabilius autem de ipso pythagorei dicere videtur: cùm vnum in bonorum cōsortio constituant: quos quidem sequetus videtur etiam Speusippus. Sed de his alia

alia sit dissertatio. In ijs verò, quæ dicta sunt, cōtrouersia quædam subest: propterea quòd non de omni bono rationes dictæ sunt: sed secundum vnam speciem ea dicuntur, quæ per se amantur & appetuntur: quæ verò hęc conservant, aut efficiunt quodammodo, aut contraria prohibēt: propter hęc, alioq; modo bona dicūtur. Per spicium igitur est bona duabusmodis dici: alia per se, alia, propter ea quæ per se dicuntur. Sciungamus igitur bona hęc per se ab utilibus: ac cōsideremus an ea secundum vnam speciem dicantur. Qualia verò esse per se bona aliquis statueret? an ea quæ vel si sola relinquuntur, persequimur: ut sapere: ut videre: ut sunt voluptates nonnullæ, & honores? nam licet hęc ob aliud quippiam persequamur, esse tamē ex ijs quæ sunt per se bona, statuere aliquis posset. An ne aliud quidē quippiam pr̄ter ideam? quare vana erit species. Quòd si hęc quoq; per se bona sunt, necesse erit eādem in omnibus ipsis boni rationem existere: quemadmodum eadem in niue & in ceruſſa albedinis ratio est. At honoris prudētię, & voluptatis in eo quòd bona sunt, diuersæ ac differentes rationes reperiuntur. Nō est igitur bonum commune quid in vna idea

idea. Sed quo nam modo dicūtur? non enim videntur esse æquiuoca à fortuna: nūquid eò quòd ab uno sunt, vel ad unum omnia ipsa conferuntur? an magis secūdum proportionem? nam quemadmodum in corpore est visus: sic in anima est mens: & aliud in alio. Sed omittenda in præsentia fortassè hęc sunt. Exactè enim de his tractare ad aliā magis philosophiam spectat. Simili modo etiā de specie. Nam etiam si vnum aliquod sit, quod cōmuniter denuncupetur bonum, aut separabile quid ipsum per se sit: manifestum est id neque agi, neque acquiri ab homine posse. Nunc autem tale quid queritur. Melius verò fortassè alicui videretur esse, si ipsum cognosceremus ad ea quæ acquiri atque agi possunt bona. Nam quasi exemplum id habentes magis ea quæ nobis bona sunt cognoscere, & si cognouerimus consequi etiā possemus. Hęc quidem ratio probabilitatem quandam habet: à scientijs tamen videtur dissentire. Omnes enim cū bonum quoddam appetant, idq; quod sibi deest, inquirant: cognitionem eius pr̄termittunt, quāquam absurdum est omnes artifices tantam opem ignorare, nec requirere. Dubium sanè etiam est, quam vtilitatem

litatem cōsequetur textor aut faber in sua arte: si bonum ipsum cognouerit. Vel quomo-  
do medicus ad medendum: aut dux ad impe-  
rādum peritior reddetur: si ideam ipsam con-  
templatus fuerit. Nam neque ita speculari sa-  
nitatem medicus videtur, sed hominis sanita-  
tem: imo verò fortasse huius hominis sanita-  
tem: quippe cùm singulis medeatur.

**E**xplosis sententiis eorum, qui ciuilem vitam, vo-  
luptuariam, & pecuniariam sectabantur, reliquū  
est corum opinionem examinare, qui contépla-  
tiuam vitam profitentur, & colunt, (quam ter-  
tio loco inter eas, quæ in societate hominum po-  
tissimum versantur) superiori capite recensuit: cuius lectato-  
res quarto capite sapientes, & elegantes simpliciter appella-  
nit. Nam vt hæc obiter annotemus ciuiles homines, & rei-  
publicæ priuores, qui ad gubernandā rem publicā valerēt,  
nō elegātes absolvèrēt quinto capite nominauit, sed addidit,  
(Et ad agendum idonei)

Vt eos sanè à prioribus distingueret. Hæc igitur contemplatiu-  
a vita (secundum quod Aristoteles Platonem huius vitæ  
primum assertorem in Parmenide, vbi potissimum de sepa-  
ratis formis, & ideis sermonem haber) interpretatur, bonū  
quoddam separatum per se subsistens, vt ultimum finem &  
felicitatem continuò sequitur: & veneratur. Quod vniuer-  
sale bona ideo appellatur, quia in se & per se formale bo-  
num, & pulchrum est: cætera inferiora & participata bona,  
qua apud nos sunt, formaliter complectens: & eorum cau-  
sa, vt bona sint, existens. Quemadmodum si mente conci-  
pias totam essentiam, & hominis quiditatōm formaliter in  
cælo subsistentem, (quam ipsum hominem Plato solitus est  
appellare) à qua per quādam ipsius participationem singuli  
homines

homines, qui apud nos hic inferius agunt, descendant. Vt e-  
nī ad illam primam formā, & hominis essentiam tanquā  
ad finem, à qua vt à primo fonte singuli homines esse acce-  
perunt: referantur, necesse est: ita & omnia huius vitæ parti-  
cipata bona per singulas portiones ab vniuersali illo bo-  
nā tanquam à plenissimo fonte, & origine totius bonitatis pro-  
fluunt: & tanquam in ultimum finem, & cōseruatricem cau-  
sam in idem referuntur. Ex quo apertè sequitur, vitam hæc,  
quæ inferiora hæc & participata bona affectat, vniuersale il-  
lud bonum tanquam extremum finem & felicitatem festa-  
ti: quod pro viribus Aristoteles hoc capite nititur impugna-  
re. Quia tamen moralem philosophum, qui aliorum mores  
componere studet, se iisdem ornatum præstare maximè de-  
cet: cùm Platonis philosophi præstantissimi, ac eiusdem Aristotelis magistri, sententiam discutere aggrediatur, in pri-  
mis eum sibi conciliare curat: ab ea nota, nempe se eximen-  
do & purgando, quā temerē quisquam eidem inurere pos-  
set: quod nō eo honore magistrum prosequeretur, eius sen-  
tentiam labefactando: quem ipse docet parentibus & magis-  
tris, & etiam amicis omnes debere impēdere. Inquit igitur,  
quod licet amicus sit Plato, & omnes, qui formas introdu-  
xerunt: cùm tamen amicitia, & veritas in discrimen descen-  
detint, de honoreq; certauerint, non solum oportet in simi-  
li contentione amicitiæ veritatē præferre: sed pium & sanctum  
etiam est à propria sententia desistere, vt veritas conti-  
nuò splendeat, & semper in columnis seruetur. Est enim veri-  
tas quid diuinum. Quapropter non dixiustum est, quod  
in æqualitate fulcitur, sed sanctum & diuinum. Quod phi-  
losopho, qui vsq; adeò veritatis cultor, & venerator existit,  
obseruare maximè conuenit. Atque idcirco quoniam amici  
opinionem disputaturus accedebat, verbis etiam dubitan-  
di, vt videtur, fortasse, principio ipso vñus est. Qua excusa-  
tione præmissa, huius sententiae impugnationem hoc ordi-  
ne aggreditur: vt primā probet ideo illam boni separa-  
tam nullo pacto esse constitutam, sed merum figurantū  
esse: deinde quod & si ipsa existeret, nullo pacto felicitatis re-  
tionem continere posse.

Qui igitur hanc opinionem attulcrunt. &c.

Prima iam construit rationem, qua bonum illud, siue idea boni separata destruere nititur, quæ huiusmodi est. Idearum, siue formarum assertor in his rebus ideam non ponit, quæ prioris & posterioris ordinem seruant. Enim uero idea forma quædam simplex est, quæ ex æquo omnia participata continet, ac æqualiter in ea singula, quæ ex ea profluunt, & vnius modi reperiuntur, influit: quod ratio prioris & posterioris in rebus alicuius generis omnino excludit. Propter quod nec in numeris, nec in figuris (quæ prædictum ordinem admittunt, idea siue forma separata non ponebantur. At bona singula, quæ apud nos sunt, prioris & posterioris ordine gaudent. Nam in omnibus generibus ipsa reperiuntur. Est enim homo bonus, & tempus bonum, & virtus bona, & etiam statio & sessio: prædicamenta autem ordine prioris & posterioris constituta sunt: est enim substantia genus prius, deinde prædicamenta accidentium, quæ ipsis agnoscuntur, ac veluti appendices quædam, & propagines vite, ea præsupponunt: est igitur bonum aliud alio posterior secundum ordinem prædicamentorum. Quare non dabitur una idea, quæ omnium bonorum prima ratio & species sit.

### Præterea cū bonū totidē modis dicatur. &c.

Secunda ratio contra eandem opinionem est. Omnia, quæ decem generibus continentur, una ratio communis & idea nullo pacto esse potest. Esset enim iam vnum tantum prædicamentum, ac omnium rerum unica formalis ratio, at bonū æqualis amplitudinis & extensionis est cum ente; siue cum eo, quod est in omnibus prædicamentis & generibus, (vt numerus diximus) & exemplis etiam Aristoteles manifestat. Nā in prædicamento substantiæ Deus bonus dicitur, & mens siue intelligentia bona: in qualitate, virtus: in quantitate, mediocre, hoc est moderatum, quod cum conuenienti modo & mensura factum sit: in relatione, vitale: (propter aliud enim semper in usum venit id, quod utile est) in tempore siue in prædicamento quando, occasio, quæ cuilibet rei agibili temporis particula accommodata est: in prædicamento ubi siue loci, diuersatio & mora in loco salubri bona est, & alia huiusmodi, quæ bona censemur. Ex quibus patet bonū ad de-

cem

cem nuncupationes siue prædicamenta, sicut ens, extendi: non ergo datur vnum vniuersale bonum, quod omnium bonorum formalis ratio & idea sit. Bona enim iam non in pluribus, sed in uno tantum prædicamento essent, cum omnium bonorum vnum tantum esset genus, quod idea illa vniuersalis nuncuparetur. Sed contrarium nuper ostensum est: nō ergo una idea boni ponenda est. Nam aliter implicationem defensor concedat, oportet: singula scilicet bona in decem generibus reperiiri, & omnium bonorum tantum unum prædicamentum esse.

### Præterea in ijs, quæ unam habent ideam. &c.

Hoc loco tertia ratio ponitur, quæ ex doctrina eiusdem Platonis desumitur, qua ideas ponere compulsus est. Dicebat quippe Plato, quod cum inter sensibilia entia nihil unquam detur, quod semper vnum constans & firmum, in perpetuum sit, sed omnia corruptioni, & continuæ mutationi obnoxia cernantur: scientia autem de perpetuis, & vniuersalibus semper tradatur, necessariò dandum esse aliquod fixum & permanens, ad quod scientia primò tendat, & in quo potissimum terminetur: quod ideam appellauit. Quo supposito sic ratio construitur. Quorum est una idea, est una scientia & facultas, quæ primò in ideam tendit, & per eam secundò in omnia, quæ ab ipsa participata sunt (vt ex doctrina supposita constat) erit igitur omnium bonorum cum eorum deinceps una species & forma detur, una scientia & facultas, quæ singula bona doceat: quod adeò à veritate est alienum vt non solum omnium bonorum diuersorum prædicamentorum una scientia non sit: sed eorum etiam, quæ ad idem prædicamentum pertinent, plures scientiarum & facultates habentur: vt ostendere facile est. Nam in prædicamento quādo, tempus vt bello gerendo, rebusq; bellicis accommodatur, atque bonum & aptum discernitur, ad artis militaris considerationem spectat. Vt autem idem tempus rationivictus, cibiq; & potus usui disponitur, atque medicamentis expurgantibus congruum, ad morbum, & ægritudinem insuper levandā iudicatur, medicinæ subiicitur: atq; rursus, vt eiusdem occasio ad cibum & alimentum sumendum, expectatur: si enī quando deambulationi, cursui, ludis, cæterisq; corporis

Obras -  
nū tempo  
ris varie  
faculta-  
tes.

K 3 exercitiis

exercitiis accommodatur, quatenus excessu aut defectu cōtra bonam valetudinem non peccetur, ad eandē artē secundū q̄ de tuenda valetudine considerat, pertinet. Atq; tandem si idē tempus ad commodē & aptē artem aliquam, (quæ corporis adminiculō valeat) comparandam, & corpus exercendum, vt labores aptē ferat, consideretur, ad artem & facultatem corporis exercendi nimirum spectat. Quod si boni vnius prædicamenti tdt facultates & scientiæ (vt ostēdimus) dātur, nec illius vna idea est: à fortiori, sequitur neq; omniū aliorum bonorum, quæ tantam discrepantiam admittunt, vt sub codem genere consistere nequeant.

Dubitauerit autem quispiam. &c.

Quarto loco arguit. Eadem ratio siue definitio est cuiusdā hominis ex materia & anima rationali constantis, & per se hominis, aut ipsius hominis, qui idea & simplex forma omni materia vacans, existit. Nā si queratur, quid est hic homo, quatenus homo est, & ipse homo? Eadem vtriusq; assignabimus definitionem. Etenim materia, atq; indiuidui ratio, extra substantiā & quidditatē totius posita est. Quod si eadem ratione quidam homo quatenus homo, & per se homo definiuntur, atq; eisdem naturæ limitibus distinguntur: planum est re ipsa nullo pacto differre. Sed tantum negotio & intellectus, opere, ea se iungentis. Ad eundem igitur modū, quidā homo, & per se homo, si quatenus boni rationem admittūt, cōsidereretur, oīno eandē rationē & definitionē exigent: ac perinde erit, si virtutem bonam, cum idea boni conferas, & mediocritatem, & occasionem, & cætera id genus. Est enim omnino similis ratio, quæ de quodam homine & per se homine. Quare extra singula bona non erit aliqua forma boni per se subsistens, sicut nec extra singulos & indiuiduos homines per se, & vniuersalis homo: sed eam ponere, res ficta, & vana omnino erit. Quia tamen aduersariis contradicta, & appatenter quidem: negare posset hominis cuiusdam, & per se hominis eandem esse rationem. Vel ob id saltem, q̄ hic homo, & singuli homines semper generentur, & intereāt, forma autem hominis à materia corruptionem semper machinante, sciuncta, eterna sit, atque perpetuq; tenore semper eadem sibi constans. Quare non eadē erit:

erit vtriusq; ratio & definitio. Cui obiectiōi philosophus res pōdēns, inquit: quod perpetualū & nō perpetualū substantiā rationē & definitionē minime variat, sicut nec finitū, & infinitū necessariū & contingens. Sūt enim modi tertū, extra carū substantiā & quidditatē positi: qui tamē cā iugiter sequātur: quare definitionē, substantiā, & naturā rei dicentē, minimē ingredientur. Necessarii igitur, & contingentis (quando alia non aderit distatia, infra genus) eadē penitus erit definitio. Vnde & cuiusdā hominis, & per se hominis (vt dicebatur) sicut exempli gratia, diurni albi & diarii, eadem erit definitio, quatenus ambo corpora alba existunt: nec vnum dicitur magis, aut minus albū altero. Perinde igitur nec ipse homo, magis erit homo, quām quidā homo, quatenus homo est, nec aliam ab ipso obtinebit rationem, seu definitionem. Quare integra, & sibi constans semper manet ratio posita. Ex quibus rationibus sufficienter satis explosa videtur manere Platonis sententia de vno & vniuersali bono, quod omnium bonorum causa existat, eo modo, quo ipse afferit. Imo inquit philosophus, quod si hēc sententia cum eo, quod de vno & bono Pythagorei dixerunt, conferatur: probabilior horum sententia videbitur. Hi enīn duos ordines alterum bonorum, alterum malorum constituerunt. Atque in ordine bonorum vnum posuerunt: non vnum vniuersale bonum, quod aliorum esset causa vt Plato: sed quod principium numeri est, & partitionem omnem, atque divisionem negat: atque hoc bonum, & boni principium posuerunt. Vnaquæque enim res quatenus alterius non est indigens, & simul indiuisa manet, suum bonum & perfectionē retinet: suoq; genere bona & perfecta dicitur: & ea ratione propriè vna. Alterius etenim non indigere, atque indiuisum permanenerere, vnum siue unitas importare videtur. Nam quod diuisum est, plura iam factum existit: & quod sibi non sufficit, & alterius indiger, illud etiam quodammodo est factum: quare iam quoquam pacto diuisum est. Vnde quia Deus optimus maximus penitus infinitē, & maximē bonus est, primum bonum, & optimum existit: & cæterorum bonorum causa. Et inter res creatas rursus, (quæ omnes deficiūt, & sub indigentia quadam, in primis Dei, deinde aliarū etiā rerum,

Maior p<sup>2</sup>  
sentio in  
maiori v-  
nitate.

ad suum optimum esse constitutæ sunt illæ, quæ magis ad unitatem accederent, minusq; aliis indigerent, magis bonæ ab his censebantur. Quare vñ primo loco posuerunt, dein de alia, quæ ab ipso minus degenerarēt, & absolutè inter res omnes confortia quædam statuerūt ex re ea, quæ diuisa est, aut deficit, & ex ea, quæ vna est, & à cuius perfectione altera deficiebat. Qua ratione in ordine bonorum vnum, impar, finis, dextrum, rectum, lumen, quadratum, quiescens ponebant, & horum opposita in serie malorum: quia ab unitate & perfectione ipsorum deficiebant, atque horum singulū cum suo opposito consortium faciebat: quia ex utroque in suo genere sufficiens esse, & viuere, atq; vñ integrum redderetur: perinde atque ex masculo & foemina. Quare cùm omnes res creatæ deficiant, & sub indigentia constitutæ sint, absolutè & simpliciter tantum Deum optimum maximum vnum esse censebant, qui solus, tantum & simpliciter unus est. Quapropter in numeris vnum numerū totum præcisè posuerunt, numerum scilicet denarium, qui totus numerus est: & vnum insuper perfectum numerum in quolibet numero, vt in denario sex: in centenario vigesimum septimum: & ita in cæteris: quia Deus omnium vniuersalē principium in ipsa vniuersitate rerum quid vnum infinitè perfectum & totum est. Quibus consideratis apertè patet de uno inter res creatas, nam de his tantum Aristotelem intellexisse planum est: rectius, & probabilius, quam qui formas introducerunt, idest, quam Plato: (nam modestiæ causa numero multitudinis vtitur) Pythagoreos locutos fuisse. Quos (inquit) etiā secutus est Speusippus discipulus, & nepos Platonis ex sorore, qui cum Xenocrate primus, Platonis rationem & autoritatem suscepit. Quem deinde processu téporis secuti fuisse Polemon, Crantes, & Crantor, eximii philosophi, qui vñā in academia congregati, quæ à superioribus acceperunt, tuebantur: & Polemonem rursus secutus est Zeno, qui subtiliter disserebat, sed anteibat Arctesilas: quare disciplinā corrigeret conat⁹ fuit, vt autor est Cicero. Quod si ita est, quod neque doctrina magistri, neque cognatio, quin discederet à Platone, Speusippum continere non potuerūt, quid mirandum est, si nos (quali Aristoteles diceret) ab eius opinione redamus,

damus, Pythagoreosq; in hac parte anteponendos iudicemus? Sed si & ipsi rectè dixerint, an secùs, alia (inquit) est disputatio. Nunc autem cum iis, qui ideam introduxerunt, pedem contulimus, atque quantum eorum sententia valeat, examinamus. Quæ omnia vt se ab inuidia magistri excuset: videtur protulisse. Quod si præstiterit, tu iudica.

In ijs vero quæ dicta sunt, controversia quædam subest. &c.

Innuit hoc loco philosophus solutionem quandam, qua facile omnes adductas rationes aduersarii retundere possent. Quam vt planè percipiamus, simulq; ordinem textus seruemus, intelligere in primis oportet, diuisionem bonorū, quæ hoc loco ponitur: bona inquit: quædam esse per se, alia non per se, sed propter aliud, cui conferunt, quæ bona utilia sollemus appellare. Bona ea dicit esse per se, quæ propter se ipsa, hoc est, ratione sui amantur, & expertuntur: vt virtus: sapientia, animæ gaudium, & cætera huiusmodi. Bona utilia siue propter aliud appellat, quæ ea, quæ per se sunt efficiunt, aut conferuant: vel contraria prohibent. Exempli causa corporis sanitas bonū est, per se, quam aliquando existente morbo, efficiunt incisiones, medications, & pharmacū: vt sumptiones ciborum conuenientium cum moderato labore, ea existentem conferuant: & tutelæ, & præcautiones, à medicis exhibitæ contra suspectum morbum, vel ex cali immutatione, vel ex mala aeris corrupti temperatura, contraria prohibent: Quare omnia hæc utilia dicuntur. Eodem etiam modo de sapientia, & virtute dicendum est. Nam labores & studiū sciētiā efficiunt: continua lectio cōfirmat: & virtus ipsa quadam à vitiis abstinentia, contraria, quæ illi impedimento sunt, continuò prohibet: quare omnia hæc, bona dicuntur propter famulatum & obsequium, quod bonis per se, à quibus perficiuntur, vt diligentēs famuli, præstant. Unde utilia bona tandem bona censenda sunt, quamdiu officiū debitum per se bonis persoluunt: quamprimum vero ab eo desistunt, sibiq; tantum student, propriamq; factionem constituant, vt pecuniæ causa exempli: nomē à bono per se mutant, amittunt: nec amplius bona censemuntur. Ex quibus.

definitionibus perspicuum est, ac in confessio apud omnes, bonum duobus modis dici: aliud, quod dicitur per se, aliud propter illud, cui confert. Quare controversiam admittunt superiores rationes. Quoniam de bono utili omnes procedere videntur, non autem de bono per se, respectu cuius tantum detur ex mente aduersariorum idea. Nam bona utilia ex se bonitate non habent, sed ab alio mutuatam: quare ideam nullo pacto habebunt, sed ea tantum, quae sunt per se. Atque hanc existimo legitimam huius loci interpretationem licet alii per rationes hoc loco non argumenta adducta, sed ideas intelligent: minimè tamen ad mentem Aristotelis. Solutionem igitur hanc interpositam, (quae aliquo pacto rationes adductas declinare videtur,) iam philosophus impugnat. Atque ne ambigua procedat oratio, bona per se ab utilibus sciungit, atque si haec secundum vnam ideam (vt solutio indicat) dicantur, discutit, & inquirit.

### Qualiaverò esse per se bona aliquis statueret.

Hic primum iam argumentum ponit, quod à nomine ipso, quod est esse per se bonum dicitur. Et querit, vt distinctius agat, quid sit bonum per se. Atq; bonum id esse statuit: quod si solum relinquatur, persequimur: quasi diceret, id est bonū per se, quod ita ex se appetitum inuitare habet, vt licet ex eius electione nullum aliud bonum sequatur, per se tamē secundum, atque omni inquisitione & electione dignum se exhibit. Quae diffinitio satis perspicua est, quam in lib. de republica Plato primo tradidit: cuius etiam exemplis eandem hoc loco Aristoteles illustrat: vt sapere (inquit) per se bonū est, quia operatio ex virtute procedens, hoc est ex sapientia existit. Nam dato quod ad vniuersa vita commoda nō con ferret, adhuc tamen per se sapere expetibile est. Videre, rursus ait: per se bonum, & expetibile est, quia plures terum differentias nobis ostendit: licet ad noxia quæq; vitanda, & cōuenientia sequenda (prater id, quod diximus) in vita nō eōduceret. Quorum bonorum etiam numero, voluptates nō nullas item adscribit, vt quæ actus sapientiae, & virtutis comitantur, atq; indiuiduè sequuntur. Honores itē qui à prudentibus, & iis, qui nos cognoscunt, & integrè de rebus sentiunt

tiunt (vt supra dicebamus) quædam per se bona existimandi sunt, sicut quando ab stultis, & ignorantibus hominibus levitate quadam exhibentur, contemnedi. Omnia igitur hęc, quę recensuimus, bona per se esse existimat: quia huiusmodi sunt, vt licet ex ipsis nullum aliud bonum, aut cōmodum in vita sequeretur, ex propria ratione, eleccióne digna existat. Quo supposito iam sic arguit, & querit, an hęc, quae numerauit, iuxta definitionem traditam sint per se bona, an nihil est per se bonum prater speciem illam & ideam separatam? Quod si hoc vltimum dederis, idea iam profectò res futilis & vana erit: cùm nullum bonum participatum ipsis tanquam exemplari, correspondeat. Si primū, vt ratio adducta te asse rere cogit: cùm ita sit, qđ in evidentibus & manifestis rebus per se bonum reperiatur, iuxta exēpla adducta, neq; ad hoc nomen obtinendum aliquo extrinsecus petito indigeant: ideam separatam ponere superuacaneum sanè erit, ac proinde res adhuc futilis & vana. Nam quae per se bona apud nos sunt, ea specie proculdubio non indigent, vt talia existat. Siquidē nō mutuatā ab illo, sed ex se bonitatē habet. Neq; rursus est necessaria, vt ad ipsam tanquam ad finē, à qua suam bonitatē sortiātur: quæcūq; bona utilia apud nos existunt, referrantur: cùm ad ipsa per se bona, quae manifesta sunt, sufficiēter tanquam in fines proprios tendant, à quibus suam perfectionem accipiunt. Plane igitur ex quacūq; dilemmatis parte constat, ideam separatarem inanem & vanam penitus esse, quare & nulla ratione ponendam.

### Quod si haec quoq; per se bona sunt, &c..

Secundo ad idem sic arguit ex cōcessis ab aduersariis. Ea quae vnicā specie, & ideā habet, vnicā etiā rationē, siue definitiōnē retineant, necesse est. Siquidē species, & forma totā substantiā & quidditatē continent participatorū. Nam quod singularia & indiuidua facit, extrinsecū & peregrinum est. Ratio igitur, quae, quod quid est speciei explicabit, participatorū etiam substantiam declarabit, & contrā. Sed eorū, quę nuper recensuimus, quę per se bona ab omnibus cōceduntur: nō est vnicā ratio: sed alia, atq; alia, quaten⁹ bona sūt. quippe hōnos signū in testimoniu virtutis exhibitū dicitur: voluptas, quædām

quædam animæ diffusio ex delectabili præsente: prudentia, tandem recta agibilium ratio. Quæ rationes maxime inter se distat: non ergo vñica horum erit species & idea. O portet, namq; supra dicta omnia vnam tantum habere finitionem, quemadmodum nūis, & cerussæ. Quam ad proprium candorem parandum exquisitæ & magna opera, solitæ sunt elegantiores fœminæ conficeræ. Etenim qui hæc diffinierit quatenus alba sunt, eandem vtriusque assignabit diffinitionem. Non ergo per se bonorum idea aliqua ponenda est.

Sed quonam modo dicuntur? Non enim. &c

*Verere-  
rū nomi-  
nationes.*

Quia singula per se bona diuersas continere rationes immēdiatè ante dixerat, opponit iam sibi, q; si ita esset, nō omnia bona vno nomine venirent appellanda. Nam quæ sub vna nuncupatione clauduntur, vnam etiam communē habeant rationem, oportet. Et insuper obiectionem hanc ponit, vt Platonī satisfaciāt in cratylō afferenti, q; si ē medio tollantur idex, quas primò nomina significant: cùm sensibiles res nūquam in eodem statu persistant, sed semper mutentur, & defluat: verē rerū appellationes nunquā cōtingerent. Nā qui: ait ipse: verē aliquid nominabis, si continuo id subter fugit? necessarium erit ergo, vt dum primò exprimis, quid aliquid sit, deinde etiam, quale factum erit indices: vel quodd dum loquimur, aliud ipsum, quod efferi mus: statim fieri, iugiterq; diffugere, nec tale amplius esse subiiciamus. Ne igitur his angustiis loquendi continuo premamur, vereq; res ipsas nominemus: cùm cæteræ res sensibiles semper currant, & ferantur, nec aliquando consistant: necessarium est ideas ponere, quas primò nomina ipsa communia significant, ac deinde, & deficiente ipsa participata. Vnde & æquiuoce omnia nomina idæ, & sub ea contenta significare dicebat: atq; nomina non ad placitum, sed à rerum proprietatibus nuncupationes esse desumptas, idest à rationibus idearum: secundum quam etiam rationem à Mose primò nomina ad significandas res imposita fuerunt. Quapropter coram ipso omnes res constitutæ fuerunt, vt acie mentis singulas earum proprietates contemplaretur: & secundum conuenientes rationes, aptè eas appellaret. Quæ ratio imponendi

ponendi nomina semper ab Hebræis in posterum fuit obseruata. Huic igitur rationi respondens philosophus, in dubium reuocat: quo pacto nomen hoc bonum, aut per se bonum, cūcta bona significet, cùm rationibus inter se (vt vidi-mus) adeò distent: nec vñica idea (vt dicebat Plato) concludantur? Pro qua re expedienda tres ponit modos, quibus res aliquæ cominune aliquod nomen, aut æquam vocationem fortiri possunt. Primus est à fortuna, inquit ipse: vt appellationes, quæ absque ratione aliqua fiunt, qua res sic appellate conueniant, neque nuncupator aliquam rationem, aut causam habuit, cur ita fierent, præter propriam volūtatem. Sed vt fortè qui Cordubæ natus est, Petrus est appellatus, ita & qui Compluti. Quare vnam appellationem & nomen habent: fortuitum tamen, & à casu. Secundus modus est, quando aliqua eadem gaudent appellatione, ea tamen ratione, q; aliqua affinitate connexa sunt, aut quia ab eodem principio procedunt, aut ad vnum, eundemq; finem tendunt: vt gratia exempli instrumenta omnia, & actus cuiuscunque artis, vno nomine quidem césentur: eò tamen, q; ab vna arte oriātur, & ad eundem finem tendat. Qua ratione omnia iulementa musica, chordarum pulsationes, & cantus, qm ad voluptate aures hominum deliniendas ordinantur: & quia ab eadem insuper arte musica procedunt: idem nomen sortita sunt, & res musicæ césentur. Vt medicamenta etiam omnia, curationes, atque medicorum libri, medicinalia appellātur: quia ad sanitatē omnino tendūt, & à medicina cuncta proficiuntur. Tertius modus æqualis appellationis aliquorum est ex proportione, & similitudine. Quando aliqua videlicet sic muneribus, & officiis aliquibus exercēdis conueniūt, vt ad vnum tendant: vel sicut vnum ad vnum, ita aliud ad aliud quadam proportione se habeat: vt sicut oculus se habet in corpore, ita & meus in anima. Nam quemadmodum ille rerum cognitionem suppeditat, pulchritudinemque & rerum elegantiam animalibus offert: ita & mens omnium intelligibilium cognitionem exhibet, ornataq;, & pulcherrimam animam reddit. Poterunt ergo hac ratione oculus, seu visus, aptè prædictæ res appellari. Ex quibus modis, quibus aliqua æquæ cōtingit nūcupari: ab appellatione bonorū primum

ptimū modum statim resicit: tebus nēmpe, quæ tanta ratione constant, appellationem præter rationem aliquā contingere, minimè cōuenire: decernens. Aliis autem duobus modis eandem nuncupationem cuncta bona habere posse insinuat: & si ad ultimum magis inclinari videatur. Cuncta ergo per se bona hoc nomine céleri possunt, quia à rationis commensurazione vniuersa preficuntur, atque ad animā ornandam, ut ad eundem finem simul tendunt: & etiā qui proportione quadam se habent. Nam sicut honos, aut virtus, sua ratione se habent ad animam augendam, & locuples tandem, ita & sapientia, animæq; voluptas, & cetera huiusmodi. Quod ad hoc ut omnia prædicta bona, uno nomine nuncupentur, licet diuerſas particulares rationes dicant: sufficit. Neque idea aliqua, in qua conueniant, ut sic appellentur, indigent. Quibus difficultas opposita expedita manet. Atque hæc de æquiuocatione inquit hic: dicta sufficient. Quare eum, qui amplius hac de re videre cuperit, ad quartū librum Metaphysicorum remittit, in quo longior huius rei habetur disputatio: si cut eum insuper, qui latiorem tractationem idealium desiderauerit: nam in duodecimo Metaphysicæ copiose de his differit. Hoc aut loco de specie tantum boni (quia id materia postulabat) sermonem cōtexuit.

Nam etiam si vnum aliquid sit. &c.

Iam contra idem vniuersale bonum: lia via insurgit, probareq; nititur, quod si ita sit, quod bonum illud separatū subsistat, nullam tamen rationem felicitatis, aut ultimi finis habere possit. Atque sic agit: Bonum id vniuersale, siue notionale quid sit, quod communiter, & de pluribus nuncupetur & prædicetur: qua ratione considerationem logicam subire potest: siue quid separatū à materia, & per se existens ponatur secundum quam considerationem, ad Metaphysici seu Theologi negotium spectat: vt cunque inquit: assertatur, nec res est, quæ sub actionem cadit, agiq; ab homine possit, neq; actionibus, & vita studio acquiri, neq; quoquam pacto industria humana aliquando addisci contingit: non est igitur ultimus finis, aut humane vita felicitas. Nam ut ex superioribus constat: humana vita finis est id, quod ut scopus, & si-

gnūm

gnūm quoddam humanis operationibus attingendū, proponitur. Quare huiusmodi bonum, ut humana felicitas, minimè statuendum est.

Melius autem fortasse alicui videretur. &c.

Quia vna ex rationibus, quibus motus fuit Plato ad ideas constituendas, fuit: ut exemplaria quādam operibus efficiēdis in natura existerent, ad quorum imitationem singula opera excogitarentur: hinc solutionem suæ rationis innuendo, inquit: diceret iam fortasse quispiā: fateor bonum illud in actionem nostram non cadere neque operationibus ullo pacto esse assequendum: optimum tamen est, ipsum existere, atq; nos idem cognoscere. Nam exemplar quoddam est, quod si semel cognouerimus, per eius imitationem certius, quę nobis agenda sunt, excogitabimus, atque facilius propoſito exemplo eadem consequemur. Facilius quippe quisque assequitur, quod nouit, si id aptè cōficitur: quam quod ignorat. Nam ignorantia impeditus, ab actione desistet, aut si operabitur, frequenter aliud, ab eo, quod quererbat, consequetur: aut si idei, non ea tamen absolutione, qua antea prænotatum fuerat.

Hæc qdē ratio probabilitatē quādā habet. &c.

Agnoscit philosophus præfatam solutionem probabilitatē quādam habere, quibus verbis satis imbecillam eam esse insinuat: dum non solum probabilitatem, quæ appetitiam solum veri p̄r se fert: sed quādam, id est, modicam & tantillā habere dicit: atque ad hoc ostendendum, tribus argumentis contra eam insurgit: quæ ex operibus artium sumit. Prīmū ergo sic agit. Omnes artes & facultates, quod bonū est, semper appetunt, atque omni ratione eo frui, & tanquam proprio fine, omni diligentia eo ornari procurant: qua ratione si bonum aliquid sibi deest, id instanter omni studio inquirunt, & omnino assequi contendunt. Etenim cū omnes artes ex sui absolutione, & perfectione pendeant, nam pro earum exacta ratione solum in republica estimantur, ita ut cū ab ea defecerint, nihil habeantur: pro huiusmodi perfectionis assecutione semper anxiae & vehementer solicitat existunt. Quod si ita est: artifices, prædictarumq; artium autores

tores, tantum adminiculum, tantamq; opem, sicut bonum id vniuersale est: ignorare minimè credendum est: nam absurdum sanè hoc esset: & quod eos maxime, ipsorumq; prudentialiam, & industriam argueret. At videimus eos continuo huiusmodi boni ignoratione teneri, imo nunquam ipsius mentionem aliquādo fecisse: est igitur illis ad sua opera cognienda, huiusmodi boni cognitione penitus inutilis. Quare nullius momenti erat adducta solutio.

### Dubium etiam sane est. &c.

Secundo ad idem sic tendit: supponamus ideam illam esse exemplar, vt dicunt, atque hoc aduersariis donemus: tamen hoc dato non inueniemus aliquod opus artis perfectius, & absolutius, vñquam ex ideæ contemplatione, & diligēti insuper artificis inspectione factum fuisse: neque hac ratione opificem aliquem peritiorem, aut alteri in sua arte superiore euasiss. Nihil igitur eorum operibus conferre prædicti boni cognitionem planum, & apertum est. Quod enim bonum illud separatum, cōsortium cum opere textoris habet, vt ipsum contemplando, & imitando, exactius operetur? Atque similiter de fabro, medico, & duce seu imperatore, sentiēdum esse dicit. Nam qua, inquit, ratione: imperator ex contemplatione ideæ peritior ad imperandum, exercitūq; ducendum euader?

### Nam neq; ita speculari medicus videtur. &c.

Tertio, & vltimo iam sic arguit: si medicus, cùm ægrotum curat, sanitatem vniuersaliter conceptam consideraret, eamque curare studeret: forsitan tunc sanitatis ideam in bono illo separato contemplari, & speculari ad sanitatem, solum imaginatione constantem: efficiendam, conferret: at eam non querit infirmus, nec medicus inducere intendit, sed hominis: (& ne iterum ad ideam hominis configias,) subdit: imo verò huius indiuidui hominis sanitatem efficer, & morbum huius hominis expellere tandem contendit: singulis namq; hominibus, & non vniuersali medicus medetur. Quoniam licet medicus, & quicūque artifex vniuersalia speculetur, quæ præceptis, & artis obseruationibus cōtineantur: cùm tamen sese ad operandum accingit, singula,

*Medici  
scopus.*

&

& particularia considerat, quæ & operationibus artis conatur attingere. Est igitur illius ideæ, siue exemplaris cognition ad opera artis exactè conficienda, penitus inutilis. Quare superior ratio efficax manet: nec solutio alicuius mōnētūt. Atq; proinde vniuersale illud bonum, quod species omniū bonorum sit, minimè esse ponendum: neque si ponatur, humanæ felicitatis rationem quoquā pacto esse existimandum, satis apertè ex superioribus rationibus constat: quibus sententia omnis, quæ in hoc capite cōtinetur, ad finem deducta est.

Sed quia forsan non vsq; adeo, vt Aristoteles existimat: eius rationes cū rationibus Platonis consertè sunt, neq; eius mentē attigerunt: quid de hac re Platonem sensisse credidēt, quantū ex diuersis eius dialogis potui colligere, in medium producam: vt liberè hac de re curiosus lector suā sententiā discere possit: & Plato etiam ab inuidia, & oppressione quoquā pacto vindicetur. Est igitur in primis aduerte dū, qđ Plato suis disputationibus aliquando loquitur vt theologus, quando in Deum rerum omnium autorem, vniuersaleq; principium, sermonē cōuertit: aliquādo verò vt Metaphysicus, & etiam logicus: quando substantias, & quiditates rerum, scientiasq; atq; earum terminos, & obiecta meditatur. Primo modo præcipue omisssis aliis locis, in Parmenide agere videtur: vbi Pythagoram securus, per vnum, & vnitatem philosophando, quam primò insensibilibus rebus inuenit: ea quippe, quæ similia sunt, similitudinis vnitatem habent, necesse est. Atq; deinde in rebus intelligibilibus, quæ sensu non percipiuntur, vt in ideis, atque rerū quiditatibus: quæ enim vnius generis sunt, vt vnum homo & alius homo, vnitatem speciei, qua vnu esse hęc, quæ multa sensu videntur, sint: necessarium est. Quo etiam loco expressè dicit Socrates roganti Zenoni: Extra hęc sensibilia participata, seu simulacra, vt ipse loquitur: ipsum hominem, vel ipsum bonum (quibus nominibus rerum species nominat) nullatenus reperiri. Ad quam rem explicandam accōmodatissimo in Timo exemplo vtitur, si quis inquit: cunctas figurās ex vna eademq; auri materia factas, continuò in alias, & alias reformer, deq; vna quadā illarū præsens aliquis quid sit? quæ-

*Querun  
tur ideæ.*

L rat:

rat: verè admodum & tutissimè respondere possumus, autrum illud esse: triangulum vero, aut aliam figuram earum, quæ in ipso impressæ sunt, & continuò permutantur: quasi re vera sint, dicere non licet: sed quale singulum horum licet appellare, ut triangulare, quadrangulare & cætera. Hæc Plato. Ex quibus ita subsumitur: Sed sic est, q̄ in illis figuris impressis aurum continebatur, ergo & rerum quiditates in ipsis rebus quæ generantur, & corrumpuntur, atq; materia, & accidentibus distinguntur. Et rursus infrā etiam in eodē dialogo, ad intelligentiam nostram, & vniuersales notiones obiectis terminandas, & finiendas, ut logicus species & ideas asserit. officium autem hoc notiones terminandi, non exigit species, & rerum formas separatas, & per se subsistentes: (quod neque ipsum Aristotelem præterit) nam hac de causa, ut qui optimè dialogum legerat: in ultima ratione tex tus dixit: Id vniuersale bonum, siue communiter prædicitur, (quod notionale esse indicat: ut loco allegato asserit Plato) siue separatum quid sit, id manifestum est, neque agi, neque adquiri &c. Non ergo rerum species & ideas separatas ponebat: sed obiective intellectum terminantes, & tandem (ut ad ordinem dialogi redeamus) in vnum, atque Dei optimi maximi vnitatem ascendit: quæ maxima & prima vnitatis est, à qua cuncta alia procedunt, & cōseruantur, & sine qua nihil existeret. Itaque more Pythagoreorum, qui numeris omnia philosophabantur: ab vnitate sensibilium rerum ad vnitatem intelligibilium ascendit, atque inde, in vnu Deum vniuersale omnium rerum principium, in quo primò & maximè vnititas reperitur. Quapropter primo loco vnum tanquam principium omnium bonorum, (ut diximus) suis ordinibus Pythagorei constituerunt: & numerum etiam im parem, quia ad vnitatem magis, quam par, qui multititudinem dicit: accedit, maximè coluerunt. Atque hinc credidem manasse, medicos numero impari semper pilulas subministrare: quasi ipsa pharmaci præscriptione nomen domini, quo profuturum est, inuocent. Atque hinc etiam intelligendum est: in maximum probrum, & reprehensionem Aristotelem dixisse, rectius Platone Pythagoreos de uno bono locutos fuisse. Nam cùm hac ratione philosophandi ipsos

fos sequutus fuisset, tenebatur sanè eos superare, aut saltem ab eorum doctrina non degenerare, vt non degenerasse ex discursu dialogi iam probauimus. Nam ipsummet Deum ideam boni separatam, bonumque vniuersale, & omnium bonorum originem constituit. Ut quantum hoc loco ab eius mente, & intentione Aristoteles aberret, planè pateat. Est ergo hoc dialogo Plato Theologus, inquantum totam suam disputationem in Deum ipsum conuertit: quo modo ideas ut exemplaria quædam in ipso constituit. Ut in Timæo, vbi Deum optimum, maximum, cùm omni inuidia, ut inquit ipse: & liuore caret, ut suam bonitatem comunicaret, vniuersum mundum, & singulas etiam partes creas se affirmat: vnde & patrem seu parentem totius vniuersi nondubit eum appellare. Ecce Theologiam Platonis. Loquitur autem ut metaphysicus (ut suprà etiam insinuauimus) quando rerum quiditates confert, atq; ad vnum reducit, & ea ratione ad Deum primum principium tendit. Sicut tunc loquitur ut logicus, quādo scientias omnes, earū principia, progressus, & fines, rationēq; insuper omnem intelligendi, & cognoscendi nostri intellectus, considerat: qualē se p̄buit partim in Parmenide, (ut ex superiorib⁹ cōstat) & omnino in Cratylō, vbi de ratione sciendi, atque vera nominum appellatione, tota habetur disputatio. Quo supposito dico, quid quando prioris generis disputationibus mentionem idearum facit, easque, ut exemplaria quædam constituit, nō extra per se subsistentes, ut imaginatur Aristoteles: sed in ipso met Deo collocat, vbi non re, sed ratione sola differunt. Atque tunc vniuersalia ante res ipsas appellat, ut patet in Parmenide: quoniam hac ratione ipse met Deus sunt, ad quarum imitationem res cunctas produxit. Quod ex mente Platonis esse, satis perspicuū est, cū Deū optimū maximū, totū vniuersum produxisse, & effecisse, libēter in Timœo fateatur. Produxit autē (ut eodē dialogo paulò antē p̄misera) ad imitationē, & similitudinē cuiusdā mūdi idealis, cuius inquit: & singulatim, & generatim omnia, quæ creata sunt, partes existūt, & viuētia insuper oīa, quæ mente sola percipiuntur, complectitur: quemadmodum hic mundus inferior nos, & cætera, quæ cernuntur, animalia cōtinet. Hic autem

Idee in  
Deo collo  
cantur.

idealis mundus, non est nisi ipse met Deus, cunctas res ante ipsarum existentias cognoscens, & intellectu penetrans. Quod ex eo est manifestum, quod tunc nihil erat creatum, in quo ideae existerent: sunt igitur in ipso Deo ante rerum creationem praexistentes. Item produxit sciens & intelligens, quoniam maximo, & constante ordine res omnes effecit, ut ipse dicit: & in Parmenide perfectissimam scientiam (ut qui omnium rerum ideas, & ipsius item scientiae speciem perfectissimè teneat) solum Deum habere docet: praeintellexit ergo, & sciuit omnia, quæ fecit, antequam facta fuissent. Idea igitur stabant, nec alibi quam in ipsa diuina essentia, vbi perfectius res representantur, quam in proprio genere: & perfectius etiam diuina cognitio, ad ideaes sic existentes terminatur, quam si ad res in proprio genere tenderet, quæ ex sententia Platonis nullo pacto scientiam, & cognitionem intellectus, valeret terminare: vt ex Cratyllo supra citauimus. In ipso igitur Deo rerum omnium species, & ideae ex mente huius philosophi collocatur. Quod etiam aperte colligitur ex decimo dialogo de republica, vbi sic differit. Ut faber (inquit ipse) producit lectum, & mensam, imitando mensam, & lectum ipsum in mente, qui perfectius esse habet, quam qui fit ad extra, immo lectus ad intra est id, quod est lectus, quod fabricatur autem, est quidam lectus, & quod est in mente, est idea lecti: ita inquit: Deus produxit cuncta. Quo sanè nihil apertius dici potest. Ex quo satis manifestum est, quantum valeant rationes, quas in fine capitinis adducit Aristoteles contra ideam, quæ est in mente artificis, illius rei, quam fabrefacere vult. Sanè mentem Platonis nullo modo attingunt, si eum nec Prior: quia de uno bono Deo optimo maximo rerum omnium principio Plato loquebatur, vbi idea boni, & aliarum rerum sunt. Imo ipsum Deum vniuersale bonum dixit. Bene verum est, quod circa id, quod diximus, de mundo ideali inter doctissimos Platonicos controversia sit, utrum in Deo, vel extra Deum ponatur. Nam quidam asserunt Deum creasse primū angelū, atq; in eo omnes rerum species, & ideas produxisse, atq; hac ratione deinde mundū realē effecisse. Cuius sententia est Plotinus, quantum conjectare possum, hac ratione motus: q̄ Plato Deum solum, auctorē & idearū causam

causam ponit, eo quod perfectissima & vera causa verum & perfectum debet habere effectum, cuiusmodi ideae ipse sunt. Homo autem, qui non est vera causa per se, sed in numero causarum ponitur, quia simul cum aliis causis agit, nō producere dicitur hominem, sed hunc hominem, & faber hunc lectum, & cetera, sunt igitur ideae verē & realiter productæ. Quare necessarium censet mundum idealem extra Deum esse ponendum. Hoc tamen non labefactat, quod diximus. Nam pater æternus intelligendo se, suæq; benedictissimæ essentiae fœcunditatem, producit diuinum verbum, in quo omnes rationes, & ideae creaturarum eminenter lucet, & est realis, & perfectissima hec per intellectum productio. Vnde quidam Platonicorū, vt Iamblicus, Mercurius, Trismegistus, Platonem diuinum verbum, atque secundum personam in diuinis agnouisse affirman, vt quadam epistola ad Hermiam, Erastum, & Coriscū aperte indicate videtur his verbis: Utendum inquit: vobis pacto & lege, etiam iure iurando (vt æquum est, interposito, non sine eleganti studio, atq; huius studii sorore disciplina: testando Deum rerum omnium ducem præsentium & futurarum, ac ducis & cause patrem dominū, quem, si verē philosophentur, cognoscemus experti omnes, quatenus felicis hominis natura pertingere potest. Hæc Plato, vbi planè filium ducem rerum omnium, & patrem dominum videtur agnoscere. Quod euidenti argumento est, plura ex iis, quæ bene differunt, à sacerdotibus Ægyptiorum, ad quos aliquando commigravit: atq; à Moses insuper scriptis accepisse. Cum quo etiam stat sententia Plotini, quod in primo angelo produixerit rerum species omnipotens dominus: nō ita q̄ per eas tanquam per exemplaria, mundum produxisset, in Deo siquidem omnia efficiēt, his præfuisse necessarium erat: nam aliás nec in ipso angelo eas posset producere. Sed ut per eas, res in tempore existentes intelligeret, quas beatus Thomas species congenitas appellat, per quas angelos cognoscere dicit. Nominat autem primum angelum Plato, quia secundum ipsum per primum, tanquam per perfectiorem substantiam, ideae aliis communicantur, & ab iis animabus rationalibus: ad quas, cum à corporis somno excitatae se conuertissent, ranc p̄imō scire,

& intelligere, afferuit Plato. Fuit enim in hoc errore, q̄ animæ cum suis astris erant, antequam corpori cōmunicarentur, vbi per ideas sibi insertas, scirent, & cognoscerent: cūm autem in corpora infundebantur, tanquam amentes facte (vt inquit ipse) scientiam ipsam obliuiscerantur: quam p̄st studio & labore resumebant. Quare nostrum scire tantum quoddam esse reminisci constanter in Menone, & pluribus aliis locis affirmauit.

*Idea ponatur rurērū quiditatis & plato - vniuer - sales no - tiones.*

Quando verò Plato loquitur vt metaphysicus, aut logicus, ideas non appellat exēplaria, sed species rerum, & quādam tota in partibus aut post partes: vt videre est in Parmenide. In partibus nuncupat, quoniam earū quiditates & ipsum esse, quod sunt, vt ipsum hominem, ipsum iustū, ipsum bonum, & cetera huiusmodi: in ipsis indiuiduis, quā rerum rerum simulacra, & res participatas dicit: continentur, vt suprà explicuimus. Post partes verò appellat, atque tunc maximè logicum agit: quando species, non essentias & rerū quiditates, quas veras res conset: sed notiones quasdam operi intellectus, ex ipsis simillimis rebus fabricatas, intelligit. Hęc enim vniuersalia sunt mentem, & intelligentiam terminantia. Quomodo etiam ideas ponere in Parmenide, logicę eas considerando, suprà demonstratum est: quā post genita indiuidua, ab intellectu generantur, & efficiuntur: quare meritò post partes, & post genita (vt diximus) ab eodem appellantur. Quod euidenter confirmat illud Aristotelis primo de anima, vbi dicit: vniuersale aut nihil est, aut posterius est. Quòd autem quā diximus, sint ex mente Platonis aperitè probant ea, quā ex Parmenide suprà retulimus: & ea insuper ratio, quā ex libris de republica adducta est, sententiam Plotini referendo. Quibus locis planè substantiarum vniuitates in diuersis rerum generibus existentes, species atq; ideas appellat. Nam quasex Cratylō produximus, aperitè probat, abīq; ideis nullo pacto contingere veras rerum nominaciones: cūm nomina, notiones quādam insitx idearum sint ex sententia eiusdem, idest quiditatum & substantiarum, quas scientia, & nomine ipso comprehendimus. Quare nec cognitione, nec scientia (quod amplexius est) esse poterit, cum obiecto fixo & fixo, quod ipsam terminet, careat, vt in expositione

sitione textus latius has rationes prosecuti sumus. Idem etiā patet ex ratione alia, qua ad ostendendas ideas in Timaeo vtitur. Venatur enim eas ex distantia & differētia, quę est inter intellectum, siue scientiam, & sapientiā, quibus intellectus perficitur: & inter verā opinionē, quę discursus phantasie terminus & cōclusio, siue affectio (vt inquit ipse) est. Vbi docet, intellectū facere, & constituere doctrinā, ex demonstratione propria constantē: opinionē verò, persuasionem. Quoniam inquit: intellectus nunquā sine ratione vera: absque tali aut opinio fit. Nulla itē persuasione intellectus est mutabilis: opinio verò mutationi omnino subiecta existit. Debet igitur dari species, & idea, quā obiectū intellectus fixum, & immutabile sit. Aliud verò, quod huius similitudinē gerit, genitum, sensibusq; manifestum, quod semper fertur, & sustentatur ab alio, (à quiditate scilicet & idea) & quod in loco aliquo gignitur, rursusq; recedit, opinioni subiectatur, atq; opinione per sensus comprehendendum, obiectū statuatut. qua rationē manifestē ostendit Plato id, quod diximus. Ad quod etiam probandum alias duas rationes ponit in Phædone, quas, quia cum superioribus coincidūt, cōsulto prætereo. Ex quibus (vt summatim quę dicta sunt, repeatam) apertè cōstat, Platonē nunquā somniasse ideas, aut rerū species separatas per se subsistentes, (vt vult Aristoteles) sed tantū vt exēplaria quādā in Deo, quando vt Theologus loquitur: & insuper vt metaphysicus rerū quiditates in ipsis rebus existentes, ideas atq; species appellauit: & vt logicus notiones vniuersales, quas intellectus proprio negotio efficit, ideas nūcupat: & tandem ideas etiā censet species intellegibiles angelis inditas & insertas ipsa conditione, vt in epistola ad Dionysium suprà iam citata expressè est videre: quorū ministerio animis hominum, quas rerum pulchritudines frequenter Plato nominat. Atque cūm anima in ipsis se cōuertit, tūc inquit: intelligit, & sapit, propriāq; pulchritudinē inspicit: à qua immurata, ad excellentiore angelorū pulchritudinem, excellentioribus ideis ornatam, properat: atq; tandem in Deū ipsum totius pulchritudinis fontem deuenit: vbi elegatiores animę sistentes, tantā pulchritudinē, & bonitatē, admirati & suspicere pō desinūt: qua ratione voluntate, &

amore, in Deum ascendere docuit, ut in dialogo de pulchro licet cernere: quemadmodum, ex unitate rerum sensibiliū, ad primum vnum (Deum scilicet omnium rerū principiū) per intellectum in Parmenide deduxit.

*Ad quē vsum sit de vniuersali busdisputatio.* Sed ne ab speciebus, & vniuersalibus his, (quæ tanto pere  
Aristoteles, & omnes philosophi persecuti sunt) prius disce-  
damus, quām earum utilitatem, fructū, & vsum, hic omni-  
bus subiiciamus: animaduertēdæ sunt duæ rationes, quibus  
potissimum hæc vniuersalia in vsum venerunt: quibus etiā,  
quæ diximus, in summa comprehendētur. Atque prior est:  
vt homo diuersarum rerum varias, ac diuersas perfectiones  
unitate similitudinis & conuenientiæ (quæ vniuersale dici-  
tur) metiretur. Deinde vt ordinem, quo bonū ipsum, & per-  
fectio diuersis rerum generibus, à Deo maximo omnium  
rerum opifice, cōmunicata sit, perspicuè teneret. Tertiò vt  
ea ratione, prouniuscuisque generis rerum unitate, in sub-  
stātia & quidditate, quam speciem siue vniuersale dicimus:  
varias scientias, & artes ex cogitaret. Atque hoc modo tan-  
dem, secundum q̄ cuiusq; generis rerum dignitas postula-  
set, sic intentionem, & mentis aciem, in res ipsas dirigeret.  
Sublata namq; similitudinis, & conuenientiæ unitate, quam  
rebus ipsis natura in didit, & intellectus proprio opere & ne-  
gotio, ex singulis rebus colligit: neque Aristoteles ab unitate  
entis, res cunctas in decem genera distribueret, neque va-  
riam in rebus perfectionem dignoscere potuisset, neque ip-  
sius perfectionis, & dignitatis ordinem, & dispositionem:  
sed omnia confusa & indigesta manerent, vnde scientiæ om-  
nes, & artes perirent. Quare Plato, cùm vnum primum bo-  
num constituisse, à quo cuncta alia bona, secundum q̄ bona  
sunt, profluant: ad ipsum Deum, siue ideam primam bo-  
ni in ipso existentem, eadem retulit. Atque secundum  
quod hac, vel illa unitate, suo genere gaudet, diuersas ratio-  
nes, & species (vt etiam Aristoteles docet) habere dixit. Vnde  
& si verbis philosophi hi differat, re tamen ipsa maximè  
conueniunt. Posterioratio potissima vniuersalia hæc exco-  
gitandi, fuit modus intelligendi nostri intellectus, qui sem-  
per indiuisibilium est: vt tertio de anima Aristoteles est au-  
tor. Ea enim, quæ sparsa, diuisa, & plura facta sunt, intellec-  
tus

tus congregat, colligit, & vnit, atque sub unitate indiuisibili  
similitudinis in essentia & quidditate, tantum ea plura per-  
cipit, & cognoscit. Vnde probè Aristoteles eodem loco asse-  
ruit intellectum indiuisibilium esse, quoniam tantum unita-  
tum vniuersalium est: quæ indiuisibiles existunt. Cuius hæc  
elegans est ratio, quia modus cognoscendi semper modum  
existendi sequitur, perinde ut operari continuo presuppo-  
nit existere: vnde anima, quia materiæ unita est, quæ princi-  
pium multitudinis & divisionis existit: diuisim, ac singula-  
tim, vnamq; post aliam, res cognoscit: atq; nullo pacto mul-  
ta simul unitè sensu, aut imaginatione percipere valet. Sed  
quoniam id quām maximè affectat: cuilibet rei peculiarem  
intentionem adhibet, ut ea ratione tandem ad cognitionē  
multorum peruenire possit. Intellectus autem, quia ipsius  
animæ rationalis potentia multò altior est, nec materiæ im-  
mediatè unitur, nisi media ipsa anima (licet ita sit, q̄ secundū  
quod anima aptiori, aut minus apto & preparato corpori va-  
niatur, velocior, aut tardior intellectus ad intelligendi fun-  
ctiones reddatur) semper tamen vim intelligendi multa si-  
mul, indiuisibiliter, & sub unitate retinet: secundum quod  
libro etiam Topicorum scitè Aristoteles idem norauit, cùm  
sententiam eam tritissimam protulit, contingit sentire plu-  
ra, intelligere vero non. Ex quibus satis aperta colligitur ra-  
tio, quare angelus, qui intellectus omnino separatus à mate-  
ria existit: plura simul intelligat, nec discursu aliquo vta-  
tur. Atque hæc de ideis, siue vniuersalibus pro iis, qui  
huiusmodi rebus excutientis, diligentiores  
sunt, dicta sufficiant. Cetera suis  
locis videantur.

## CAPVT SEPTIMVM.



C de his quidē hactenus. Nūc rursus redeamus ad id, qđ quē rimus, bonum: quidq; id sit inuestigemus. Videtur enim aliud in alia actione, atque arte esse. Nam aliud in medicina, aliud in re militari, & reliquis similiter. Quid igitur vniuersi cuiusque bonum est: an id cuius gratia cætra aguntur? Hoc autem est in medicina sanitas: in arte militari victoria: in edificatoria domus: in omni deniq; actione & electione finis ipse, cuius gratia reliqua omnia omnes agunt. Quare si quis communiter agēdorum omnium finis est, id agēdum bonum erit. Si plures, hi ipsi. Iam verò digrediendo in idem deuenit oratio. Quocirca magis entendum, vt hoc idem declaremus. Quoniam verò plures esse fines videntur: & horum quosdam ob aliud expetimus, vt diuitias, tibias, instrumenta. denique omnia: non omnes esse perfectos perspicuum est. at optimus finis esse perfectū quidem videtur. Quare si vnum aliquid erit quod perfectum sit, id erit quod quarimus: si plura, id quod perfectissimum horum est.

Id

Id autem quod per se sectandum est, eo perficiens dicim⁹, quod propter aliud appetimus: quodq; nunquam ob aliud eligendum est, ijs quae & per se & ob aliud expetuntur. Absolutè autem perfectum, quod semper per se: nunquam ob aliud expetendum est. Eiusmodi autem videtur felicitas maximè esse. Hāc enim propter se ipsam semper, & nunquā ob aliud expetimus. At honorem, voluptatem, mentē ac virtutem omnem etiam propter ipsa expetimus: quippe cùm eadem expeteremus, etiā si nihil inde nobis eueniret: felicitatis tamen causa etiam ipsa eadem expetimus, ex his feliçes nos futuros existimantes. Horum vero causa nullus felicitatem, neque omnino ob aliud quippiam expetit. Idē verò etiam è sufficiētia videtur euenire. Perfectum enim bonum esse sufficiens apparet. Sufficiens autem dicimus non ipsi soli qui vitam solitariam agit, sed parentibus, sed filijs, sed uxori, amicis denique ac ciuibus: quandoquidem homo cuius natura est. Horum tamen terminus aliquis statuendus est, nam si ad parentes, & nepotes & amicorum amicos hoc protenderimus: in infinitū res progredietur. Sed de hoc aliàs considerandum. Sufficiens verò id esse statuimus.

statuimus, quod si solū relinquatur, sufficien-  
tem atque expetibilem vitam, nulliusque rei  
indigam facit. Talem autem esse felicitatem  
ipsam existimamus. Quinetiam maximèom-  
nium expetendam, si cum alijs non cōnume-  
retur: si verò connumeretur, perspicuum est  
eam vel cum minimo quoq; ex bonis magis  
expetēdam fore. Siquidem bonorum super-  
eminentia fit id quod adiungitur. Maius ve-  
rò bonum magis semper expetendū est. Itaq;  
felicitas cum agendorum finis sit, perfectum  
quoddam ac sufficiens videtur. Sed fortassis si  
dicamus felicitatem optimū esse, concessum  
quoddam ab omnibus videtur: adhuc tamen  
desideratur, vt euidentiùs quid ea sit expona-  
mus. Fortasseverò hoc fieret, si hominis opus  
sumeretur. Nam quemadmodum tibicini &  
statuario, alijsq; artificibus, & deniq; omni-  
bus quorum opus aliquod & actio existit, in  
opere bonum ipsum, & id quod bene est, vi-  
detur consistere: ita homini quoque si modo  
eius aliquod opus est, esse videretur. Vtrum  
igitur fabri & futoris opera sunt aliqua, & a-  
ctiones, hominis verò opus est nullū, sed na-  
tura homo ociosus est? an quemadmodum  
oculi, pedis, manus, & deniq; vniuscuiusque

mem-

membri opus quoddam extat: sic etiā homi-  
nis præter omnia hęc opus quoddam statue-  
re aliquis posset? Quidnam igitur hoc erit? nā  
viuere commune etiam cum plantis videtur:  
nunc verò proprium quoddā est, quod quæ-  
ritur. Vnde nutriendi augendiq; vita omnis  
separanda est. Sequitur sentiendi vita: sed ea  
quoque cum equo & boue & omnibus demū  
animalibus communis videtur. Reliqua est  
igitur actiua quedam vita, eius quod ratione  
præditum est. Id a utem partim rationi obtē-  
perat: partim eam habet, atque intelligit. Sed  
cūm duobus modis etiam hęc dicatur ea quę  
est in operatione, statuenda est. Quod si est  
opus hominis animę operatio secundum ra-  
tionem, vel non sine ratione, idemque gene-  
re esse opus huius, & huius probi asseuera-  
mus: vt citharædi: & probi citharædi, & abso-  
lutè in omnibus, si excellentia virtutis operi  
fuerit adiūcta: citharædi enim est cithara ca-  
nere: probi citharædi benè id facere. Quod si,  
inquit, ita est: & hominis opus esse vitā quan-  
dam statuimus: eamq; animę operationem  
& actionem cum ratione esse asseueramus: ac  
probi viri benè hęc recteque exequi esse cense-  
mus. Singula autem benè ex propria virtute  
perfici-

perficiuntur. Si ita est: operatio animę ex virtute bonum humanū efficitur. Si plures sint virtutes, ex optima & perfectissima, & insuper in vita perfecta. Ver enim neq; vna hirudo, neq; vnus dies facit: ita quoq; beatū & feli cē hominē neq; vnus dies, neq; breue aliquod tēpus efficiet. Bonū igitur ipsum ita circūscriptū sit. Oportet enim fortasse prius figurare, deinde postea depingere. Videretur aut̄ cuiuslibet esse ea, quę benè circūscriptione sunt cōprehēsa, producere ac distinguere: & tēpus taliū inuētor, vel adiutor bonus esse. Vnde & artiū facta sunt incremēta. Cuiuslibet cīm est qđ deest, addere. Oportet autē corū quę ante dicta sunt, meminisse: & exactā tractationem non eodem modo in omnibus requirere: sed in singulis, prout subiecta materia postulat. Atque id catenus, quatenus arti vni cūique conuenit, faber enim & geometra diuerso modo rectum angulum vtriq; considerant. Ille quatenus solummodo ad opus utile est: hic cū veritatis speculator sit, quid, & quale sit, indagat. Eodem modo in alijs quoque faciendū est: ne plura ornamenta extrinsecus, quām ipsum opus, euadāt. Neq; simili modo in omnibus causa requiriēda est: sed est

in

in quibusdam satis, si benè demonstratū fuerit, quòd sint: id quod etiam in principijs ipfis contingit. Quòd autem sit aliquid, primū ac principium quoddam est. Ex principijs vero alia sunt, quę inductione: alia quę sensu: nonnulla quę assuetudine quadam: alia quę alio quodā modo cōsiderātur. Singula aut̄ ita sunt tractāda, vt natura eorū postulat: dādaq; est opera, vt rectē definiātur: magnū enim affere momentū ad ea quę sequūtur, cōsuevere. Videtur enim principiū plus qđ dimidium totius esse, cōpluraq; eorū quę in questionē veniunt, per ipsum manifestantur.



N hoc septimo capite ē medio sublatis aliorum de felicitate opinōib⁹, quid ipse de ea sentiat, in medium iam p̄ducit. Atq; vt ordinem docendi: quem proposuit, à notis & nobis manifestissimis ad ea, quę abdita sunt, seruet: tres primō cōditiones ipsius vltimi finis & felicitatis ex rebus evidenti bus colligit. Quibus quandā in genere descriptionē, ac veluti rudē felicitatis delineationē tradit: vt deinde, perinde ac si proprios & viuos imagini misceret colores, specialē & propriā diffinitionē exhibeat, quā statim rationibus & argumētis, ex p̄pria materia desumptis dilucidē probat, atq; tadem vt primum principium & fundamentum, ac veluti totum quoddam, totius operis processu explicandum, & resolendum, datam diffinitionem in fine capitū proponit. Ad primum igitur accedendo primam conditionē felicitatis proponit: asserendo, cā bonū quid agibile, & quod sub actionē cadat, necessariō esse debere. Quā vti per epilogū & conclusionē quandā, ex disputatiōe cōtra Platonē superius habita,

Felicitatē locum  
quoddam  
agibile.

hic

hic colligit: & insuper hac ratione. Vnaquæq; ars proprium finem habet, quo ipsa constat, & ab aliis distinguitur, & separatur. Est enim cuiusque artis finis id, cuius gratia eiusdem artis præceptiones obseruantur, & opere exequuntur: vt in medicina existit sanitas, in rei militaris disciplina, victoria. Finis enim artis censet non id, cui vniuersa opera artis adscribuntur, & in cuius utilitatem, & commodum continuo cedunt. Nam is proculdubio in omnibus artibus homo est. Felicitas quippe, victoria, sanitas, & cæteri artium fines, ipsi homini ad vitam traducendam, commodo maximo & adiumento sunt. Sed id finem appellat: quod tandem obseruationibus, & propriæ artis exercitio acquiritur, & ad cuius consecutio nem quæq; ipsius artis minima ordinantur. Sed ita est, quod huiusmodi finis propriæ artis operibus res acquisibilis est, & penitus agibilis: dominus nempe ædificatoria artis præceptis, & opera efficitur: sicut medicinæ & artis militaris opera sanitas & victoria agitur, & cuiuscunque alterius habitus, & electionis finis. Quibus ita existentibus necessarium erit, supremæ artis finis ( quem in superioribus felicitatē appellauiimus) rem agibilem, humanaq; actione comparabilem esse: suprema siquidem ars & si dignitate, & fastu cæteris antecedat: ob id tamen rationem artis exuere minime est arbitramur. Erit igitur eius finis, opera hominis agibilis, atque actione tractabilis, si unus finis assignetur: & si plures ob eandem rationem omnes sub actionem cadent. Quare subdit Aristoteles, quod digrediendo, & per varias opiniones ab una in aliam migrando, ad idem, quod in primo capite, principioq; ipso quærebatur, deuenit oratio. Ibi enim supremæ artis finem felicitatem esse censuit: atque propterea rem esse à nobis agibilem, & nunc post longam habitam disputationem in ipso principio adhuc sistit disputatio.

Quare magis enitendum, vt hoc ipsum declarerimus. &c.

Posita prima conditione, qua felicitatem bonum agibile & operabile contra Platonem afferuit, alias duas aggreditur, quas formaliter ex Platone in Philebo vbi de felicitate hominis in hac vita differit, desumpsit: quarum prima est: felicitatem

citatem finem quandam optimum, & perfectum omnino esse debere. Quam primò exvnitate ipsius felicitatis persuadere nititur, contra Platonem forsan, qui in p̄dicto dialogo in mixto quodam ex sapientia & animi voluptate eam constituit: & alios etiam philosophos, qui ex pluribus in unum æqualiter coeuntibus, felicitatem aggregabant, vt fuerūt Cyrenaici philosophi, Calliphon, Dinomachus, & Diodorus quidam: qui omnes ad felicem aliquem hominem afferendum, plura coniunxerunt, vt honestatem cum voluptate: & Carneades insuper, qui in primis naturæ bonis, vt fo bore, valetudine, pulchritudine, & cæteris huiusmodi, ex q; quo felicitatem posuit. Hos igitur hoc loco, & similes tacite Aristoteles reprehendit, statuendo: licet ad reddendum hominem felicem plura bona complicentur: necessarium tamen est, felicitatem, quandam rem simplicem esse, quæ potissimum hominem habeat reddere felicem: ita vt in ea potissima felicitatis ratio spectetur, vsq; adeo unitas (vt suprà nitas per dicebamus) in omni re à natura intenditur. Quod etiam in sectione decimo libro huius operis Aristoteles docet, vbi beatitudinem contemplatiuam in artibus sapientia potius & principalius, quam in voluptate, quæ sapientia actus comitatur, quod posse consistere dicit. Ex quibus locis etiam ansam sumpserunt Theologi ad eam quæstionem disputādam adēd celebrem, utrum beatitudo patris potius in Dei visione, quam in eiusdem fruitione censeri debeat, & si ambæ res celestem hominem beatum efficiant. His pro mente Aristotelis explicanda positis, suam sententiā iā sic probat. Licet ita sit, q; diuersum artiuī diuersi fines existant, quorum actiones in vita frequenter contingent: talem tamen ordinem inter se servant, vt inferiores semper in superiores, & altiores ordinentur, atque propter eos tanquam propter perfectiores, cæteri ab omnibus amentur, & expertantur. Est enim hoc ita natura comparatum, vt quælibet res suam perfectionem magnopere semper desideret: quare ad eam rem si apte natura continuo properat, à qua suam perfectionem posse accipere presentie: vt in rebus naturalibus sati perspicuum est. Sed inferiorum artium fines, cùm propter se non existant, ex se continuo deficiente sunt, & à superioribus quorum gratia M. sunt

funt, semper perfici & augeri habent: ut in diuitiis constat. Sunt enim & economicæ artis finis, sed ut instrumenta quædam, quibus homo politicus in ciuitate viuere, atq; optimè se gerere queat. Is enim finis est, propter quem tanta solicitude exæteri parantur: quare ad hunc semper referri debent, Item tibæ, artis effectricis tibiarum finis postremus lunt: ut instrumenta tamen: quibus tibicen suauiter canat, melosq; suppositum reddat. Ad hoc enim tanquam ad finem prædicta contendunt: propter quod etiam existunt. Est igitur manifestum ad superiores fines inferiores suapte natura ordinari, atque propter eos cōtinuò ab hominibus expeti. Nam cùm appetitus ad perfectionem acquirendam motus quidam existat, in nulloq; inferiori fine cam inueniat, solum in ultimo, (à quo cæteri perficiuntur) habet quiescere: gratia igitur illius omnes alios sub appetitum cadere satis perspicuum est.

Quod si hoc ita est, plures fines perfectos & optimos minime existere posse manifestissime cōstat. Perfectos quidem: quia cùm omnium artium fines ad supremæ artis bonū ordinentur, idq; tantum unum sit, quia unius artis: solum huiusmodi bonum, & finis perfectus erit, cuius cæteri cōtinuò indigeant: optimos autem, quia inferiores semper homo propter superiores querit. Quare & si omnes fines ratione participant bone: istamen, propter quem cæteri appetuntur, solum optimus erit, & præterea ex opposito contradiccio sequeretur, nam si aliquid est optimum, cætera bonitate excedit: si autem par bonum habeat, id iam non excedit, quare cœcta excederet, simul & non excederet. Est igitur in ratione finium tantum unus perfectus & optimus, quem si inueniamus, hunc felicitatem existimare conuenit: & si plures perfecti occurserint, quem perfectissimum horum arbitrabimur. Est enim felicitas quid optimum & perfectissimum.

Quare & necessario unum: ad unitatem enim plura in quævis genere reducenda sunt: & ex ea iterum plura diducere scire oportet, ut perfectè rem aliquam probè tenere, & agnosceret: quispiam iudicet.

Id autem, quod per se sectandum est. &c.

Secundo idem suadet partizione illa supposita bonorum per se,

se, & per aliud siue utilium, quam superiori capite contra Platonem agens constituit. Ratio autem est huiusmodi: bonum per se è est præstantius eo, quod est propter aliud, quod id quod est per se, ita appetitum inuitat & allectat, quod dato ex ipso nullum aliud bonum nobis eueniret, quod appetitum posset mouere: adhuc ipsum propter se sectaremur: quod in eo bono quod est tantum utile, minimè contingit. Si ergo ita eueniret, quod inter bona per se aliquod ita excellens daretur, quod sic propter se semper appeteretur, quod nunquam propter aliud: huiusmodi sane bonum quid optimum, & perfectissimum esset, & quod longo intervallo cætera etiam bona per se, quæ propter aliud aliquando appetuntur: excedet. At tale bonum est id, quod felicitatem appellamus: ad nullum etenim aliud bonum ordinatur, & alia bona, quæ per se dicuntur, semper ad ipsum referuntur. Honorem namq; à prudētibus viris exhibut, sapientiæ ac virtutis voluptatem, intelligentiam, & virtutem omnem moralem, siue intellectualē, per se ipsa expetimus, & per se bona sunt: quandoquidem licet ex ipsis nullum aliud bonum nobis contingere, ex propria tamen ratione semper sestända veniret. Sed hæc propter felicitatē appetimus: possidere siquidem hæc cupimus: ut per ea aptè ad felicitatē properemus. Existimamus enim conuenientissima hæc instrumenta esse, per quæ ad bonum ultimum & perfectissimum civilis vitæ, (quod felicitatem nuncupamus) recta via gradiamur, ipsamq; aliquando consequamur. Ad felicitatē igitur ordinantur hæc, quæ magna bona, & per se censemur: felicitatem autem humanam nemo propter aliud expetit: est igitur inter humana bona, quæ hac vita cōtingunt, quid optimum & perfectissimum, quod probandum assumptimus.

Idem verò etiam ex sufficienti videtur euenire. &c.

Tertia cōditio felicitatis hæc est, ut sufficiēs bonū sit, ac tale, *Felicitas* ut his bonis, quæ ad vitā in societate hominū agendā, con<sup>4</sup> bonū sufficerunt, desiderium humanum ita impleat, ut nihil amplius requirere videatur, nequa ad genus quodvis actionis civilis

obessandum, alicuius instrumenti indigentia premitur: quia potius omnia necessaria abundè felici suppetant. Est tamen hic aduertendum, quod ita conditionem hanc Aristoteles inducit, ut tercia ratio sit, qua præcedentem cōfirmet. Nam id inquit: felicitatem omnes appellant, quod sufficiens bonum sit, sufficientemq; & abundantem felicem ex se reddit, atque ab omni indigētia liberat. Hoc enim in causa videtur, ut vel nomen ipsum felicitatis cunctos sibi homines conciliet, atque statim in sui amorem eos rapiat. Quo ita constituto manifestum est bonum id, quod felicitatem appellamus, nullius rei esse indigum, vnde statim sequitur ipsum optimum & perfectum esse, ut paulo ante dicebatur. Sed iam q; felicitas sufficiens bonum esse debeat, post eam rationem, quam ex consensu omnium hominum immediate ante attulimus: hac item ratione probat. Homo quatenus homo, ciuilis maxime & socialis existit: ita ut solitariè agens absolu te & sine addito homo ex mente Aristotelis primo politorum minimè censematur, ut in superioribus etiam probatū est. Non igitur sibi ipsi tantum sufficiens esse debet, sed parētibus, filiis, vxori, amicis, ac aliis coniuibus: quodam tamen termino præfixo & statuto, quem in octauo & nono libro huius operis, & in libro etiam Ipoliticorum philosophus assignat. Nam aliâs sufficientia termino careret, & in infinitū abiret, quemadmodū & societas ipsa, cui sufficere deberet: sed ita est, q; familia, amicorum sodalientes, ciuium consortia, quibus felicis hominis copia debere sufficere dictum est, varia ciuilium actionum genera requirunt, quæ & felicem valere, copiosum & opulentum esse exigunt, ut dictis actionibus vacare valeat, neq; ad id facultates vlo pacto desint, oportet igitur bona ipsum externis corporis, & fortunæ, post bona animæ, quæ possidet, semper abundare. Atque in primis, bonis corporis indiget, quæ sunt robur, pulchritudo, sanitas, & bona corporis valerudo, & cætera huiusmodi, quibus vel aliquo istorum deficientibus, aut debitum officium præstare vir studiosus non poterit, aut non ita aptè & commodè, ut decorum ipsum, & operis præstantia requirat. Enimvero cum corpus instrumentum animæ annexum, & coniunctum sit, quo ad suas functiones exercendas vivatur,

Si debile & infirmum sit, aut infirmitate, aut morbo aliquo infestetur, impedimento erit, quod minus anima cuiuspiam virtutis opera, & laude verè digna exercere possit. Nam cū ægrotō corpore nō aptè viuitur, sicut nec cum animo egro. Et quando insuper, corpus deformatque inelegans est, opera quæ præstat, non ita habent alios conciliare, quod felicem hominem maximè refert: ut eadem, quando abelegatia quadam, & pulchritudine, ac quodam mista lepore vti sa le condita, egrediuntur. Indiget igitur felix bonis corporis, & si ordine quodam, & non omnibus ex æquo: ne eius felicitas impediatur, aliquæ ratione lædi & commaculari videatur. Indiget præterea bonis fortunæ, ut ad opera ciuilia præstanta, quæ ipsi incumbere diximus: facultates habeat, & eleganter insuper in coniœtu, & societate hominum vivere possit. Diuitiæ etenim felici homini necessariæ sunt, ut eorum, qui ad se attinent, indigentiam leuare possit, & beneficentiam in cæteros ciues, ac virtutes alias, quæ virū magnificum, atque magnanimum decet, expeditè exercere. Honores item, quia potentiam quandam in republica ad opera quædam ciuilia exercenda afferunt, ad quæ aditus aliorum non pateret: necessarii sunt. Plura enim potest, qui in magna aliqua administratione constitutus est, quæ priuatus exercere non posset: & plura alia commoda secum honos afferunt, de quibus in quarto latius disputatur. Postremò etiam amici maximè conferunt. Plura siquidem, quæ per nosipso facere non possumus, per alios & amicos præstare valemus: ut latius hoc in octauo & nono lib. Aristoteles prosequitur: indiget ergo felix bonis corporis & fortunæ, ut sibi & aliis copiosè sufficere possit, & nullius rei, quæ ad actiones ciuiles pertineat, indigentiam patiatur. Est ergo felicitas bonum sufficientissimum, quod tertio loco probandum fuit propositum.

Sufficiens verò id esse statuimus .&c.

Hactenus de sufficientia felicitatis ex parte hominis felicis, qui in ciuili vita pluribus indiget, Aristoteles dixit. Nunc ipius sufficientiæ ex parte eiusdem felicitatis considerat. Atq; tria hac ratione de eius sufficientia afferit, quæ quia litera

quoquam pacto implicata est, nec eius expeditio apud omnes expositores constat: notanda veniunt. Primo ergo sufficientiam felicitatis hoc pacto statuit: qd si sumatur id, quod potissimum felicitatem efficit (quod statim philosophus docebit) cum omnibus instrumentis & apparatu, quo indigere diximus: sola ipsa felicitas per se, integrum, sufficiet, ac per se expetibilem vitam reddere valet. Ad quod dictum probandum non aliquam rationem hic adducit, quia ex consensu omnium hominum, ut supra explicuit: satis firmum est.

### Quin maximè omnium: &c.

Dicit iam secundo, quod si id, quod potissimum in felicitate est. Quod actio secundum virtutem statim afferitur: per se sumatur, seclusis instrumentis eam condecorantibus, & ambientibus, rem esse omnium maximè expetibilem, ita ut si in lance vna id, quod essentialiter felicitas est, ponatur: in altera vero, reliqua omnia corporis & fortunæ bona, quæ illi officium & famulatum præstant: necessarium semper est, ut in maioribus ponderibus impositisillam deprimi, hanc autem erigi, sursumq; leuari. Ex quo aperte colligitur, ex men-

*Virtus of te Aristotelis bona animæ, nulla ratione pro bonis corporiis pro nullomodo panæ virtute, commuta bile.*

Aristotelis expositores est: ex mente ipsius omnino esse placet confirmare. Atque primò ex serie, ipsius literæ constat. Nam si ita in secundo hoc dicto, sicut in primo felicitatis sufficientiam cum omni suo apparatu considerasset, inutilis sanè eiusdem rei repetitio esset: quandoquidem eam cum toto suo decore sumere, & contra quædam omnino accidentalia, ut optimam comam habere: aptius atque elegantius aliis incedere, & cetera huiusmodi: futilis & inanis sermo euaderet. Quippe hæc leuissima sint, nulloque pacto felicitatem re ipsa augere valeant, sicut nec opposita lardere, aut commaculare. Item secundo phi-

losophus

Iosophus se ipsum explicat. Nam inquit: maxime esse expetibilem, si cum aliis non connumeretur, atque numerum faciat. Felicitas autem non connumeratur, aut numerum constituit, nisi cum bonis corporis & fortunæ, quibus ut instrumentis ad se ipsam exercendam, & manifestandam, vtitur: cum ipsis igitur hoc loco non consideratur, nec numerum facit: cum quibus in praecedenti litera connumerabatur. Nam iisdem nunc dicit non connumerari, quibus in praecedenti assertione connumerabatur: vel concedas, oportet in superiori dicto cum optimo incessu, eleganti coma, & ceteris rebus mulieribus, ut ex quibus tanquam instrumentis necessariis felicitas constet, connumeratam eam fuisse: quod ne mo concedet. Item tertio idem innotescit ex prima ratione, qua ad probandum, felicitatem quid optimum, & perfectissimum, esse, est usus. Nam ex unitate finis id persuasit, ubi subdidit: Quod si plures fines perfecti essent, is felicitas censendus esset, qui ipsorum esset perfectissimus: essentialiter ergo felicitas unum, atque unius artis finis, philosophiae sciencet, aut prudentiae, est. Erit igitur huiusmodi finis à suis instrumentis sciunctus, maximè omnium expetibilis. Bene verum est, quod secundum mentem Aristotelis essentialis felicitas ab omnibus suis instrumentis sciuncta felicem vitam ciuilem, & per se expetibilem non valet facere, ut in sequentibus magis patebit: cum hoc tamen stat ipsam per se omnium eorum, quæ eam concomitantur, maxime esse expetendam: & quod essentialiter felicitas nuncupetur: ita ut cū aliis nulla ratione cōmutari possit, sine quibus tamē impedita sit. Quapropter & felicem vitam reddere non valet. Erit igitur vera superior interpretatio. Secundò potest etiam aptissimè explicari, ut cum suis etiam instrumentis ut alii volunt, hic consideretur: longe tamen alia ratione: ita quod felicitas cum omnibus suis instrumentis necessariis accipiatur, atque tunc inquit Aristoteles: omnium rerum maximè esse expetibilem. Neque comparatio fit ad sua instrumenta ut supra dicebatur: sed absolute ad quamlibet aliam rem, id est, ad quamlibet accessionem, qua sua instrumenta augeri & ampliari possunt: ut

ad diuitias de nouo accedentes, ad nouos honores, ad prætantiores amicos, ad maius robur, & ad alia similia. Inquitq; q; si cū his singulis felicitas nō cōnumeretur, quæ sua instrumenta auctiora reddere possunt, quoniā ad iniculis sufficiētibus & necessariis ad vitā ciuilē cū copia quadā studiosè & optimè traducēda adiuta est, & quæcūq; alia accessio redūdet: omniū maximè expetibile existere. quod philosoph⁹ insinuās verbo eo, cōnumerari, vsus est: iā siquidē cū necessariis instrumētis numerata fuerat. Quocirca hæc interpretatione huic loco vbi de felicitatis sufficiētia agitur, maximè cōgruit: superior verò, quæ ab Aristotele supponit, vera sententia est, vt ex præcedentibus patet: nam probatū est felicitatem essentialiter in vno tantū debere consistere. Perstādo, igitur in hac interpretatione, secundū cā tertio loco iam docet, q; si felicitas cum suis instrumētis necessariis considerata, de qua statim diximus: alicuius boni accessionē accipiat, vt diuiniarū, honoris, aut cæterorum, magis expetibilis facta est: ac magis splendida, & beatiorem vitā reddit. Quod probat: nā & si suis instrumētis integra, & absoluta felicitas erat, quia tamen pedisequis bonis additio aliqua facta est, aggregatū ex præexistenti bono & accessione, excessum & supereminentiā habet. ad id, quod præextiterat: quare maius bonū factū est, & ex cōsequenti expetibilius. Est igitur felicitas suis ornata ministris, quibus decēter se ipsam exercere potest: si cōnumeretur cū aliquo bono extra necessaria, quæ sibi iam habet, expetibilior reddit: nō tamen ea ratione, vt si id, quod accessit recedat, felicitas lēdatur, & cōmaculetur. Ex quibus duo sequuntur. Primum q; id, quod potissimum & essentialiter est felicitas, vñū tantū est, vt antea dicebam⁹: quod tamen sua exigit instrumēta, quæ bona corporis & fortunæ existunt: vt se per officia debita exerere, & depromere possit. Vnde sicut artifex iis instrumentis contentus est, quibus suæ artis opera sufficienter absoluere, & præstare potest: aliorumq; nulla cupiditate premitur, & si eorum accessu, sua ars pulchrior, & ornatior euadere posset: ita & felix hac ciuili vita his fortunæ bonis contentus esse debet, quibus ad virtutis opera præstanta sufficiens redditur. Quod si horū bonorum maior copia accesserit, ornatior, & pulchrior eius felici-

felicitas apparebit: atq; expetibilior erit. Sed quia omnia, ultra ea, quæ virtus ciuilis necessariò exigit, redundant: eorum cupiditate minimè homo solicitari, aut angustiari debet. Itaque hac ratione & si bona externa, bona ab Aristotele censantur contra Stoicos, vt statim dicemus: quia tamen ea actionis, virtutis, & felicitatis, instrumenta appellat: vt apertè secundam explicando conditionē, de diuitiis dixit: constat ipsum per felicitatis, & officiorum ciuilium exigentiā, tanquā per mensurā quandā, immodico desiderio, & effrenata hominū cupiditatē qui in hæc bona toto imperu feruntur: metam & terminū statuisse: tantū vt virtutis ciuilis instrumenta appetenda esse affirmando. Secundū, quod sequitur, est, hoc loco principaliter philosophum contra Stoicos docere, ipsisq; penitus aduerlari. Dicebant enim ii tantū honestū bonū esse: robur aut̄, valetudinem, honores, diuitias, *Sola viri* quæ hīc Aristoteles bona appellat, minimè bona existimāt: *tus bona* sicut nec paupertatem, morbū, & cætera, quæ prædictis op- *secundum* ponuntur, mala. Solum enim virtutes bona cēsent, & ipsiū *Stoicos.* honestū, quod omniū virtutū confusione, seu confessum asserūt: quæ & felicitatē appellant. Quorū potissima ratio aliis nunc omis̄sis, hēc est: quia felicitas, id est virtus ipsa tantum proprio genere, & nō magnitudine gaudet: atq; hac ratione sibi contēta est. Quare cū vi sua propria, bona & pulchra, atq; elegans habeatur, & sit: licet aliorū extēnorū, quæ communiter appetuntur, extrinsecus non indigeat: si eorūdem tamen ipsi accessio fiat, inquiunt isti: non maius bonū, aut pulchrius quid redditur. Imo quemadmodū solis luce lucernæ lumen offundit, & obscuratur: & magnitudine itē maris Oceani stilla Bæthis interiit: & vñus passus, in ea via integrā, quæ hinc in Indiam est: ita splendore, & magnitudine virtutis quamcunq; accessionē, rerūq; estimationem, quæ in corpore sitæ sunt, eiūsque ornamēto adsunt: penitus obscurari, obrui, & perpetuis tenebris offundi, constanter assuerant. Quod etiam amplius exemplis aliis illustrant. Nam mel, dulcissimum cū sit, ita proprio saporis genere gaudet vt confusione seu comparatione cum alijs vt dulce sentiatur, non indigeat: imo aliis quodam modo desciscit. Ita nec virtutis estimationem, nec magnitudinem, cū vi sua pro-

# IN PRIMVM ETHIC. ARIST.

pria & dignitate optima sit: vt talis existat, aut appareat, minime aliis indigere dicunt. Et quemadmodum rursus opportunitas productione temporis non sit maior. habet quippe suum modum quæcunque oportuna sunt: ita nec ipsum bonum: quod in eo positum est, vt semper naturæ rationis consentiat: nulla accessione vñquam crescere potest. Vnde assentunt: quod & si valere, expetendum sit, & etiam sapere: licet utrumque coniunctum magis sit expetendum, quam sapere solum: non tamen vtrumque pluris estimandum est, quam sapere à bona valetudine separatum. Hæc Stoici, quæ expressè contradicunt his, quæ de felicitatis auctiōne hoc loco philosophus dicit. Quæ ideo adduxi, vt mens eius clarius percipiatur, & vt Stoicorum de felicitate sententia ex parte degustaretur, quos frequenter in sequentibus incelsit.

Itaq; felicitas cùm agendorum finis sit. &c.

Ex dictis conditionibus diffinitionem quandam felicitatis in genere videtur eruere, quæ eiusmodi prædicato enuntiatur. Bonum agendum, siue agibile sufficiens & perfectum. Sed quia communiter omnes felicitatis nomine, bonum quoddam sufficiens, & perfectum intelligunt: adhuc tamē desiderant explicatus cognoscere, quid id sit, & cui rei coniunctum inueniatur: conandū inquit: est id exprimere, propriamq; & evidentem felicitatis tradere diffinitionem. Quā per singulas partes, quibus quæcunq; legitima definitio constare debet: diligenter querit, & colligit.

Fortasse vero hoc fieret, si hominis opus sumeretur. &c.

*Felicitas in operatione.* Primo ergo loco statuit in operatione hominis eius felicitatem collocandam esse: quare primum bonum, vt genus in definitione, operatio tenēre debet. *Quod ex artibus* tanquam ex rebus manifestissimis sic probat: estimatio, bonum esse, siue quod bene se habet in artifice, ex ipsius opere & operatione sanè pendet: nam quod ipsum beatet, & felicem redderet, si artifex huiusmodi nomine donandus esset, absolutio sanè, & operum elegantia esset. Hoc etenim eos opinione hominum elegantes, & estimatione

# COMMENT. CAP. VII. 94

matione dignos facit. Solerterem quippe artificem, & cæteris præstantem, eius absoluta opera indicant, & demonstrant: vt in statuari, & tibicine, & absolute in omni artifice, cuius opus aliquod ingenuè elaboratum existat, clare cernere licet. Bonum igitur ipsius hominis, & quod ipsum felicem reddet, in opere siue eius operatione iure optimo collocandum est. Artes præterea rationis humanæ, effectus & generatioes sunt: & huiusmodi habitus, qui ipso homine, & hominis ratione posteriores existūt, & quorum fines hominis fini subiiciuntur: per sua opera & operationes perficiuntur, suosque autores suo genere perfectos, & estimatione dignos, faciunt: consentaneum igitur erit, vt ratio hominis propria opera, & functione perficiatur, quæ sic perfecta, ipsum hominem perfectum, & felicem reddat. Est ergo felicitas in operatione hominis omni proculdubio constituenda. At ne aliquis diceret nulla operatione hominem gaudere: aut potius vt nihil intactum prætermittat, eiusque examen subterfugiat, quam vt hoc probatione aliqua & examine indigere videatur: id ostensione quadam oculis subiicit. Cuiuscunque artificis inquit: siue eius ars opus aliquod habeat efficere, vt tutoris, & fabri artes sunt: siue operatione tantum contenta sit, vt tibicinis & citharedi: semper aliquod opus, quo se exercet, suamque vim, & dignitatem exerit, aut operationem habet, ad quam tanquam ad finem ordinatur: non igitur hominem, qui artium omnium autor, & inventor est, & qui ad proprios fines, & usus, eas destinavit: ociosum fine & opera vacantem natura ipsa produxit, quæ nihil ociosum, nihil vñquā frustra, & absq; ordine fecit. Operationem igitur homo habet, ad operandūq; natus est. Præterea inquit: quod cūq; hominis membrū opus propriū, & functionem habet: substantiæ enim corpus pedes: cursum insuper, & deambulationē faciunt: tangūt, & impellunt manus: congrua etiā attrahunt, & nocua repellunt: oculus videt, atque à longe conuenientia, & cūtraria discernit: ac perinde cæteræ partes suas functiones, & operationes habent: ipse igitur etiam homoproprias operationes habebit. Habet siquidem membra, quæ ipsius organa & instrumenta sunt. Absurdum quippe est

est dicere artificis instrumenta agere, suaq; opera efficere, at  
tificem autem ipsum otiosam esse, nec dolabram ipsam mo-  
uere. Item, quod homo ipsius ciuitatis membrum existit, ut  
primo Politorum latè probatur. Est igitur ipsi necessariò  
aliqua operatio statuenda: ut vel officium debitum sux rei-  
pub. impendere possit.

**Quid igitur hoc erit. &c.**

Posito iam finitionis genere, differentias ipsum coarctantes  
inquirit. Et primò cùm varix, & diuersæ, sint hominis ope-  
rations, in quo illarum genere felicitas césenda sit, inuestigat.  
Atque primò vegetandi vitam, quæ generandi, nutrien-  
di, & augendi operationibus constat à ratione felicitatis ex-  
cludit. Vita etenim hæc, & operadi genus, herbis, & plantis  
cunctis commune est. Generantur namq; hæc, nutriuntur,  
& augmentur, quicquamadmodum & homines. Felicitas autē in  
propria hominis operatione sedem habet: vegetādi igitur  
operations ad hanc rem posthabendę sunt. Ob eandem itē  
rationem sentiendi vitam, quæ sensuum operationibus ex-  
stat, ob quod manifestior, & certior vita, quām præcedēs ha-  
betur: reicit. Communis quippe inquit: est cum homine, e-  
quo, etiam & bove, ac ceteris brutis animalibus: est igitur ab  
hominis felicitate omnino aliena. Quare reliquū est, ut pro-  
pria hominis operatio in tertia quadam vita reponatur, quæ  
ex duabus partibus constat: ex ea, quæ ratione prædicta est,  
atque ex se, propriaq; essentia rationem habet, ut ipsam et ra-  
tio, & intellectus actiuus existit: atque ex ea, quæ ex se qui-  
dem ratione caret, habenti tamen, parere & obtemperare  
nata est. Quia licet ex se rationalis hæc pars non sit, ut sensu  
omnis, & appetitus sensitivus existit, ut parti tamen  
rationem habenti obsequitur, eaque moderatur, participa-  
tione rationē habet, atq; participatiue rationalis, ut commu-  
niter dicitur, facta est: ut latius infrà suo proprio loco dispu-  
tabitur. Sensitiva igitur pars ut rationi se morigeram præ-  
bet, rationalis quodammodo efficitur, quo etiam pacto par-  
ticeps felicitatis est. Tertius ergo iste viuendi modus, qui  
vita actiuæ & ciuilis dicitur, semper ratione præditus est:  
quia ea dirigitur, & gubernatur. Atque item cùm nō solùm  
intellectus

intellectus actiuæ operationibus hæc vita vacet, sed etiā sen-  
suum, ut ab iisdefin tamen rationi obtéperantibus, egrediun-  
tur: hinc est, q; in eas potētias, & partes, rationalem hanc vi-  
tam diuisit, quarum alteram ex se rationem habere dicit, al-  
teram verò, quæ solūm ut obedientem, obsequētemque se  
præbeat, eam participet. Quibus duas iam diffinitionis par-  
tes colligit. Altera est, quod felicitas sit hominis operatio, al-  
tera verò, per rationem, aut non sine ratione eandem esse.  
Cuius generis operations tantum ad actiuum intellectum  
pertinent, & non ad speculatiuum, cuius opera non conuen-  
nit homini, in quantum homo est, siue in quantum ab Aristotele  
hoc loco consideratur: ut supra etiā iam explicuimus.  
Sed quia vita hæc actiuæ, quæ cum ratione est, dupliciter co-  
siderari potest, vno modo in habitu & potentia, qua opera-  
tionibus rationis fungi potest, non tamen operatur: secun-  
do modo in actu, ut prædicto habitu & potentia vtitur, ope-  
rationesq; rationis exercet. atque cùm hæc vita, quæ in actu  
est, omnem amplitudinem, & potentiam, in actum redux-  
rit, suamq; perfectionē eo modo adepta fuerit, nec amplio-  
rem expetat: felicitas verò vltima perfectio ciuilis. Vitæ exis-  
tat, nec aliud in ea vltra expetendum relinquatur: necessariò  
fit felicitatem in ea vita existere, quæ iam in actu est, & mi-  
nimè in ea, quæ in potentia, & quæ ad actum tanquam ad  
suam perfectionem ordinatur. Est tamen aduertendum, q;  
cum hic intelligit philosophus in habitu, seu potētia, qui na-  
turalem facultatem habet ad operandum secundum ratio-  
nem, quia actiuum intellectum, voluntatem, & cæteras po-  
tentias naturales habet: & cum insuper, qui habitum quidē  
ita agendi haberet, non tamen habitum, neque potentiam, ope-  
rationibus depropriet. Qui & si in potentia, & via quo-  
dammodo ad suam perfectionem acquirendam sit, nondū  
tamen eam est asseditus. Quare meritò in ea solū, quæ actu  
est, qua & superior perficitur, ciuilis felicitas collocatur.

**Quod si est opus hominis animæ operatio se-  
cundum rationem. &c.**

**Quū igitur diffinitionis genus hactenus inuestigauerit, sta-  
tueritq; hominis felicitatem ciuilem, operationem animæ  
esse**

*Qualem  
operatio-  
nē felici-  
tas requi-  
rat.*

esse secundum rationem, vel nō sine ratione eo modo, quo explicatum est: hoc posito & constituto, differētias, quibus restringendum sit, iam inquirit. Atque prima, quam statuit, est p̄fata operationem rationis ex virtute aut secūdum optimam virtutem esse debere. Quam hoc pacto deducit: opus huius hominis, & huius alterius probi & studiosi hominis etiam opus, idem genere sunt: continentur enim sub hoc vniuersali, quod est secundum rationem esse, aut non sine ratione, quare sub idem etiam genus vniuersale subiicientur. Quemadmodum inquit: gratia exempli, vnius hominis, qui cithara canit, operatio, & alterius, qui bene & artificiose cithara etiam psallat, quia arte peritus: ad idem sānē genus hi cantus reducētur, ad hoc videlicet, quod est modulatē cithara canere. Hoc enim ambo faciunt, & audientiū aures, suo modo unus & alter demulcēre valent: differūt tamen, quod hic, quia ex arte operatur, omnes p̄ceptiones, & artis musicæ obseruationes, prōptè & opportune seruat: quamobrem suauius & elegantius auribus blanditur. Ille vero, quia arte cithara canendi caret, & si natura magistra, vocem musicæ accommodatam accepit, eamq; aptè & sonorè ad citharē modum flextat, ob quod etiam audientes pelli ceat, & nullo pacto offendat: quia tamen non ea promptitudine, opportunitate, & elegantia, qua primus: non adeo suavis & oblectamento omnibus est, neque eius operatione tanta promptitudine, & facilitate, atque certitudine non erandi, sicut alterius, elicitur: Quia principiis musicæ artis caret, vel quia adhuc ex ipsis non excellerit. Sed est aduentum hic pro iis, quæ infrā dicentur, quod Aristoteles hoc loco non ponit differentiam inter citharædum, & probum citharædum ex operationibus ipsis, quod alterius errore caret, alterius vero non: sed tantum ex modo operādi. Quapropter & hoc adverbio benè vtitur, quod agendi modum solum designat. Quo posito aperte sequitur id, quod proposuimus, operationes hominis secūdum rationem, aut nō sine ratione operantis, & probi & studiosi hominis, qui ex virtute agit, genere conuenire, in modo autem solum differe. Quia cū vterque bonam operationem exerceat, ista tamen, qui probus & studiosus est, virtutemque iam acqui-

sitam

sitam habet, solum recte & bene: alter autem & si bonam: non tamen bene. & hoc vniuersaliter inquit Aristoteles: in omnibus operibus, aut operationibus verum est, vt excelsus operis, seu operationis, quæ ex propria virtute, & arte est, adiunctus operi, aut operationi, quæ in eadem materia, absque propria arte & virtute fit, genus non variet: sed in eodem genere opus semper, siue operationem relinquat. Quo posito philosophus suam conclusionem infert, quod si ita (inquit) est, sequitur, vt optimo iure in operationibus probi & studiosi viri, qui bene recteque semper suas operationes exequitur, felicitatem, & bonum humanum tantum esse censemus. Quæ rationis subductio duplice patet. Primo vt hac ratione maiorem semper perfectionem felicitati adscriberet: nam cū maximam, & summam humanam perfectionem habere debeat, eam in vita actiua constituit, quæ secundum rationem est, vel non sine ratione: & non in habitu, sed in opere & actu ipso, qui habitus, & potētis, perfectione est. Cū igitur probi & studiosi viri operationes, perfectiores sint his, quæ recte sunt, nō tamē ab studio egrediuntur: planè sequitur in huius studiosi viri operationibus tanquā in perfectioribus felicitatē constituendā esse. Alias enī manca, & deficiens cōtra dicta, existeret: quapropter & maxime felicitatis nomine digna. Secundò idē probat. Nā in vniuersum in cuiuscunq; artis operibus hoc verum est, vt singula, quæ ex propria virtute, hoc est ex propria arte, & facultate, ad id genus perfectionum accommodata, egreduntur, perfectiora sunt iis, quæ sine arte fiunt. Quare cum felicitas perfectissima inter humana bona esse debeat, ex propria virtute, & arte ipsius animæ, quæ virtus moralis existit, effici necessarium est. Vnde inquit: quod si plures virtutes in anima sint, vt fortitudo, temperantia, iustitia ex ea, quæ omnium optima est, & quæ cunctas amplectitur qualis prudētia censetur, quæ omnium virtutum moralium regina, oculus, & lucifer est: ob quod ars etiam vita merito ab omnibus recte sentientibus nuncupatur, fieri debet. Quod si hoc ita est, conclusio intenta evidenter sequitur, felicitatem nempe operationibus probi & studiosi viri tantum effici. Nam cū omnem perfectionem humanam haberet debeat.

hunc ea potietur, cum à virtute prudentia, quæ optima inter virtutes morales est, egressa fuerit. Vnde hactenus hæc felicitatis definitio constructa est, quod sit operatio rationis, vel non sine ratione, & secundum optimam virtutem, aut ex optima virtute elicita. Atq; hæc videtur huius literæ exppositio, & sententia Aristotelis legitima interpretatio, in qua expositores maximè variant.

Sed ut hæc clarius percipientur, quæritur, cum differentia in definitione, genus ad speciem aliquam coarctare habeat, & insuper ab aliis ipsum differre facere: quo pacto virtus, operationem rationis, vel non sine ratione id efficiat? cum operatio rationis etiam bona sit, quemadmodum & ea, quæ à virtute egreditur. Hoc dubium exposita literæ explicazione ferè iam expeditum est. Sed quia nō desunt, qui propter rationem hanc aliter textum hunc interpretentur: ideo eorum sententia hoc loco excutienda sunt. Dicunt ergo quidam, q; differentia hæc secundum virtutem, ad excludendas eas operationes ponitur, quæ licet sint secundum rationem, fortunatenam quadam, vel coactæ, aut alio inpellente exercentur, vel etiam docente. Quare prædictæ operationes cum non egrediantur à propria virtute operantis ut requiritur: metito à ratione felicitatis, licet secundum rationem fiant, excluduntur. Et rursus addunt necessarium esse, ut felix semper bene & recte operetur, quando voluerit pro occasione occurrente. Is autem, qui virtutem operandi facilitate, & promptitudine dicta, non habet, non semper, quod oportuerit, bene operabitur: ut aliquis exempli gratia, non grammaticus poterit calu aliquo loqui secundum rationem grammaticæ, non tamen semper: ut ille, qui habet huius artis habitum. Quibus rationibus suam sententiam iij fulcire nituntur. Nullo tamen pacto difficultatem expediuit. Nam prima ratione tantum excludunt operationes non spontaneas, & violentas: quæ ex se iam reiectæ erant. Quapropter neque earum Aristoteles meminit: sed de operatione rationis libera, & spontanea, tantum erat sermo. Alias bruti etiā animalis ad nutum possessoris aliquando cursum agentis operatio secundum rationem hic celeretur: quod omnino texui, & rationi, repugnat. Secunda deinde ratione tantum exclu-

ditur homo, qui habitum & promptitudinem semper bene operandi non habuerit, à numero felicium: non tamen eas operationes, quæ sunt secundum rationem in eo, qui nondum virtutem assecutus est quod Aristoteles specialiter intendit: reiiciunt. Nam de operationibus ad felicitatem non pertinentibus atq; de iis, quæ ad eam spectant, sermonē habet: ut has admittat, illas verò reiiciat. Horum igitur sententia menti Aristotelis minimè accommodata est. Secundò dicunt alii & elegantes quidē, q; particula hæc (secundū virtutē) ed ponitur, ut differentia, quæ inter operationes rationis quæ antecedunt habitū, & eas, quæ virtutē sequuntur, assignetur. Nā quæ sequuntur, semper sunt recte, atq; studiosæ: quæ verò procedunt, & si sint cū ratione, peccata possunt esse, & omnino desicere. Quare cum operationes felicis nullo modo defectiva aliquem patientur, quæ tantū sunt secundum rationē, ad eā nullo modo pertinebunt. Atq; horū ratio est, quia anima humana, quādū corpori alligata est, ob id, quod ab eo multa recipit impedimenta, facile in errorē labi potest. Quare ut ab eo se liberet, multa indiget exercitatione, longa experientia, longo ite tempore, nec non & assiduo labore, ut habitū bene operandi in omnibus assequatur. Quo nō existente mirandū non est operationē cū ratione posse esse peccatum. Hæc aut̄ sententia nullo pacto literā exponit. Nā Aristotelis intentio nō est differentiā statuere inter operationes, quibus felicitas efficitur, & inter prauas, quæ ab ea omnino excluduntur. Quod sufficienter indicavit, cum dixit: felicitatem operationē secundum rationē, vel nō sine ratione necessariō esse: sed intēdit distantia solum signare inter operationes bonas, & eas, quæ perfectæ sunt. Nam cum felicitas perfectissimum quid inter bona humana esse debeat, in absolute, & perfectis operationibus, quales, quæ virtutem sequuntur, existunt: constituendam esse, planum est. Siquidem quæ ante habitū & virtutem sunt, & si bonæ sint, quando rationis examen non transgrediuntur, nō tamen perfectæ, cū à virtute non procedant: sunt tamen genere similes his, quæ virtutem sequuntur, ut expressè hæc Aristoteles assertit: & ex professō secundo libro capite quarto docet. Et hoc praefens littera intendit, & Aristotelis ratio omnino probat, ut in

etius expositioне late patuit, & rursus totius textus ordo, quia à minus ad magis perfectum procedit, idem manifestè postulat. Secundò hæc sententia pessimum in se continet et rotem in eo, quod dicit operationem cui ratione posse esse peccatum: non obstante ꝑ secundum rationem sit. Quod ita esse manifestè patet. Nam in primis, id est contra Aristotelis sententiam in hoc capite: vbi operationes sensuum, rationi obtemperantium & obsequentium, à numero earum, eius quod quæ à brutis exercentur, separat, & bonas atq; humanas censit, non alia de causa, sed ea tantum, ꝑ secundum rationem fiunt, id est secundum rationis commensurationem, atq; vt præcipit, & exigit ratio ipsa. Itē in secundo libro capite quarto expressè rationem ipsam humanorum actuum, & eorū, qui studiosi sunt, regulam certam, & constantem affirmat, quando inquit: ꝑ tunc quisquam rectè operatur, quando sciens, & eligens agit, & propter ipsa, id est, non propter aliquem finem extrinsecum, sed propter ipsa met opera: quia talia scilicet sunt, vt rationis examini conueniant. Quod etiam apertius asserit finitionem virtutis construendo. Ponit ergo rationem, humanorum actuum regulam, ita vt qui eius examini congruat, bonus actus sit: contrà vero, si ab ea discrepet. Nequit ergo aliquis actus cum ratione, vel secundum rationem peccatum esse. Item in fine huius inquit: ꝑ ratio ad optima quæq; semper inuitat, & excitat: operatio ergo illi consona, studiosa, & nullo pacto prava erit. Et tandem totum hoc opus hac doctrina refertum est. Quare expressè hæc sententia Aristoteli repugnat: & est etiam contra omnem rationem. Nam qui fieri potest, vt ratio ipsa, quæ homini data est, vti oculus, & sol quidam ad illustrandum, & illuminandum ea, quæ agenda sunt, vt aptè inter agibilia discernerere possit, atq; ea ratione honesta amplectatur, & contraria continuò fugiat: media ipsa luce cæciuitat, & obscuretur. Et rursus si hoc ita esset, insufficienter hac in re naturę humana prospectum fuisset, cum ea, quæ sibi, proprioq; fini congruerent, certam & firmam videndi facultatem, sicut cetera animalia, non accipisset: si ita esset, ꝑ id, quod vera ratio præscribit, & secundum rationem est, cum peccato coniunctum esse posset. Item sequeretur Deum optimum maximū

huius-

huiusmodi naturam condentem, autorem posse esse peccati: quod è manifestum est, ꝑ peccatum naturam ipsam statim ex ipsius conditione insequens, autori eiusdem imputatur. Propter quod eleganter quidem diuus Thomas sentit, angelum in primo instanti suæ conditionis minimè peccare potuisse: quia tunc autoris naturę peccatum illud céleretur. Sed idem omnino in proposito accedit, si actus cum ratione aut secundū rationē peccatum esse posset. Nā cū huiusmodi defectus in potestate hominis nō sit, quia omnē diligentia ad ipsum cauendū adhibuit, siquidē secundū rationē est: natura ipsam planè insequeretur, & autori naturę esset adscribēdū, quod impiū omnino, & nefas est. Itē postremò sequeretur, ꝑ lex naturalis propriè sumpta, nō esset fixa omnino, & immobilis, neq; eadē apud oēs: quod est cōtra oēs Theologos, & expressè contra Aristotelē quinto libro huius operis, vbi de iure disputat. Sequela ramen manifestissima est. Nam si actus cum ratione potest esse peccatum, nullam certam & stabilem regulam haberemus, metiendi id, quod legi naturali consentaneum esset. Quare quilibet, quod sibi placeret id legis naturalis esse statim assiceret, quia sic sibi videretur: atque alios sibi non consentientes errare diceret, atq; id pugnacissimè defenderet: & omnis item via corrīgēdi alios, qui contra naturam peccant, intra limites humanę nature sistēdo, omnino periret. Quæ omnia absurdissima sunt, & cōtra id, quod beatus Paulus docet ad Romanos scribens capite tertio. Gentes inquit: quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt, faciunt: habentes opus legis scriptum in cordibus eorum &c. Vbi legem naturalem sufficienter ostendē id, quod honestū est, statuit, atque immobilem, & fixam, apud omnes insinuat. Est igitur hæc sententia omnino à veritate aliena. Quodd si in eius excusationem dicatur, autorem non assicerere opus secundum rationem absolutè factum esse peccatum, sed secundum eam rationem solum, vel cum ea ratione, quæ electionem immediate præcedit, quæ potest esse erronea, & ignorantia impedita, atque ita sequitur electio, & actus, qui peccatum erit: simul cum ratione illa sit deliberante. Nam propter reliquias primi peccati, & corporis etiam impedimenta, facile ratio à sensibus pertur-

basi potest, atque ita frequenter in deliberationibus errore, & ignorantia impediri, quo minus quæ honesta sunt, talia cœlear. Quare ut ab ea liberetur, habituq; bene operandi in omnibus paret, cōtinuō dei optimi indiger auxilio, multaq; insuper exercitatione & experiētia. Hoc quidē verissimum est, est tamē omnino diuersum ab ea sentētia, quā disputabamus. Nā expresa eius autoris hęc sunt verba. Quocirca fieri posse, vt operatio cum ratione aliquādo peccet, negandum: absolute minimē arbitror. Et idē exponendo exēplum illud: citharədi, & probi citharədi etiā asseruerat, vt legenti patet. Itē q; ratio ab eo nō accipiatur pro hac, vel illa ratiocinatione, electionē præcedente, hinc planū est colligere. Quia eo modo rationem accipiunt sic opinantes, quo & ipse Aristoteles: philosophus verò pro ipsa vera ratione, illustratio-neq; ipsius naturæ in homine accipit, quia honesta ab in-honestis valeat discernere: ergo & ipsi. Itē si loquitur de ratiocinatione & syllogismo particulari, qui cum ignorantia & errore coniunctus est, sic arguo: vel ignorantia illa intrin-  
cabilis est, aut vincibilis: si vinci non potest, operatio iam illa-peccatum non erit, siquidem id genus ignorantia omnino excusat: si autem vinci & superari potest, cōstat iam eā cū ratione nō esse: imd tū iudicio tantū & approbatione sensus, & alicuius affectus, seu perturbationis, rationē ipsam impe-dientis. Quod si adhuc excusationē positā quispiā admittere velit: esto sanè. In nullius etenim inuidiam. hęc differui, sed: vt germanus literæ sensus appareret, veritasq; debito splendore non priuaretur: & vt omnes etiā scrupulos præ-molrer, quibus lector offendī posset.

## Et insuper in vita perfecta. &amp;c.

Vltimā differentiā, diffinitionē claudētis, hoc loco statuit, asseritq; prædictarum operationū ordinē & seriē minime felicitate cōstituere, nisi absq; interruptione per admissionem alicuius sceleris, vñq; ad finē vitę duret, & perseueret. Itaque quemadmodū colestis, & æterna illa felicitas, Christi redē-p-toris nostri testimonio nulli cōtingere potest, nisi in bonis operib; & Deo gratis, vñq; in finē vitę perseueret, ita inquit Aristoteles, q; felicitas hęc ciuilis, quę ad illā supremā para-n-dam

*Perseru-*  
*rantia in*  
*bono ne-*  
*cessaria.*

dam exordium quoddam, prima radix, & fundamentū est, minime constat, nec felicitatis nō men aptè retinet, nisi perseueratiā quadam in bono, studiosisq; actionibus, ad finem vñq; vitę perduret. Atq; hęc sit prima expositio huius diffe-rentiæ, in vita perfecta, quæ sic persuaderat ex parte ipsius felicis. Nam ad hoc, vt hęc denominationem quispiam for-tiatur, felixq; hominum iudicio habeatur, plures virtutum omnium operationes, pro oportunitatibus occurrentibus, ipsum exercuisse oportet: vt hęc aliis omnibus in ciuitate vi-ris probis conspicua sint, atq; ob easdē habitu bene in om-nibus operandi, vti naturam quandam firmum, & illustrem habeat, omnesq; talem adesse ingenuè fateantur, necessariū est. Hęc autem nimis longum tempus requirūt, totum q; vi-tæ spaciū, ab eo tēpore, quo felicitas initium habuit, quod tempus operandi à philosophis dicitur, & virili zetati cōiunctum volunt: vñq; ad vltimū terminum, & vitę finē, requiri-re videntur. Propter quod etiam eum feliciorē cōmuni-niter appellant, qui longiorē habuit vitam, ad maiusq; tem-poris spaciū huiusmodi operationum genus extēdere va-luit, idq; optimo iure. Nam cū felicitas bonū quoddā sit, quantō magis extensum erit, tantō maius bonū: quare & is, cui longiori tempore contigit, quam is, cui breviori, felicior meritō iudicatur. Imd id euidenter sequitur: cū felicitas summum bonum, & perfectum sit, quod maius semper, & perfectius, ex noua & noua studiosarū operationū accessio-ne, reddatur. Quare vñq; ad finem vitę huiusmodi actiones extendi debent, vt earum iudicio felicis hominis status opti-mus, & perfectus, ab aliis cōfiteatur. Secūdū idē duobus exē-plis ostendit, prius ex iudicio communi & opinione, qua fe-licitatem alicui homines inesse censem: hoc pacto de sumi-videtur. Quemadmodum hirundinū ad nos aduolatio ex Thracia, (vbi cauernis etiam, & locis abditis impatientes fri-goris hyeme agū) veris, temporisq; calidi, nobis indicio est: ita & operationes studiosæ hominis felicitatem velut indi-ce cōmonstrant, operationibus etenim operandi habitum, atq; hominis statum, deprehendimus. At ita est, q; vnius hi-rundinis aduolatio tēpus vernū indicare nō valet, nisi mul-ta, & magna frequentia congruam iam nostræ regionis ha-bitationem

*Felicitas seruare enris sue* bitationem significantes aduenerint: ergo nec vna, aut alia operatio hominis felicitatem significare valebit, nisi multæ & frequentes pro opportunitatibus occurrentibus. Se inuenient excipiētes integrō vitæ tempore durent, & perseuerent: quod vernum hominis tēpus appellare possumus, & quod sequitur æstiuum, iuxta Christi redemptoris nostri doctrinam, quando exactissimo Dei iudicio vt i ventilabro quodā paleæ à tritico separabuntur. Quare hibernum aptè etiā appellabitur, quod ætatem studiosè operandi præcessit, quod non operandi tempus à philosophis censetur, quia nutrimentum plurimum affluit, & sensus imperium usque ad maiorem ætatem virtute nondum introducta, vigere adhuc & dominari videtur. Posteriori exemplo ex parte ipsiusmet felicitatis idem probare nititur. Ver non vna dies tēperata, nec alia efficit, sed plures & omnes dies, quæ totum tempus quartæ vnius anni parti accommodatum, & præfixum, absoluunt: non ergo vna operatio, nec plures per breue aliquod tempus habitan felicem aliquem reddunt: sufficiētq; ut felicitas, & beatitudo ciuilis, alicui iure nuncupetur, nisi per magnū tempus, & usque ad finem vitæ, præfatæ operationes durēt, & perseuerent. Quibus rationibus potius videtur temporis longitudinem, & extensionem usque ad finem vitæ, felicitatem requirere ab extrinseco, & accidētaliter ex parte ipsius felicis, ut talis iudicio hominum habeatur, & censeatur, quæ essentialiter ex parte ipsiusmet felicitatis. Quare q; ipsa felicitas ab intrinseco ex parte ipsiusmet dictam tēporis extensionem requirat, etiam patet hac ratione, quæ ex modo loquendi Aristotelis præsenti loco desumitur. Nam secundum philosophum felicitas nō dicit aggregatum ex omnibus operationibus hominis felicis. Nā hoc pacto vt aliquis esset felix, vltima, supremaq; dies mortis expectāda esse, qd Aristoteles infrà vehementer contra Solonem arguens im- tē modū seruare enris sue pugnat. Item quia hoc loco definiens felicitatem non dicit in numero multitudinis eam operationes esse, quod oportet: sed est inquit: operatio. Est igitur apud ipsum hoc per- spicum, singulam felicis hominis operationem felicitatem esse, non tamen simpliciter vt in se existit: sed vt præteritas operationes respicit, quibus continuatur: & futuras etiam,

qui-

quibus sine intermissione pro oblatis occasionibus copulata est. Séper em vir probus siue comedat, siue dormiat, vel quoduis aliud opus naturæ exerceat, in bono permanendi intentionem firmā, & propositū habet: quapropter vt virtutes ipsas exerat, diligēter omnes occasions obseruat, atq; ob oculos semper sibi proponit. Qua ratione quælibet operatio secundum prædictum respectum, vt sequentiū, & precedentū operationū hominis felicis, continuativa est, quæ admodum instans, & mutatum esse, partium tēporis & motus, felicitas est: & nuncupatur. Itaq; quemadmodum temporis & motus, & cuiuscumq; alterius rei successiū esse & existere est fieri, ob quod in quolibet temporis instanti, quod continuatio partium temporis est: quia tunc fit, ipsum esse verè dicitur, atque eadem ratione in quolibet mutato esse motum: perinde etiam in qualibet operatione felicis felicitatem esse, & toto etiam tempore intermedio ab una operatione ad aliam, optimo iure dicetur: siquidem tunc fit, & actionib; prauis non interrupitur. Quod philosophus significans non dicit felicitatem esse, aut existere, sed tantū fieri: indicans nimis fieri felicitatis (ad modum entis successiū) suū esse existere: nec vnam omnes suas partes simul habere posse. Vnde quemadmodū in primo nō esse tēporis, aut motus, solū verum erit dicere totū tempus, omnēq; motum factum esse, in quolibet aut instanti intrinseco fieri, & esse: ita in qualibet parte intrinseca tēporis, quo felix aliquis viuit, quia quælibet operatio, quæ sequentē studiosam excipit, semper durare dicitur, interim q; prava aliqua nō interueniat: quod secundum Aristotelem impossibile est: qui frequenter & præcipue in tertio libro docet, virum probū & studiosum, non posse prauè operari, quod intelligendū est de potentia physica, & in sensu cōposito, vt talis scilicet est: verè felicitatem fieri, & esse, dicetur. In primo autem non esse vitæ huiusmodi studiosi viri tunc primo verè dicetur totam eius felicitatem humanam factam fuisse, perinde ac de tempore ac motu dicitur. Hac igitur ratione essentialiter etiam magnam, & usque ad finem vitæ extensionem, felicitas requirit, vt sit, & perficiatur, & iudicio etiam hominū huiusmodi status percipiatur, & cōprobetur. Secundo

N 4 etiam

etiam modo hac vltima diffinitionis differētia intelligitur, vt non solum dicat extensio nem temporis p̄fataam, vt studiorum operationum productione illustretur, sed simul etiam copiam, & redundantiam bonorum extenorū corporis, & fortunæ, quæ necessaria sunt ad virtutes ipsas exercendas, felicitatemque ipsam, pro oblatis opportunitatibus continuo de promendam, amplectatur. Quod ita esse cō manifestum est, quod aliter felicitas debitis instrumentis caret: vnde felix semper, qd oportet: operari nō possit. Neque ex consequenti felicitas bonum esset sufficiens homini felici, eo modo, quo nup̄ expressit. Item quia hęc pars in vita perfecta potissimum contra Stoicos positā est, qui omnino à felicitate, eiusq; comitatu, bona omnia externa reiecebāt, vt latè patet apud Ciceronem tertio libro de finib⁹. Præsentis ergo loco vita perfecta copiam, & ornatum bonorum extenorū etiam dicit. Quod tandem ipse met philosphus in nono & octauo libro explicat, & etiam septimo libro politicorum capite secundo. Quibus locis partem hęc definitionis in vita perfecta exponendo, eam vitam talem esse dicit, quæ rebus externis ad quamlibet virtutē exercendam, necessariis sufficienter est ornata. Nullo ergo pacto de hac re est dubitandum, imò maxime est animaduertēdum, quia hoc idem sequentia quædam capita supponunt. Vnde & corum intelligētia percipietur. Quibus felicitatis finitio integrā manet, qđ sit operatio secundū rationē, vel non sine ratione secundum optimam virtutem in vita perfecta.

Bonum igitur ipsum ita circūscriptū sit. &c.

Ab hoc loco vsq; ad finem capit⁹ duo potissimum, quæ deinceps hoc opere tractanda sunt, docet: quæ etiam ea, quæ dicta sunt maxime concernunt. Primum est, qđ posita felicitatis descriptione, vt quodam fundamēto iacto, & totius operis exordio, reliquum sit iam, ipsam in suas partes resolute, singulasq; examinare: deinde modum hoc exsequendi laetus, qđ in superioribus vti viam quandam cōmonstrat: non secus qđ is, qui iter aliquod agit. Qui primum, locum & finem, quod iter dirigat, mente concepit, aē comitibus nūtiat: deinde rationem recteviz, & itineris, ne biuīs occurrentibus erret,

ret, si eius ignarus sit, scire diligēter curat: atque ita edoctus sociis, & comitibus euulgat, vt cūm finis, & metē dulcedine, fuerint affecti, certò ad eam absq; errore aliquo se peruenitros sperent. In hunc igitur modum philosphus primum scopula, & totius operis finem: dcin de doctrinæ viam, quæ ad ipsum facile quis peruenire possit, discipulis, & lectoribus manifestat. Dicit ergo primo loco, qđ bonum humanū hoc circumscriptum sit modo, idest, quadam breui oratione substantiam eius in genere dicēte, expositum: ac veluti circulo, & delineatione quadam rudi, spatium pingendæ alicuius imaginis circumclusum. Quo posito inquit: reliquum est, ipsum bonum, & felicitatem in residuo operis depingere, hoc est, in suas partes resoluere, singulasq; latius disputare: more sanè periti pictoris, qui imaginem aliquā explicaturus, prius lineis quibusdam rudibus spaciū imaginis conficiendæ aptum circumcludit, atq; eam quoquam pacto præfigurat: vt deinde propria, & viua membra exprimendo, propriosque & aptos colores ducendo, perfectam, & absolutam imaginem tādem reddat. Ita nimirum ait in cognitione perfecta felicitatis tradenda, procedere oportuit: vt prius quid sit in genere eius substantia intra quasdam metas, & suæ naturę limites, vti circulo quodam clauderetur, & figura quadam delinearetur, vt factum est, (quod idēo dicit, quia non exactis rationibus, & demonstrationibus propter quid, sed tantum notissimis, & ab artibus petitis, rotam finitionē, & singulas eius partes venatus est) deinde verò operæ pretium est ipsam resoluere, singulasq; eius partes prout materia subiecta permittit, longius discutere: quibus singularim cognitis felicitatis humanæ perfectè arbitratur traditam fore cognitionem. Sicut viuis membris omnibus, & coloribus productis, perfectam tandem construxerit pictor imaginem. Quo apertissimè docet processum operis fore resolutum: à toto ad partes agendo, hoc est, à diffinitione felicitatis, quę totum quoddam est: ad singularium partium eius disputationē descendendo, ea ratione vt cūm earum disputatio finita sit, totum etiam opus finem accipiat: vt planius primo capite ostensum est. Quem modum etiam procedendi in libro phycorum tenuit: quapropter cognitionis totius, & vniuersali.

lis, in procēmio eius libri meminit. Nam constructa definitione naturae eam toto opere resolut: disputando de motu (qui ut potissima pars positam definitionem ingreditur) atque de singulis motum concerentibus, ut de continuo loco, vacuo, & tempore, atque tādem de principio motus. Quem modum docendi primō docuit Plato in Phaedro: vbi iubet in tradenda cognitione cuiuscūque rei: definitio posita, rursus secundum species vsque ad indiuidua dividendo, procedere: vnde p̄fatum procedendi modum Aristoteles mutuatus est: quem diligentē omnibus suis operibus obseruauit. Et magna quidem cum ratione. Nā modus hic docendi perspicuus admodum est, & maxime necel sarius, cū semper à notioribus, & nobis manifestissimis procedat. Quia in re eleganter docet scientias omnes mirum in modum vnitatem ipsam amare, atque in ea consistere: ita ut tunc alquis peritiam alicuius scientiæ, & facultatis, probē se tenere solūm possit affirmare, quando eius vnitatem in suas partes resoluere, atque iterum eas in vnitatem colligere sciat. Adeō enim noster intellectus vnitate gaudet, & vniuersi cogitationis semper est amator.

Videtur autem cuiuslibet esse. &c.

Gratiā sibi hoc loco philosophus conciliare ydētūr, quod prius ciuilem ac humanam felicitatem explicuerit, eiusq; rationem inuenērit. Vnde ut proprium in uētum eam laudat, & commendat, quod in libris Elenchorum etiam fecit, cūm differendi artem, & methodum, ipse primus tradidisse gloriat. Atque proinde hic dicit, quod hac descriptione felicitatis (quæ eius naturam & substantiam in genere circumscribit) posita, & veluti quadam degustatione tradita: eam producere, dilatare, atque distinguere, facile etiam si quid deest supplere, & addere, cuius iam peruum & perspicuum erit. Primum probat. Quia in rebus abstrusiōribus, & quæ recōditam habent naturam, eam requirere, & tandem inuenire quid sint, difficile sanè est, & quæ magnum ingenium, impigrumq; labore in requirat. Ea tamen inuenta, & descriptio ne comprehensa, quod in ea implicitum & intruolutum est, exponere, & confusum rursus distinguere, nullius fermè negotii

Inuentis  
addere fa  
cile.

negotii est. Siquidem harum rerum tempus inuentor, aut saltem optimus adiutor existit. Nam qui res examinant, clariores, & certiores reddere cupientes, ab his, quæ tempore eueniunt, magnum huic negotio adiumentum, & opem accipiunt. Quippe quæ temporis cursu continentur, dictis & assertis ab antiquoribus certitudinem quandam, & claritatem afferre solent, quod in artibus inquit: planum est cernere. Ut quæ, ex partuis initiis rerum in tempore contingentium, obseruatione & experientia, magna incrementa suscepereunt: quippe quæ defuerant, perfecta: quæ obscura, exposita: & quæ confusa tandem, distincta sunt. Est ergo tempus harum rerum optimus adiutor. Vnde sit, ut maior gratia primis inuentoribus, qui proprii ingenii viribus aliiquid primō assedit sunt, quam iis qui temporis cursu adiuti, idem exposuerunt, & latius in suam perfectionē produxerunt, debeat. Atque idcirco subdit, quod addere inuento, quod deest, non magni est ingenii, sed cuiuslibet mediocriter instauri, negotium.

Oportet autem eorum, quæ antē dicta sunt. &c.

Quia bonum humanum depingere, & diffinitionem positam in suas partes soluere, singulāsque examinare in residuo operis pollicitus est: modum, quo id pr̄stitus est, pr̄senti litera nos admonet in memoriam reuocans, quod de modo docendi in procēmio dixerat: talem nempe tractationem, & docendi modum esse futurum, qualē materia subiecta postulat. Sed statim iam quispiam viatio philosopho daret toties eadem de modo docendi repetere. Sic obiicienti, in primis responderet, quod antē in genere, & figura quadam, modum docendi, quem seruaturus est, tantum proposuerat: nunc autem latius eādem rem prosequitur, & declarat: ac proinde non inutili repetitione. Deinde quia ad diuersas res, dicta p̄fatione vtitur: nam in p̄cedentibus modum querendi felicitatem, bonūq; humanū (quæ res magni momenti apud antiquos erat) imō quantū erat ipsa philosophia: vnde & in ea re omnē suā operam

operam philosophi consumperant) nō exactis rationibus, sed figura quadam, & modo, quo omnes comprehendat, & certò id esse fateantur, etiam si literas non adeò coluerint, se traditurū pollicebatur, quod & iam præstít. Nunc verò ad id, quod inuentum est, explicandum, & declarandum, eodē modo se vñsurum non ineptè proponit. Nā cùm iam ad considerationem partium, quæ notiores naturā sunt, descédat: iure quispam hac ratione motus nouum modum procedēdi, exactum & propter quid à prioribus causis, & nature notioribus, exigeret. Huic ergo sic opponenti, respondens, statuit: eodem docendi genere se etiā in posterū vñsurum: vel ea ratione quod materia subiecta nō aliud patiatur. Quare eidem se accommodet lector, oportet: a ec exactiores ratiōes, quām materia permittat, conueniet petere. Est quippe docēdi modus rebus ipsis semper accommodatus, quod sequentibus rationibus probat. Primiò sic ex parte artium, quarū res considerationem aliquam subeunt. Nam secundum q̄ tractationes, & rerū, circa quas versantur, disputationes postulant, ipsæ res tractandæ, ac disputandæ sunt. Quod de angulo recto exemplo rem aperiendo, explicat. Nam angulus rectus inquit: Geometræ, & ædificatori subiicitur, qui licet vna, eademq; res sit, diuersa tamen ratione ab his consideratur. Nam faber, & lapicida eo vtūt, vt ligna, & lapides, inuicem coaptent, & accommodent. Et rursus ædificator eundem considerat, atq; eius cognitionis gratia perpendiculo vtitur, (quod ad vniuersi mediū semper rectos angulos habet causare) vt hac ratione opus suū dirigat, rectosq; in neutrā partem declinantes, parietes erigat: Geometra item rectum angulum cōtemplatur, ea tamē ratione vt quid sit, inquit, & quo pacto ab obtuso, & acuto distinguatur: quæ etiā ipsum passiones, & proprietates sequātur, discutit. Variantur igitur rerū tractationes nō solū pro ipsa rerū diuersitate, sed pro varietate etiam ipsarum artiū, quibus subiiciuntur, vt ex exemplo adducto satis apertè constat. Quocirca inquit: idem, quod in facultatibus prædictum angulum cōsiderantibus, in omnibus aliis obseruari debere perspicuum est. Nā si in scientiis, & præcipue actiuis, ultra exigentiam finis & operū, quæ ars ipsa docet: sermones & ratiōes extenderetur,

iam

iam apparatus; inquit: & ornamenta extrinsecus quæsita, plura, quām opus ipsum euaderent, atq; ita redundant, cū finis, & operis intēti metu excederent, imò materiam ipsam opus superaret. Vnde cùm assignatam felicitatis descriptionē exprimere intendat, explicatiōremq; per partes suas reddere, si exactas & propter quid rationes tradat, extrinsecū præter operis propositū, id exquisitū, & excoitatū erit, atque præter finem huius facultatis, quæ opera & actiones humanas studiosas reddere intēdit. Quapropter sermones & rationes, quæ actionibus humanais innituntur, & quæ ad eas illustrandas pertinent, tantum subiiciendæ sunt. Reliqua verò philosopho naturali, qui exactè de anima tractat, & quæ actiones humanæ egrediuntur: & metaphysico insuper aliiores eius causas consideranti relinquuntur.

Neque simili modo in omnibus causa requirienda est. &c.

Idem secundo ex parte rerū, quæ sciētiis subiiciuntur, probat. Nā sunt quædā res, quæ rationes causam rei importantes exigunt: quamobré propter quid res sint, appellātur. Aliæ verò sunt, quæ rationes causam solū, nō rei importantes requirūt. Vnde demonstrationes quia, vel q̄ res sint probantes, dicuntur. Huiusmodi autē actiones humanas esse suprà ostensum est: quia & cōtingentes sunt, & nullā certitudinem habent. Nunc idē in principiis scientiarū manifestat, quorū nullus debet querere causam, propter quid sint, sed contentus esse debet, si cognoverit, q̄ sint, sensu, vel ratione alia. Principiū nāq; primū discēdi, & scientias parādi est cuiquā, cognoscere & firmum habere, q̄ aliquid sit, idest, q̄ in scientiis est aliquod principiū: seu aliqua, quorū nō est petēdū, cur sint: id est causa, propter quā existat. Sed quicūq; contentus esse debet, si cognoscat, q̄ sint leui aliqua ratione. Quod induktionē fermè in omnibus scientiaruin principiis ostendit. Nam principia physica, vt motus est, corpora mobilia sunt, omne totum est maius sua parte, si ab æqualibus æqualia detināt, prius &c. sensu: moralia assuetudine cognoscuntur. Hoc enim cōpacto bonum esse agendum, virtutem rē esse laudabile, tem noscātur, perantiam

Instrumēta operi  
accommo  
danda.

Quo pac  
nis ignis est calefactius &c. inductione: Mathematica, vt scien  
tia

perantiam honestam, &c. percipiuntur: sicut quædam alia experientia, ut in medicina medicamenta quæda, & alimenta corpori humano utilia cognoscimus. Sunt ergo quædam ut scientiarum principia, quæ nullo modo cause inquisitionem patiuntur: cuiusmodi etiam sunt aliæ res, ut operationes humanæ, quæ huic doctrinæ subiiciuntur. Quare rationes propter quid in ipsa non erunt efflagitandæ. Atq; quia philosophus felicitatis definitionem ut primum principium in hoc opere constituit: eam autem non nisi rationibus quæ sit probantibus, & à sensu ductis simul cum approbatione prudentum firmavit: hinc est, quod iterū de modo procedendi hoc loco mentionem intulit, & in aliarum scientiarum principiis exempla produxit, ut prædictam objectionem dilueret. Atque hæc sit secunda ratio, & satis apta quidem: ob quam iterum docendi modum hoc loco Aristoteles inculcauit.

### Singula autem tractanda sunt. &c.

Concludit iam ex dictis singula principia tractanda esse, ut eorum natura patitur, & permittit. Et quoniam definitio-nes in qualibet scientia principia quædam sunt, ut illa in Mathematicis, punctum est, cuius pars non est: linea est longitudine latitudine. &c. in dialectica, definitio syllogismi: in physicis, definitio naturæ, sicut in morali hac facultate. Felicitas: posita descriptio, & quæ etiam in sequentibus virtutis ipsius tradetur: inquit Aristoteles: maxime curandum esse, ut quam optimè definitiones tradantur. Nam & si verborum quædam breuitate concludantur: miram tamen vim & efficaciam in rationibus, & speculationibus, quibus in scientiis ipsis utimur, habent: & plusquam dimidium totius scientiæ inquit: habere videntur. Siquidem omnes rationes principiis innituntur, à quibus suam vim & efficaciam sumunt. Quare principia singulas conclusiones saltem virtualiter continet, & probant: atq; plura ex iis, quæ in dubium in scientia ipsa renunciantur, ipsis metu principiis formaliter definiuntur, ita ut ratiocinationes ipsas formaliter ingrediantur. Est igitur in definitionibus construendis magna semper adhibenda diligentia, ut in ipsis felicitatis definitione ipse adhibuit, quæ primum huius doctrinæ principium est. Quapropter nec rationibus propter quid ipsam collegit.

C A P.

### CAPVT OCTAVVM.



Onsiderandumque est de ipsa non solum ex cōclusione, ex q; ijs quibus ratio constat, verum etiam ex ijs quæ de ipsa dicuntur: cum vero enim consonant omnia, quæ in re insunt: à falso autem cito dissonant ac discrepant. Cum igitur bona in tres partes distributa sint, & alia externa, alia circa animam, alia circa corpus dicantur: quæ circa animam sunt, maximè propriæ, ac maximè bona appellamus: actiones autem & operationes animales circa animam statuimus. Quare ex hac opinione quæ antiqua est, & à philosophis cōcessa, rectè hoc diceretur. Recetè etiam constitutum fuit, actiones quædam & operationes finem ipsum dici: ita enim ex bonis animæ sunt, non externis. Consentit etiam cum ratione hac illud, quod aiunt, bene vivere, ac bene agere felicem. Ferè enim bona quædam vita, & bona actio, felicitas dicitur. Videntur autem omnia quæ circa felicitatem inquiruntur, inesse huic, quod à nobis dictum est. Alijs enim virtus, alijs prudentia, nonnullis sapientia, quædam esse felicitas vi detur.

detur quibusdam hæc , aut aliquid ex his cū voluptate, vel nō sine voluptate . Sunt etiam qui simul externam prosperitatem assumat. Atque ex his alia multi & antiqui, alia pauci & illustres viri dictitant : quos sanè aberrare tota via utrosque minime : sed in uno saltem aliquo, vel in plerisque asequi veritatem verisimile est. Cum illis sanè, qui dicūt omnem virtutem, vel quandam eam esse, nostra consentit oratio : quippe cum huius sit operatio secundum virtutem. Interest tamen non parum fortasse in possessione ne an in usu, & in habitu , item an in operatione esse optimum existimemus. Fieri enim potest, vt habitus licet adsit, nullū tamen bonū efficiat : id quod in dormiente, vel alio aliquo modo manente otioso hominæ euenit. Ut operatio autem nihil boni agat, non datur. Aget enim necessariò, & benè etiam aget. Sicut autem in olympijs non pulcherrimi, & robustissimi coronauntur: sed qui decertant: ex ijs enim nonnulli vincunt : sic ex honestis probisq; hominibus in vita, illi qui rectè agunt, compotes fiūt. Estque ipsorum vita suauis ac iucunda. Lætari enim ex affectionibus animæ est vnicuiq; autem id est iucundum, ad quod spectado talis rei studiosus

diosus quispiam dicitur: vt equus equorum, spectaculum spectaculorum studio: eodem modo & iustitiæ amatori iusta : & in vniuersum virtutis studio: virtus. Apud plerosque verò iucunda inter se pugnant , propterea q; eiusmodi natura minimè sunt: sed quæ studiosis honestatis sunt iucunda , ea natura iucunda sunt, ac voluptuosa. Tales autem sunt actiones, quæ ex virtute proueniūt. Ipsorum autem vita , voluptate quasi appédice aliqua minimè indiget: sed in se eam habet. Præter ea enim, quæ dicta sunt, qui bonis actionibus non delectatur, bonus minimè est. Neque enim vel iustum quempiam dixeris , qui iuste agendo non delectetur: vel liberalem, qui liberalibus actionibus non gaudeat : & in alijs simili modo. Quòd si ita est : actiones secundum virtutem per se iucundæ sunt: quin etiā bonæ & honestæ: atque vnumquodq; horum maximè. si modo de ipsis probus benè iudicat: iudicat autē, vt diximus . Optima igitur, pulcherrima, & iucundissima res est felicitas: neq; distincta hæc sunt: sicut Deliacum illud epigramma præscribit.

*Si valer, optima: si est iustus, pulcherrima res est:  
Iucundissima si quis quod amat, potitur:*

O Omnia

**O**mnia enim hæc operationibus secundum virtutem insunt: has autem, aut vnam ex his, quæ optima sit, felicitatem esse affirmamus. Videtur tamen etiam ipsa externis bonis, sicut diximus, indigere. Fieri enim nō potest, vel non facile fit: vt cui necessaria non suppetunt, is bona atque honesta agat. Multa etenim & per amicos, & diuitias, & ciuilem potentiam quasi per instrumenta quædā aguntur. Quibusdam verò priuati nonnulli, vt nobilitate, bona prole, pulchritudine, beatitudinem maculant. Non enim felicitatis admodum compos ille est, qui vel specie prorsus deformis, vel genere ignobilis, vel solitarius est, ac prole carēs. Nec minus etiam fortasse, si alicui pessimi filij fuerint, aut boni mortui sint. Videtur igitur, vt diximus, tali etiā prosperitate felicitas indigere. Vnde nonnulli idem eam cum bona fortuna, alij cum virtute esse dicunt.

**N**cipit iam philosophus (vt pollicitus est) definitionem traditam specialius considerare, eam in suas partes resoluendo. Et cùm in residuo huius libri integrè eā in genere discūiat, id tñ principaliter, quod asseruit: felicitatem essentialiter in operatione consistere, quod tanquam proprium inuentū extulit. Atque vt nouitatis inuidiam statim ipso initio pre-molliretur, testimonii philosophorum antiquorum definitionem.

tionem traditam corroborat, eorum sententiis consonam esse ostendēdo: imo iisdem inclusam & implicitam. Profert igitur in primis suam intentionem, felicitatem nempe id esse, quod definitum est: non solum firmum & stabile esse ex conclusione, id est ex ipsa definitione tradita (definitione etenim quia substantiam rei concludit, terminus & conclusio solet appellari) quæ planè id docet: neque insuper ex rationibus, quibus ad eam construendam usus est, sed etiam ex iis, quæ ab antiquis de felicitate dicta sunt, id ita esse probare nititur. Nam si his constiterit, consona quæ inueniatur, quæ ab aliis verbè asserta sunt: optimè definitione felicitatem comprehendam fuisse firmissimo argumento erit. Quippe omni viro inquit: quæ rei alicui insunt, & vera sunt, continuò consonant, & à falso cito discrepant. Quare si nostra ait: definitio aptè, quid sit felicitas, explicat, & comprehendit, dictis antiquorum de felicitate, quæ omni proculdubio firma & vera sunt, & ut talia ab omnibus recepta, consona erit: si verò discrepat, statim eius mendacium, & falsitas deprehēdetur. Tanta enim est veritatis vis & efficacia, vt ad se quæcunque vera sunt, attrahat, & affinitatis vinculo, veluti glutino quodam sibi coniungat. Quapropter hic arguendi locus ad confirmationam cuiuscunq; rei veritatem efficacissimus est. Quapropter in eo omnis Theologiæ scholasticæ disputatio Theologica scholastica scopus. Hic etenim eius scopus est, vt omnina, quæ in literis sanctis reuelata continentur, quæq; Christiana religio etiam amplectitur: rationi naturali consona esse probet: nihilq; eisdem proferri, quod ipsi rationi repugnet, & si super eam ea colat, quæ Christi redemptoris nostri immensa bonitate per reuelationem accepimus: quæ nullatenus pacto contra ipsam rationem sunt, sed eidem omnino consona. Quod argumentum est Christianæ veritatis euidentissimum: atque magni roboris ad philosophos, & gentes omnes, quæ ratione ducuntur, propriamq; vitam rectè instituere cupiunt, conuincendas, vt suas insanias deserentes, ad cultum veri & omnipotentis Dei se conuertant: veramq; religionem Christi Iesu continuò colant. Hoc igitur loco arguendi ad probandam suam definitionem hoc loco philosophus vtitur.

Quum igitur bona in tres partes distributa sint. &c.

Restabat ex superiori argumento probandum, traditam felicitatis finitionem à sententiis & opinionibus antiquorum de ea re non abhorrente, ut propositum fuit: quod ab hoc loco usq; ad finem capituli ostendit. Atque in primis afferit positam definitionem cum ea sententia conuenire, quæ in bonis animæ felicitatem constituit: quæ apud antiquos sapientes communis fuit, & ab omnibus doctis semper recepta. Prius tamen, quām hoc ostendat, distributionem bonorum in tria genera, in bona scilicet animæ, corporis, & fortunæ adducit: inter quæ membra animæ bona propriissima, & maxima semper habita sunt. Quod licet hoc loco Aristoteles non probet, quia ex se omnibus, vel parum aduertebitis notissimum est, & apud antiquos satis celebre: ut videre est apud Platonem in Euthydemō, & in Dialogo primo de legibus, vbi diuina bona hæc appellat: cætera verò humana, & quæ à diuinis pendeant: vnde inquit: quod si qua ciuitas maiora illa bona suscepere, minora quoq; proculdubio possidebit: atque si illis caret, utrūque eam priuari necesse sit. Eandem diuisionem cum bonorum animæ delectu, & præstantia refert Cicero academicarum quæstionum libro primo, & pasim etiam in libris de finibus, & Tusculanis insuper quæstionibus: operè pretium tamen duxi eam aliquantulum hic explicare, ut fructum aliquem lector ex hac philosophi doctrina tāquauit ex arbore commoda carpere posset. Principioq; est aduertendum: diuisionem hanc ortum, & originem habuisse ex studiosa & beata vita, quam in vniuersum homines ratione ducti assequi contenderunt: in eaque tranquillè atque in pace agere summis votis affectarūt. Cuius vitæ integritas his bonis animæ primo loco indigere videtur, quæ vitæ dominium, imperium & prima gubernacula tenent: quales sunt virtutes morales, fortitudo, iustitia, temperantia, & quæ harum primus dux extitit prudentia, cum omnibus virtutibus intellectualibus: inter quæ etiam dotes animæ naturales connumarari solent: ut docilitas siue mentis celeritas ad discendum, & memoria, quæ uno nomine ingenii appellantur

vnde tria  
generabo  
norum.

appellantur: atque cæteræ mentis, & totius animæ naturales facultates, quæ semina & igniculi quidam earum virtutum, quæ assuetudine comparantur, solent nominari. Deinde bona corporis descripta vita requirit: quæ tanquam ministri celeres imperantium, ac dominantium virtutum iussa capescant, & expeditè exercere valeant: cuiusmodi sunt optima corporis valetudo, forma, seu pulchritudo corporis, vites ac cursum, cæteriq; corporis motus: integritas sensuum: celeritas in pedibus, vis in manibus: vocis claritas, in lingua etiā explanata vocum impressio, & cætera huius generis. Tandem tertio loco bona exigit fortunæ: cuius ordinis sunt, honores, opes, diuitiæ. Quæ ob id nomen adhuc id retinent, quia casu & temeritate fortunæ absque delectu aliquo & ratione impiè antiqui sentiebāt hominibus elargiri. Quibus bonorum generibus cùm vitam ipsam integrè, & omni apparatu sufficienter ornatam, atque munitam, nulliusq; rei indigant conspexissent, prædicta bonorum distributione omnia bona comprehendere voluerunt, nullum extra relinquentes. Ex qua diuisione aperte sequi videtur id, quod secundo loco Aristoteles afferuit, bona scilicet animæ omniū præstantissima esse: siquidem vitam ipsam gubernant, dirigunt, & moderantur: cætera autem ut comitantia, virtutum instrumenta, sicut membra corporis, existunt: & quæ ab illis omnino pendent, ut dicebat Plato. Magno igitur interuallo aanimæ bona, quæ corporis & fortunæ sunt, excedunt, & superant. Item hæc ornamenta & apparatus animæ sunt: cætra verò corpori subseruiunt, & ancillantur, ipsiq; semper cul tui sunt & ornamento: quanto ergo anima (quæ res diuina, & spiritualis est) corpori terrestri, & materiali præstat, tanto ipsius bona, corporis ornamenta & phaleras anteire, rationi consentaneum est. Præterea animæ bona ex nostra potestate pendent, ita ut nobis in uitis auferri minimè queant: bona autem externa non sic, sed quæ quotidie nobis repugnantibus eripiuntur: sunt ergo illa maximè bona, & nostra cēsenda: & quæ longe dignitate inter ea, quæ vitæ humanæ adiumento, atq; ornamento sunt excellant. Vnde meritò Crotolus Peripateticus philosophus in sua libra censuit (ut supra etiam insinuauimus) lancem illam, quæ animi bona substi-

net, tantum altera, vbi corporis & externa bona posita sine, propendere, vt terram & maria (inquit ille) deprimat. Sunt igitur ea, quæ animæ sunt, propriissimè, & maximè bona, & quæ dignitate cætera facile superant. Inter hæc tamen ordo quidam seruat. Nam bona corporis bonis fortunæ præstant: hæc siquidein corporis famulæ, & instrumenta sunt: sicut vtraque ipsius animæ. Est etenim res familiaris famula corporis & ministra: quare ad eò hæc depressa sunt, vt humi iaceant: ea sanè ratione, quia in corporis usum assumenda sunt: ob quem etiam solum bona censeantur. Quo positio iam, quod felicitatem ipse in bonis animæ posuerit, sic probat: omnes operationes animales, siue quæ animæ sunt, inter bona animæ computantur: imo potissimum locum habere videntur, siquidem ad eas exercendas habitus, & virtutes (quæ permanenter animum ornant) ordinantur: igitur & operationes bonæ, & studiosæ, quibus felicitatem inesse suprà positum est, iure optimo cum virtutis perfections sint, & sub operatione animæ tanquam sub genere contineantur: inter animæ bona, vt potissima connumeranda veniunt. Quare subdit, ex hac opinione, qua bona animæ excellentiora cæteris bonis esse: & qua insuper animæ operationes eiusdem bona, afferitur: quæ opinio antiqua est, & ab omnibus concessa: quod rectè hoc dicetur, quod scilicet statuit: operationes nempe animæ inter ipsius bona iure optimo connumerari debere, & non solum inquit: hoc rectè diceretur, sed operationes quasdam studiosas scilicet & ex virtute procedentes, bonum humanum & felicitatem, perinde atque positum est, iuredici. Hac namq; ragione non in bonis externis corporis aut fortunæ (quæ tantū utilia sunt) sed in bonis animæ felicitas collocatur, vt omnis voluit antiquitas, quare & in perfectioribus. Est igitur inquit: nostra opinio sententię communis omnium philosophorum (quæ apud omnes firma omnino, & vera habetur) consentanea: ob eandem igitur rationem & vera.

Consentit etiam. &c.

Secundo idem probat ex consensu communi omnium, quem

quem Aristoteles ad suas assertiones confirmandas magis facere consuevit. Et meritò quidem, quoniam cum lex quædam naturalis sit: ad cuiuscunque rei fidem faciendam magnam vim, & efficaciam retinet. Ita ergo nec tit argumentum. Cum nostra ratione, siue definitione communis consensus, & sententia omnium plaus consenserit: quod ex eo pater, quod ab omnibus is felix afferitur, qui benè viuit, benèque agit. Omnes enim (demptis paucis, quos in diuitiis, & voluptatibus felicitatem ponere dixit) bonam vitam, bonamque actionem felicitatem efficiunt, atque pro eodem hæc continuè profitentur. At bona vita, studiosaque actio, sicut benè viuere, beneque agere, operationes animæ sunt: iure igitur in operationibus animæ communi hominum consensu idem etiā approbante, ciuilis felicitas constituta est, ac proinde sententia positâ vera. Cum vero siquidem, quæ vera sunt, consentanea semper inueniantur.

Videntur autem omnia, quæ circa felicitatem. &c.

Postquam probauit suam assertionem cum communibus dictis & sententiis, quæ absque illa exceptione ab omnibus philosophis, & benè sanè mentis hominibus receptæ sunt: tertio iam loco ostendit diuerticula illa, inquisitiones, ac opiniones diuersæ, quibus philosophi dissentient, & inter se discrepant, suę etiam sententię inesse, atque idem consentire in eo, quod verum afferant. Ad quamrem exponendam tres de felicitate opiniones in medium profert: primam virtutem eam afferentem: licet huius sectatores partiti sint: nam alii in virtute simpliciter eam collocarunt: alii in prudentia, tanquam in moralium virtutum principiis: postremi vero in sapientia: secunda sententia in virtute cum voluptate, aut non sine voluptate felicitatem constituit: tertia vero, simul cum virtute prosperitatem, rerumque affluentiam, & copiam assumit. Quarum opinionum autores licet numero respectu prædictarū assertiōnū inquit: non sint pares, viri tamen illustres, & præclarū in philosophia habentur. Quare eos in eorū, quæ dicūt aliquo, vel

pleribus veritatem quoquam pacto affectuos fuisse, vetisibile est. Credere namq; tota via eos aberrare stultitiae proximum est. Rationibus siquidem ad suas assertiones firmandas nituntur, & aliquid eisdem probare necessariò faren-dum est. Quod (quicquid illud sit:) in sua descriptione inclusum, & implicatum esse dicit. Atque ut hoc manifestè appareat, singulatim per omnes has opiniones discurrendo id persuaderet. Quibus tandem eius sententia perspicua manebit.

Cùm illis sanè, qui dicunt omnem virtutem. &c.

Primam opinionem cum sua oratione & definitione conuenire hoc loco probat, quæ felicitatem virtutē esse ponit: quod sic arguit. Apud hos opinantes virtus est felicitas: definitio autem posita eam assertit operationem animæ secundum virtutem: conueniunt igitur hę sententiæ in hoc, quòd in virtute vel aliquo illius felicitatem, & bonum humanum collocant. Differunt tamen in eo, in quo huius opinionis autores planè defecerunt, in habitu nempè virtutis felicitatem constituendo: quod Aristoteles omnino negat, & in eiusdem

*Humanū  
bonū mi-  
nimè in  
habitu  
collocari.*

operatione reponit. Sed quòd prædicti opinantes sic felicitatem assertendo defecerint, his rationibus ostendit. Atque primò sic agit: virtus cùm habitus quidam sit, maximè possessioni cuiuscunquerei equiparatur: possessio autem propter vsum, & operationem tanquam propter finem est: ordinatur siquidem equi possessio ad ipsam equitationem, sicut & diuinitarum ad earum studiosum & liberalem vsum: est igitur virtus, & quicunque alias habitus propter vsum & operationem tanquam propter finem. Quapropter cùm bonum ipsum in perfectiori fine constituendum sit, in operatione, & minimè in virtute, aut habitu cēseatur, oportet: aut aliás felicitatem desicere concedas est necesse: siquidem virtus ut possessio quædam in operationem suapte natura dirigitur. Secundò idem sic probat, felicitas semper operatur, bonumque prout oportunitas, & occasio se obtulerit, semper habet efficere, eum quippe communiter felicem nuncupari diximus, quibenc viuat, recteque semper agat: sed virtus,

virtus, & quicunque alias habitus otiosus esse potest, & nullum opus efficeret: vt in homine dormiente, vel morbo aliquo impedito, vel ita calamitatibus oppresso, vt nullo pacto possit habitum exercere. Operatio autem, cum sit actus, bonum quoddā est, & bonum habet efficere, ad simile semper in uitando, secundum quod exigit, & postulat habitus, cuius functio, & perfectio est: ea igitur semper bona & studiosa erit, ex arbore siquidem bona bonus, & conueniens fructus semper expectandus est. Nullo ergo modo felicitas, quæ ad operatione vigeret: in habitu, sed in ipsam actione seu operatione necessariò existimanda est. Proptium siquidem eius est continuò bonum efficere, & conuenienter habitui recto semper agere. Tertiò ab exemplo eleganter idem persuadet. In Olympicis, inquit, ludis, non spectatores & elegantes coronantur, præmiisque afficiuntur, sed qui legitimè certant, aliisque se viribus superiores ostendunt: ergo neque qui in stadio & cursu huius vitę habitibus virtutum ornatos, & elegantes sc̄e exhibent, sed qui operationibus, & virtutum v̄su longè alios superant, ingenuoque se ipsos exercent. Ita quippe natura comparatum videtur, vt quoquis in genere præmium, & corona operanti atque certanti debeatur: non autem ei, qui ad agendum præcinctum, & necessariis munitum se offert: felicitas autem præmium, & corona in ciuili vita censetur: est igitur necessariò in operationibus statuenda. Ex quibus patet id, quod huius opinionis verum est, à falso ipso sequestratum: cum præfata sententia de felicitate omnino conuenire. Nam definito contra hos: quòd in virtute non consistit: necessariò sequitur, in iplis operationibus bonum humanum esse existimandum, propter quas in virtute isti ipsum reponerent.

Estque ipsorum vita suavis & iucunda. &c.

Conserit hoc loco sermonem cum iis, qui secundo loco opinabantur: & virtuti voluptatem coniungebant: suamque assertionem cum horum opinione conuenire dicit in eo, quod de voluptate, & iucunditate affirmant. Nam quod dicunt de virtute, iam explosum superius est. Vnde

O 5 quod

quod suorum felicium vita suavis & iucunda sit, sibi probandum incumbere dicit: atque id sic ostendit. Lætitia siue gaudium inter affectiones animi computatur: nam exhalatio quædam animæ est, continuo desiderium, & appetitum sequens: quare quasi elatione quadam, à qua lætitia dici videtur: animus quodammodo ea erigitur, & exhilaratur. Quemadmodum ergo qui equorum, aut spectaculorum, aut canum cupidus est, hæc ipsa, & ipsorum fusius iucundissima sunt: nam unusquisque maxima iucunditate afficitur ad id spectando, cuius desiderio premitur: ita & iustorum operum studiosus, & virtutis iustis operibus & actionibus maximè lætabitur, iucunditatèque, & gaudio afficietur: est ergo felicis vira per se suavis, & iucunda. Quare quod ii opinantes verè assertunt, in præfata felicitatis descriptione continetur, quod autem perperam & falso, statim reiicit, inquiens.

Apud plerosque verò iocunda inter se pugnant. &c.

Ostendit ergo suavitatem & iucunditatē, quibus felicis hominis vita maxime gaudet, nō esse rem extrinsecam, in quo asserti opinantes errarunt: sed ipsis operationibus virtutis insitam, intrāque illarum naturam omnino positam: cùm hoc suapte natura studiosæ operationes ex virtute procedentes habeant, ut iocundæ, & oblectamēto maximo semper habentī sint. Quod ita esse sic ostendit: studiis studiorum hominum, qui semper secundum rationem viuunt,

*Vir prudens* tales huiusmodi operationes discernuntur: similiter ergo sedens sibi habere, ut diximus, censendæ sunt. Viuunt quippe hi secundum rationem, quæ non quod affectui, perturbatione viactionum detur, à qua omnino liberi sunt, iudicant: sed quod in re verè existit, integroque rationis examini se explorandum offert, id dicunt, atque ut verum approbant: cuius mensura & regula existunt. Ad quam rem omnino firmandam irrefragabili inquit: argumēto est, quod studiosi & sani viri, qui virtute prædicti sunt, inter se consentientes: & cōcordes hac in re, veluti naturæ ipsi obedientes, & obsequentes semper inueniuntur: prauī verò, & vitiosi homines cōtinuo disponentes,

tientes, & repugnantes: perspicuum igitur est operationes studiosas atque à virtute egredientes natura ipsa iucundas, & delectabiles esse. Ex quo iam eleganter infert, vulgus & plerosq; homines, quia ea, quæ natura sua iucunda minime sunt, persequuntur, semper sibi appetitionibus aduersari, cōtinuoq; iphismen dissidentes, & repugnantes deprehendi: dū alii dulcia, alii falsa pro varietate appetitus, vehementer ament: & ita alii equorū, alii canum cupidi existūt: alii otio, alii labore delectantur, & diuersis deniq; voluptatum generibus diuisi semper, contrariiq; deprehendūtur. Quæ varietas, & tanta delectationis instabilitas, irrefragabili argumento est: hæc suapte natura iucunda minime esse: sed quod pro appetentium cupiditate, veluti fuso quadam extrinsecus definita, suavia & pulchra iudicentur. Vnde & facile ab eo homines vulgares capiuntur: in laqueum sanè, quæ propriis manibus ipsis pararunt incidentes, dum propriis cupiditatibus sensuū semper indulgere student. Sensu etenim si tantum iudicant, & quadam irrationali imagine, ex irrationali etiam appetitione concepta, in irrationabiles voluptates ita præcipites delabuntur. Nam ex his fontibus quædam falsæ opiniones, & voluntarie quidem, continuo assumuntur: quæ iudicia quædam leuitatis ex errore, & ignorantia quadam volita, originem ducentia, à doctis hominibus proféruntur. Quum enim aliquid præter corporis voluptatem alicui contigerit, aut molestum aliquid corpori, aut non ex eius votis instare, & imminere videatur: statim in hoc iudicium, & falsam opinionem prorumpit: illud magnum, ac ingens malum esse, quare & agreferendum: vnde statim & corpori consentaneè operatur ex falsa opinione, quam concepit. Atque in hunc modum omnia mala, & vitia tanquam ex perpetuo fonte, ex falsis opinionibus emanant. Hinc iam quidam ita animo deiiciuntur, ut dolori & tristitia ex aduersis rebus penitus succumbant. Quidam alii iniuriz cruento animo, quia in opinionem hanc incidunt, se scilicet paruipenos esse: quam paruipensionem, ut notam maximam, semper agreferendum iudicant, donec vlciscantur: continuis cruciatibus torquentur, neq; iracundiaz ola antè effervescit: vnde totius superbiç fons perpetuò manat:

ali

aliij hac opinione ducti, quodd miseri, & abiecti sint, si ab aliis fortunis, & potentia supererentur, liuore & inuidia continua exeduntur. Atque hinc tandem omnium appetitum genera nascentur: quia corpori non indulgere, eiusq; voluntatem non sequi, cotinua tristitia, & mœrere confici stulti homines existimant: imo naturæ ipsi vim quandam sic inferre: & misero in statu constitutos semper esse, se ipsi fallentes arbitrantur. Quoniam igitur minimis & tantillis excitis corporis appetitionibus, homines desides non occurunt, eas conualescere & augeri sinentes, in falsas quasdam de rebus ipsis opiniones incidunt, quibus virtus in ciuitatibus grassantur, & tota vita perturbata redditur. Quare operæ pretium est, has nascentes euellere. Nam iudicia quædam voluntaria existunt iis, qui propriis appetitionibus ratione non occurunt: sed affectum, & passionem excitatam valere permittunt, & tyrannum impudentissimum imperium ipsius animæ penitus euertere conantem eam esse non aduertut. Expedit ergo quām primum ipsum recenter natum, compri- mere, eiusque excitationem omni diligentia (occasions, quibus expurgiscitur, & ex parte nutritur, fugiendo, omni vitare. A stute siquidem ille omnes occasions, animæ imperium inuadendi ut ad indulgentiam corporis ipsam trahat, semper obseruat. Sunt igitur voluntariae huiusmodi falsæ opinions. Quare merito à philosophis & iudicia leuitatis solent appellari. Ex quo iterum cum inuitus nemo iudicet apertissime constat hæc in nostra potestate esse constituta. Quapropter pro viribus enitendum est, iis impellentibus ad agendum omnino considerare, & diligenter pendere: cuius rei appetitio vehemens in nobis excitata fuerit, qua actionem aliquam nobis persuadeamus: ut hoc consilio adhibito, vita propriæ consulamus, & ad agendum accingamur, aut cōtra abstineamus. Hoc enim discerniculum vita viris sanctis exitit ad ingenuas actiones prosequendas, contrarias vero, & ex volutate corporis nascentes vitandas. Planum igitur est varias & diuersas esse huiusmodi falsas opiniones, quæ vulgus ipsū, & plerosq; hoīes p̄ earū varietate, & diuersitate dissimiliter occupat. Variatur nāq; apud hos suauia, & iucūda semp, falsa iudicia ex inordinatis appetitionibus

*Falsæ opiniōnes sc̄e  
lerū can-  
sa.*

tionibus ducentes. Est igitur Aristotelis conclusio omnino vera: honestas actiones, quæ à virtute egrediuntur, suapte natura iucundas esse, atq; ob id à viris prudentibus, & sapientibus tales semper iudicari.

Ipsorum autem voluptate quasi. &c.

Ex dictis hoc loco infert cōtra assertores huius secundè sententiaz vitam felicium hominum voluptate tanquam appendice, & extrinseco accidenti minime indigere, est enim seipso cōtenta, vt suprà probatum est: & hac itē ratione ex communī consensu hominum petita, etiam constat. Nam si aliqua indigeret, maximè corporis voluptate, quæ vehementer afficeret, & animam irritare uidetur: sed hac non: quod ex eo manifestum est, quod corporea voluptas minimè ad felicitatem necessaria est: imò si præter rationis ordinem aliquādī egrediatur, felicis hominis vita maximè perturbativa est. Nemo siquidem, (modò sanè mentis sit) eum bonum cēset, qui bonis actionibus nō delectatur: neque iustum, qui à iustis abhorret: neq; eum qui liberalibus actionibus fastidit, liberalē vñquam aliquis appellabit: sed eum tantū, qui huiusmodi studiosis actionibus vehementi iucunditate afficitur: maximaq; oblatione eas procurat, & sequitur, atque latus semper ad sic operādum accingit. Communis ergo hominum consensus actiones studiosas suapte natura iucundas maximè cēset, ita ut extrinseca voluptate nulla ratione eas perfici dicat.

*Virtutis  
operatio  
nes insi-  
ppris, q; nullo pacto inanimi cōuenire possit. Nā si aliquan-  
ta volup-  
do corpori oblationē aliquod accedit, id ratiōe animæ  
prorsus contingit. Est igitur perspicuum, gaudium, veramq; de-  
volutatē, & lātitiam in iis operationibus potius inueniri,  
quæ magis ipsius animæ sunt, & à corpore expeditiores exi-  
funt. Huiusmodi autem operationes studiosæ, quæ à virtu-  
te egrediuntur, sese exhibent: maximè siquidem animales  
sunt: sunt ergo per se maximè iucundæ, & corporis volup-  
tatis multò iucundiores, magis siquidem ipsius animæ  
sunt. Imò corporeæ & sensuales voluptates veram iucun-  
ditatem*

ditatem non habent, neque ex se vero obiectamento aliquæ possunt afficere, nisi extrinsecus aliquid accedit, quo cōtingente, ratione illius quædam delectatio nascitur, vt ostensum in omnibus facile est videre. Nam (præsupposita immoderata appetentium intemperantia) obliœni tactus iocundi sunt, esculentorum item, & poculentorum vſus ideo iucundi existunt, quia in defectu, & indigentia natura ipsa famam aut sitim patiendo, constituta est. Vnde qui ex prædicta indigentia non procedunt, statim fastidiunt, & tædio ipsis vtentibus sunt. Non igitur ex se suaves existunt. Suauitatem siquidem minimè præstare valent, nisi nimia corporis indulgentia, aut corporis defectu præsupposito. Quare semper à natura deficiente aut perturbata egrediuntur. Quamobrem non sunt veræ delectationes, imò nec omnino homini naturales, siquidem id maxime naturale alicui est, quod perfecta eius generatione & natura ipsi conuenit, vt primo politicorum Aristoteles est autor. Quare cùm honestæ & studiosæ actiones à natura ipsa integra, & virtutibus perfecta omnino egrediantur, maximè iucundæ suapte natura sunt, & etiam naturales: vnde & veram voluptatē cōtinent: cæciteræ aut quæ rationis examen trāsgrediūt, falsam & ementitam, cùm ipsius concupiscétiæ termini sint, qui statim p̄tereunt, & vehementiores cupiditates excitant, quæ vitam perturbant, & omnino anxiæ, & inquietam reddunt. Sūt ergo virtutis actiones ita ex se propriaq; natura iucundæ, vt si alterius generis voluptates contingent, cursus vitæ iucunditatem, & suauitatem perturbent. Ex quo etiam secùdo loco alia ratio ad idem firmandum deducitur, quæ etiam præsenti textui satis consona est: atque sic haber. Felicium vita per se iucundæ, quietæ & trāquilla est: at voluptatibus extrinsecus petitis inquieta & perturbata redditur: corporeæ nāq; voluptatis quæ propriè voluptas dicitur, & semper pro præna delectatione accipitur: saltem ex sententia Stoicorum asserentium voluptatem esse animi sublationem sine ratione magno aliquo bono se opinantis perfri, fructus est vita quædā timoris & metus plena. Ex ea etenim Dei timor, qui offensus est, statim nascitur, qui grauiter animum pungit: mortis etiam & corporis dolor instat, quorum hiatibus, & fauibus

faucibus cum magno periculo prava voluptas corpus, & qd amplius est, ipsum hominem exponit. Huiusmodi autē motus & timores sollicitam, & inquietam vitæ penitus reddunt. Resputit igitur omnino felicis hominis vita voluptates omnes extrinsecus petitas: atque honestarum actionum iucunditate solùm gaudet, cuius fructus est, consciëtiæ quietudo, maxima pax, & vitæ indiuidua trāquillitas. Ut ergo studiosi viti vita trāquilla & quietæ sit, & quæ sine perturbationibus agatur, operæ pretium est virtutum splendore, atque intrinseca iucunditate earum actionum, quæ à virtute egrediūt, felicitatem omnino contentam esse. Qua dulcedine ita vir studiosus perfunditur, vt quando sensuum obiectamentis iuxta præscriptum rationis indulget, potissimum ea ratione, delectatione afficiatur, quòd operatio ea cum ratione commensurationē habeat, quam semper studiosè sectatur. Atq; hac sānè ratione maximè voluptates amplectendæ sunt. Nā quando p̄pter hunc ordinem blandissimæ dominæ, voluptates cum suis lenociniis lenius blandiūt, hostes immanes censendæ sunt. De quibus latius in septimo & decimo libro philosophus disputat.

Quòd si ita est actiones secundum virtutem per se iucundæ sunt. &c.

Ex superiori disputatione hoc loco philosophus infert virtutum actiones suapte natura non solùm iucundas esse, sed optimas simul, & honestas: ita vt bonum, & honestum, pariter & iucundum, earum naturam expleant, & perficiant. Vnde rursus colligit viri studiosi vitam simul optimam, iucundam, & honestam esse: Quod sic ostendit. Vir probus & studiosus eam vitam talem iudicat, meritò ergo talis censenda est. Moralium quippe actuum vir prudens regula & norma est. Ex quo iterum infert, simul cum positis epithetis, felicitatem rem item pulcherrimam censendam esse, contra epigrāna illud, quod in téplo Apollinis pro foribus fixū erat.

*Si valet, optima: si est iustus, pulcherrima res est:*

*Iucundissima, si quis quod amat, potitur:*

*Vbi hæc separabantur, & optimum ad valetudinem, bonaq; corporis*

# IN PRIMVM ETHIC. ARIST.

corporis referebat: pulchrum ad operationes iustas: iucundum tandem ad expertitas voluptates. Quum ergo actionibus studiosis hæc omnia suapte natura cōiuncta esse probatum sit: & in iis rursus, vel harum optima, felicitas constituitur, planè sequitur prædicta omnia felicitati etiam inesse. Quo loco apertè philosophus felicitatem operationem esse dicit, aliorum bonorum nullam mentione faciendo, quæ ut in instrumenta requirit. Ut ex hoc loco omnino confirmetur id, quod nos supra explicuimus: felicitatem non in pluribus, sed in vna tantum re solùm constitui.

Videtur tñ etiam ipsa ex externis bonis. &c.

Postremò iam ultimam opinionem disputat: id in quo cum sua assertione conueniat, & in quo etiam differat, discernendo. Conuenire igitur cum eius sententia hanc opinionem in hoc dicit, quod felicitatem bonis indigere externis ponit quod & ipse docuit. Sed tamen ut clarius percipiatur felicitati hæc bona adminicula esse, ea in duplice ordinem distribuit. Primum constituit ex iis rebus, quæ instrumenta felicitatis sunt, & quibus operatur, suasq; actiones exercet: vt sunt diuitiæ, amici, & ciuilis potentia: cuius nomine honores, magnæ administrationes, & ciuium benevolentia indicatur. His enim præclara hominum potentia ad res illustres agendas conualescere solet. Quapropter viro studioso hæc ciuilis potentia maximè necessaria est, quæ actionibus virtutum potissimum paratur. Sunt ergo primo loco hæc instrumenta necessaria: quibus corporis valetudo, & sanitas in primis annumerantur. Alterum ordinem constituit eorum bonorum: quæ non sunt instrumenta quidem necessaria ad operandum: ea tamen ratione ad eam spectat, vt si absuerint quoquam pacto hominum opinione eam commaculare videantur: qualia sunt deformitas in corpore, ignobilitas, orbatio prolis, filiorum prauitas, ac studiosorum natorum immatura mors, & similia. Primum sic ostendit. Quia felicitas virtutis operatio est, eiusq; propriis functionib; absoluitur, & perficitur, ut ex superioribus constat: sed ille, cui facultates, & cætera bona necessaria desunt, virtutis operations pro occurrentibus occasionibus exercere non yalet, aut nō facile,

Gemina  
humana  
felicitati  
in instru  
menta.

# COMMENT. CAP. VIII.

Feliciter quæcumque actiones possunt esse, sicut hæc minima p. ipsius bona obducere. At vero maxima, si sunt habent, illud maxima operari possunt. Atque opere maximo, ut si exerceatur maxima ratione, cum sicut operari dū acconsumatur. Ratione igitur nec via modicissimæ, qui virtutibus efficiuntur, sed facilius, operari possunt, ut maxima operibus exercebitur, si facultatibus, & instrumentis necessariis ad eas exercendas careret. Prædicta igitur bona necessaria sunt instrumenta ipsæ felici, & ipsæ insuper felicitatis non tñ intrinsecus ratione sit, que proprie bona, propriaq; voluntate ut aupece probatur est: contenta existimata ratione marceret, in qua versatur, quæ ut exerceatur, in vñusq; de actionib; veniat, p. dictab; bonis ut instrumenta requiri. Bellū nāq; ad suis expeditiōnēs maxima indiges, & potētia, atq; benevolētia ciuium. Præterea ciuilis societas in pace, & virtute cōtineri non potest, si hinc inde hoc, quæ diximus, bona cōtinuò bonis actionibus peruenientia ratione ex virtutis ipsæ de promatur exercitus beneficiis & largitionibus in circuere coelatur. Qd de aliis bonis secundo loco dixit, iā probat. Nā qui bonis dīlē enumeratis carent, nō admodū inquir: felicitatis cōplices si se possunt: quoniā nō in genere & liberaliter pro occurrente materia, virtutis operatio omnes et docet, ex encore valer. Nā deformitate, & vniuersalitate, virtutis operatio omnes, ut quorundā primitate, honorū verò acerbe & immatura morte, extremitate propagari ipsius felicitatis procul dubio impeditur. Nō tñ rō; actionibus augotur, & coadjuvatur, quibus splendoreret, si opposita eorū, quæ diximus, adficeret. Hinc uero pulchritudine, & corporis elegans ciuiū amicitia & benevolentia sepe hoies cōciliat, atq; ite genesis claritas, & studiosa proles idē plures efficere videtur. Ita enim natura cōparatū apparet, ut speciosos & pulchros hoies occurrentes alii ipsa specie pulchritudinis capti (q; virtutis interne in dicimus est) amore, p. sequuntur: atq; statim ad oēm operā si qua forsitan sic elegantes indigent, in eorū gratiā impēdendā idē prop̄st̄ sumptuosa verò deformitas & turpes infamib; illūco habet, ipsasq; aspectus statim dissociantur. In tunc de enī modū generatores & illustris ricos reverentur alii, & studio colunt. Suntq; quippe cōspicua magna quedam, ut illustris operati-


# EN PRIMVM ETHIC. ARIST.

non ostendit, quodammodo agnoscere, ne à majoribus degeneret, quod per diis rebus pro republica gestis præclaris homines, quibus à ceteris segregantur, meriti sunt: & tandem per me, ad optimam prolem semper aliud dante, & comprehendere solent: quapropter & in illis proposū hunc, Amicorum editio copia existente, multa opera vir studiose exercitare, quibus alias omnia priuaretur. Atque eodem modo de studiosa prole censendum est. Eius enim studiose actiones parentis etiam felicitati cumularuntur. Ex quibus omnibus perspicuum est studiosi viri in societate hominum agentes, felicitatem prædicta ratione extendi & propagari: pro cuiusunque siquidem virtutis materia currente instrumentis, quibus operari posset, & suam felicitatem extendere maxime est predictus. Sunt igitur huiusmodi bona necessaria, ita ut horum opposita felicitatem alicuius aliqua ratione eius propagationem impediendo: lacerare videantur. Accedit patera, quod huiusmodi bona voluptasem ipsam, quae ex virtutum actionibus nata est prouenire: suo modo auget, sicut opposita mala inter turbaat: quare iure quodam felicitatem ipsam obscurans discuntur. Cum igitur his bonis, & alijs, que necessaria instrumenta diximus: felicitas indigeat: iure sane fortunæ & prosperitatis indiget dicuntur. Quapropter quidam in fortunæ & prosperitate constituerunt: quia ad actiones ciuiles magno illi adminiculo sint: alii in virtute, quia sine ea probè prefata operationes exerceri non possunt. Hoc tamquam granis terra istam philosophus probebat, quia inter omnia ipsum, & media, atque instrumenta ad ipsum consequendum nullam distinctionem fecerunt: ut ipse fecit. Undique biophiloi huius viam & opinionis assertores ab eo difformis: quod prospéritatem cum felicitate ipsa aggregarunt, quod à perpetuam fecerunt, cum instrumentum solam felicitatis sit. Quid si ex omnibus, quae diximus, constar prædictam de felicitate assertione: sententias antiquorum de eadē re consonant esse: & quicquid insuper celebriores opiniones: vix conciliaantur: & se inducunt: & implicare: spernit inquit, sequitur prædicta descripsione felicitatem probè comprehensam fuisse, si queveremus de ea diffinisse: per regulam positionis: qua dilucidatur quoniam vero semper consonant: &

C A P.

# EN PRIMVM ETIKA ARISTOTELIS

CAPUT MONUM: 1



Nde etiam dubitatur, virum disciplina, an assuetudine, an exercitatio, alia quapiam exercitatio ac quidem quilibet quodlibet qui possit: tamen aliquando in una sorte, an ex fortuna proueniat. Satamen aliquid aliud est à Diis hominibus exhibitum donum, verisimile est, felicitatem quoque à Diis exhiberi: ac tāto magis, quamvis ipso omnium humanarum rerum optima est. Sed hoc fortasse id alia magis disceptationem spectat. Videtur ratiōne, licet à Diis non mittatur, sed vel ex virtute, vel disciplina aliqua, vel exercitacione accedat: ex diuinissimis rebus felicitas esse: quippe cum præsumimus virtutis & finis optimum quoddam ac diuinum, beatumq; esse: videtur. Estq; patera quoddam longè communis. Disciplina enim quadam ac diligētia acquiri ab omnibus potest, modò ad virtutem consequendā lenti ac manci non fuerint. Quod si melius est hoc modo, quā ob fortunā felicem volunt quemq; esse: rora ita se habere consentaneum est. Siquidem & pa, quā secundum naturam sunt, de ea similius, quæ autem aut quam-

Pij piām

## IN PRIMVM ETHIC. ARIST.

piam alia causa & præcipue optima proueniunt: sicut quām pulcherrimē fieri potest, ita suapte natura se habent. Quod vero maximum ac pulcherrimum est, id fortunæ committere, valde prauum est. Imo ex ratione ipsa patet, id quod queritur. Esse enim eam animi quandam operationem secundum virtutem definitum est. Ex reliquis vero bonis alia inesse ipso necesse est: alia adiutoria atq; utilia instrumentaria natura sunt. Atque hęc cū ijs, quae in principio diximus, consentirent. Finem enim ciuitatis facultatis optimi esse statuebamus. A thęc magnam diligentiam adhibet, vt ciues quodā modo afficiat, bonofq; & ad honesta agenda idoneos reddat. Merito igitur neq; bouem, neq; equum, aut quippe in aliud animal felix appellamus: quippe cum nullū ex ipsis talis operationis esse particeps possit. Eadem etiā de causa neq; puer felix est: nondum enim est ad tales res agēdas per etatem idoneus. Qui verò dicuntur felices, spe dicuntur. Nam, sicut diximus, & perfecta virtute, & vita perfecta opus est. Multæ enī mutationes, & variæ fortunæ in vita contingunt: & fieri potest, vt qui maximè prosperitate floruerit, is in senectute in magnas

calami

## COMMENT. CAP. IX.

calamitates incidat. Sicut in hectoris de Pria-  
mo fabulis proditū est. At eum, qui talibus  
fortunis vsus, miserabiliterq; mortuus fuerit,  
felicem profectō dicit necno.

Postquam in superioribus quid sit felicitas, quaq; in re querenda sit, copiosè philosophus disputauit: ea iam inuestigat, quæ felicitatem circūstant, ipsiq; inesse videntur: vt que sit eius potissima causa, & quæ rursus sint illa, quæ illi adiaceant: & propter quid sit. Quę omnia semper huc tendunt, vt felicitatem operationem esse, vt positum est, cōtinuo demonstraret: occasione igitur illorum, quos in calce superioris capitis in bona fortuna, felicitatem ponere recensuit: presenti loco de felicitatis causa querit, an ea in nobis, an extra posita sit. Atq; in hunc modum questionem proponit. Felicitas ne disciplina, aut assuetudine & exercitatione in nobis paretur, an forte id est, diuina aliqua largitiōe & doho, an causa & fortuna eā fortiamur? Quę questione tati momēti ad virg institutionem est, quanti ad omnē actionē liberum, esse hominem, liberoq; pollere arbitrio exploratū habere cōuenit. Nam si primum detur, liber, & felicitatis ciuilis dominus homo quilibet euadit: si secundum, omni libertate ad statum hunc consequendum destitutus iacet: quodd tātū ipsi sors diuina, bonaq; fortuna expectanda relinquatur. Merito igitur questionem hanc philosophus mouet, qua tacitè contra Platonem agit: qui in Mœnē & Protagora, & aliis multis locis, vbi questionem de statu hoc felici hominis in republica discutit, more illius temporis eam non definit, & si apertè rectè de ea senserit, eam appellando rem diuinissimam, & quæ numinis beneficio contingat: & contra omnes insuper philosophos antiquos, qui fato, & necessitate res oēs cōtingere dixerūt: vt fuerūt Chrysippus & Demo critus: & tandem cōtra eos omnes, qui statū felicis hominis in Republica in arbitrio ipsius fortunę cōstituebat. Quę sententia prauorū hominū autoritate maxime fulcitur: qui cū se, ex reosq; vitiorū afflictas cōno iacere, & semper voluntati consiperet, desq; studiosos viros magnis honoribus in Republica

cumulatos: ut sua vita, propriamq; inertiam defenderent, virtutis principium, felicisque status in republica in causam omnius exercitium, & occultam ut in fortunam ipsam relegarunt. Quapropter si studiosi, & felices in republica non erant, hoc pacto se excusare nolebantur: q; minimè in eorum potestate positum esset. Quæ ratione & forum, qui tales habebantur, admirationem ingentem, quæ tota plebs tenebatur, demoliri curabant: quod ad tantum fastigium non virtute, neque industria propria, sed diuinaz sortis, aut fortunæ impietum ad eum honorem ascendissent. Vnde & Manicheorum hæresis, negatiū liberum arbitrium ad bonum hominem habere, dūmanauit: primamq; originem ex his errorib; duxit. Contra hos duos igitur errores propriā philosophus statuit sententiam: ciuilem nempe felicitatem, statumq; ciuilis studiorum in republica, de quo hic sermo est: virtute, disciplina, atque exercitio parari. Quæ conclusio primò explicatur. Et est in primis notandum, quod sub disjunctione parandæ felicitatis tres recensuit causas: quia non omnibus eadē facultas, & via ad eam acquirendam perua est. Siquidem disciplina, ut moralis philosophiz particulari cognitio ne, agibiliumq; terum exhortatione, quæ ad hanc rem magnum habet momentum, magnosq; ingerit stimulos, nō omnes eam parare valent: cùm nec huiusmodi otium omnibus concedatur. Alia verò duo, virtus, & exercitatio necessaria omnino sunt. A virtute etenim moralis felicitatis actioes, iugiter egrediuntur, consimilibusq; virtus ipsa paratur: quare repetitione, & frequencie interimq; genita non est, sed tantum inchoata, assuetudo & quedam ad virtutem progresio solet appellari: quæ assiduitate tandem generatur, & omnino exercitatione perficitur. Nam oportet eū, qui plenæ virtutem paraverit, statumq; felicem huc adeptus fuerit, in omnibus operationibus studiosis erga ciues, & rem publicam ipsam strenuè gestis, omnem laborem, & corporis afflictionem superato, diu se exercuisse, continuoq; studio in eisdē persueceret. Hoc enim dicit exercitatio, operationem scilicet cum labore, quæ & corporis instrumentis continuo repetatur: ob quam causam ad artium humilium acquisitionē accommodatus refertur: quapropter cùm felicitas ad suę generationem

*Actiones  
täprauas  
quæ stu-  
diosas in  
nostra si-  
gas esse  
potestate*

generationem virtusque quiescat. A sua studiis autē exercitum simul philosophus copulauit: Secundū dico, quod quoniam assuetudine virtus paratur (et latè secundū libro docetur, & hic aperte insinuat) dum in decisione controvēsia virtutem pro consideratione, qua in questione vix sperat: commutavit, viam & generationem in eius terminis communictando: exercitatione vero propriè parantur artes, ut militaris, & ceteræ huiusmodi: & quoniam insuper in definitione posita, felicitatem virtutis operationem statuit: in initio libri super prædictis operis eandem posuerat, atque ad virtutis respectionem, cùm non de proxima: quæ virtus est, sed de prima & potissima eius causa disputat, autē assuetudinem, nō ex exercitationem eam dicit. Atque hæc quæcumq; ad explicacionem terminorum attrahit, sint dicta. Iam fuit sententia philosophus probat, primo respondendo ad rationes aliorum, atq; ratio Platoni, quam statim in principio capitinis refert, huiusmodi erat: Si aliquod genus a Deo non aliquid immobile hominibus imparet, aut ab aliis bonis substantiis separatis ipsius dispensatione, et magis felicitas, q; cetera huic bonis preterius est, longoq; intervallo cuncta illa excedat: sed ita est, q; plura nobis a Deo omnino donata, ut moueri, esse, & vivere iuxta illud beati Pauli, in quo vivimus, mouemur, & sumus. Nō ut cognitione naturali id perspicuum eo loco produxit: fortior ergo bene esse, & optimè vivere longe maiori ratione acceptum: Deo referimus. In absolucliam sicutidem causam absolutissimam, & ceteræ humana bona perfectissimis effectus redudendas est. Præfertim q; qui minus donat ut esse & vivere, eadē semper perficere proprio effectu prospiciendo, nunquam pretermittet. Felicitas igitur humana, quæ in hoc, quod est bono & vivere, posita est, effectus est ipsius Dei. Quare quid optima viva unum, & beatum, ut pote effectus, qui tale causam deceat. Quæ etiam ratione moti Manichei (vt supradiximus) usque adeò hominis arbitrium depresso, ut ad bonum agendum nullas vires haberet diversitas: & bonum omne domo Dei us hominibus coartaret, quos ipse elegit, atque amauit. Concedit ergo philosophus tessum argumentum, & conclusione: non enim hac ratione corroborat. Qui videntur

In primis studiis hominum virtutem adoptus fuerit; eam et primum sequitur felicitas: primum autem, & coronam maiorem suam elargiri docet, qui omnium honorum distributio est. A quo cuncta alia bona acceptimur: est igitur diuinissimum quid felicitas modo, tale, ut magnam eius rationem, & curam bonitas diuina gerat. Sunt tamen sententiæ hoc non obstatre suppressè dicit, qd; disciplina, assuetudine, & exercitatione felicitas paretur: quoniam quas Deus naturales vires conditione ipsa homini concordavit, propterea quod cum suo fini naturali eas coniungat, atque in hoc peculiariter hominum prosperietate, vires proprias auferre minime est dicendum. Est ergo diuinus effectus & propria etiam hominis assuetudine, & exercitio paratus. Quod maximè mirandum est, quod cum Deum peculiariter studiosas hominum actiones aduertete cognoverint, earumq; specialem cuizam, & prouidentiam gerere: vnde pro eisdem recte agendis, & eo modo, quo ipsi placebant, continuis precibus & supplicationibus Deum ipsum non inuocarunt, qui sunt vires, & salutis rationem dicigere, de eis nos peculiariter illuminando: quia potius impie, & impudentiter virtutis: benignis ibi ipsi, propriisq; virtibus omnino adseribentes, debito honore, & gloria Deum ipsum omnium honorum auctorem priuarunt et superlatius discussum est. Ex eadem etiam radice aliorum rationem, felicitatis dominam fortunam facientium soluit, suamq; sententiam firmare studet. Dicebat ergo illi, quod propter ea qd; fortuna arbitrio felicitatis distribuitur, ideo hic gloriosus, aliud vero humiliacenes, & praesupponit, cum ad eam proprieates nulla ratione valeret: quinimo inquirit philosophus, quia felicitas virtutis premium est, quoniam diligentis studio, magnisque labore homines consequuntur: omnibus certantibus, propterq; naturæ vires ad honum destinatum excentibus proposita esse debet, ut in uniuersum omnes, quilibet aut manci non sint, id est, dummodo sanguinem, qui ex coniunctione cum materia & corpore, solum non aliquatenus in anima, ut facorem & insuniam, quoniam manca & arbida appellat: sumpta a claudicantibus metaphora, non acceperint, ad eam, tamquam ad proprium finem, & scopum vestibus praecinctis properent: nul-

liq; ad

liq; ad eam consequenda (si modò velie) itet præciosum sit. Est igitur felicitas propria industria, & diligentia parabilis, nea fortunæ flatibus, ut isti dicebant, expectanda.

Quod si melius est hoc modo, quam &c.

Ad eandem conclusionem specialiter iam arguit posito ex dictis, quod diligentia humana felicitas hæc acquiri possit. Atq; ita agit: melius est, assuetudine, & hominum diligentia exercitio, studiosis operationibus felicitatem parari, quam fortuna: ita igitur rem se habere rationi consentaneum est, ut proinde necessarium, in rebus etenim magni momenti, & ponderis, cum natura optimum secundum suum genus semper intendat: quæ aliqua ratione melius fieri possunt, Quotem completa earum generatione & perfecta, eo pacto debere pore cu- fieri à natura ordinatum esse necesse est. Iuxta regulam illâ iuscunq; primi Politicorum, Qualis quæq; res est generatione perfo rein nau- rata, talis eius natura est existimanda: & secundum ite illud, ra & per quod in libris de cœlo docet: In necessariis aeternis, posse factio st- ad esse firmam esse consequentiam. Vnde etiam sequitur, tendeda, ut in rebus magni momenti vitam ipsam concernentibus, à meliori etiam & optimo esse ad sic esse irrefragabile constet argumentum. Præterea eadem connexio siue illatio tertio loco confirmatur, quia felicitas non à natura immediate, sed ab arte, quæ in rebus conjectura constantibus certior dux existit: efficitur, quia sic optimè, inquit: & melius alia causa, quam à fortuna sit, ut virtute: sic ergo fieri necessarium est. Ars quippe pulcherrimum intendit efficere opus, ut quævis optima causa optimum effectum: alias nec artis nomen retineret, neque virtus optima causa diceretur, quas felicitatis causas proximas ponit, ut paulò ante expli- cuiimus. Optimè igitur felicitas hac ratione paratur. Qua- re sic eam fieri, ratum ac firmum esse debet, ut conclusio af- ferat.

Quod vero maximum &c.

Alia ratione idem probat ad inconveniens ducendo: quia valde primum & magnum peccatum, inquit, esset, tem pulcherrimam & optimam, qualis felicitas habetur, in causam per accidens & non propriam cuiusmodi fortuna, & casus

P 5 sunt:

Sunt: reducere. Fortuna enim, ut ex secundo Phisicoru planè colligitur, nullibi in esse habet: quare nec verè causa dicitur: cùm solum sequatur agens secundum propositum & rationem, quando aliquid præter eius intentionem accidit: felicitas autem res optima censetur: debet igitur per se existentē, & propriam causam habere, ita ut oppositū afferere sit valde prauum, id est, prauorum hominum propriam prauitatem prauè & inaniter excusantium.

## Immo ex ratione. &amp;c.

Præterea eadem cōclusionem suadet: felicitatis rationem ab eo traditam confirmingo. Nam in ea positum est: felicitatem operationem quandam animæ esse, & secundum yistum: vbi dux felicitatis cause indicantur, altera rationalis anima, quæ operatur: altera verè virtus, secundum quam ad opus accingitur. Qui ergo fieri potest, ut iis causis per se existentibus, causa per accidens, qualis fortuna est: item inducitur igitur felicitatis proxima causa virtus, ad quam homines assuetudine, & exercitio contendunt. Ac proinde recte tradita est definitio, quæ virtutem, & animam studiosè operantem felicitatis causas continet. Vbi est aduentusq; quod articulus ille: quandam emphasis dicit: quia felicitas res optimæ est, iuxta ea quæ in initio. i. cap. sunt exposita.

## Ex reliquis vero bonis. &amp;c.

Quia suam definitionem in confirmationem adductæ sententie, quod scilicet virtus, & operationes humanæ felicitatis sint causa, adduxerat: & in superioribus etiam bonis externis, quæ fortunæ bona dicuntur: eam maximè indigere statuerat: siue fortasse aliquis vrgeret dicendo, pender igitur ab ipsa fortuna, ut isti dicunt: quare conclusio non omnino constabit. Huic igitur obiectio respondendo, ea quæ ante dixerat, circa felicitatem explicat. Atque supponit, felicitatem quæ bonum humanum dicitur: in ipsis operationibus, quæ à virtute egrediuntur, considerat: in aliis autem extētris bonis nullo modo possumus esse: & si ipsius diuisa ratione cindigemus. Nam ea bona, quæ supra communia, & felicitate dixit: si absint: cùm veluti familiæ & ministri: eam comitetur: bona adiutrix, & quæ in primis eam adiuvant, censet. Cetera vero fortunæ

fortunæ bona solum modo ut instrumenta quedam necessaria, ad esse optimum felicitatis: quare neutra felicitatis rationem, ut eam essentialiter constituentia, ut inde verè ea à fortuna pendere dicatur, ingrediuntur: ut obiectator opponit. At quod hæc explicatio rationis, qua circumscripta est felicitas, vera sit, vereq; ab eius ratione excludatur fortuna, appetè probat, cum dicit:

Atque hæc cum his, quæ à principio diximus. &c.

Dicit ergo maximè hæc consentire cum eo, quod de felicitate in procœdio dixit: vbi bonum optimum, & civilis facultatis finem eam statuit. Cuius finis sane est, ciues studiosos reddere, ad bonumq; eos prouocare: nunc malefactores puniendo, nunc se optimè in rem publicā gerentes premiis affiendo: & denique ad virtutem inuitando: ut tota ciuitas, omnesq; ciues ad virtutis culmen ascendent, felices euadant. Optimè ergo huius facultatis finis (quem felicitatem appellamus) in operationibus à virtute egredientibus, quæ non nisi industria, & diligentia adhibita humana acquiruntur, positus est: atque ideo maximè conuenienter cum his, quæ à principio dicta sunt. Quare recte dictum est in definitio, ut nunc etiam explicatum est, felicitatem virtutis operationem esse: ad quam fortuna ipsa nullam causæ ratione habeat. Ex quibus corollarii infert: primum, bruta animalia felicitia minimè esse censenda, neque iustitia appellacione posse nuncupari cùm anima rationali careant, quæ primum principium felicitatis existit. Ab ea quippe operationes solum egrediuntur quæ ad ipsam virtutem viam parant: à qua proximè felicitas procedit. Perinde etiam secundum infert: pueros ob defectū alterius principii proximi, quod virtus est, nulla ratione felices esse appellandos, nisi forsitan aliquando impropiè, ratione spei, quam de aliquo cōcipimus, ratione optimè indolis, & docilis naturæ, quæ in tenera ætate sese exerit: secundū quam speramus talem se in posterum præstitorum, ut ad virtutis fastigium ascendat, & felix appelletur. Quare eandem appellationem præuenientes non id quod est, sed quod futurum ostenditur, nuncupamus. Verè tamē in hac ætate nul-

*Sicut nee  
belua ita  
nec pueri  
felices ap  
pellatur.*

Ius censendus est felicitatem ob defectum etatis, ob quem neque virtutem perfectam adeptus sit, à qua proximè felicitas nascitur: quæ viris solummodo contingit: tuu quid neq; perfecta vita fruantur, in imbecilla etate, quæ ob similitudinem, & felicitatis stabilitatem necessariò inesse debet, vt ex ultima definitionis particula satis aperte colligitur. Ex quo ultimò infert, Neque etiam viros, quantumvis virtute, sanitate, & bonis extempis polleant & redundant, felices esse appellandos, nisi tales in finem usque persecutauerint: sufficienter continuò adiuti ad ciuiles actiones praestandas. Nam cum fortunæ fatus nulla ratione firmus, sed omnia instabilis sit: ita ut cum maximè propicia fortuna videatur, toto impetu reflare sepe contingat, bona autem, quæ felicitatis ad iutricia, & instrumenta paulò ante appellavit, in eodem statu consistere nequeunt, sed continuo cursu mutationibus sunt obnoxia: sit ut horum bonorum abcessu felicitas necessariò maculetur, quare huiusmodi sic bonis externis priuatum, nemo felicem appellabit, vt gratia exempli de Lriamo Troianorum rege assertit. Qui cum virili etate liberis optimis, omnique bonorum affluentia excelluisse: in senectute his omnibus cum regno calamitosè fuit spoliatus, & tandem morti adductus: ut inter præclaros & illustres viros (qui heroes dicebantur) suis carminibus Homerus refert. Hunc igitur, inquit philosophus, sic misere afflictum nemo felicem appellabit.

Est ergo corollarium verum, Non omnes viros felices esse appellandos, quantumvis virtute, & bonis externis polleant, nisi ad finem usque vitæ tam statum perducerint, quibus huius capituli sententia satis expressa manet.

Caput

## CAPVT DECIMVM.



Vnquid igitur, neq; aliis quispiam homo quodaduiuit, felix dicendus est: sed ex sententia Sölonis finè spectare oportet? Siq; ita statuendum est, felix ne tunc erit aliquis, vbi mortuus fuerit? An hoc absurdum penitus est, præfertim apud nos, qui felicitatem operationem quandam esse dicimus. Quod si mortuum esse felicem non dicimus, neq; Solō id voluit: sed solummodo hominem dixit tunc beatum appellati tutò posse, quippe qui extra omnia mala & infortunia iam collocatus sit: hoc quoque dubitationem quandam habet. Videtur enim mortuo bonum & malum adesse, perinde ac viventi & non sentienti, vt honores, & infamiae: filiorum & omnino posterorum prosperæ, & aduersæ fortunæ. Dubitationem etiam hæc afferunt. Fieri enim potest, vt ei qui usque ad senectutem beatè vixerit, secundumque rationem mortuus sit: multæ mutationes in posteris ac nepotibus contingant: vt alii boni sint, vitæq; p dignitate cōsequantur, alii contrà, qui sancte in distatijs erga parentes multis

multis modis sese habere possunt. Absurdum igitur esset, si mortuus simul etiam mutaretur: & modò felix, modò miser efficeretur. Absurdum quoq; est, si nihil neq; ad aliquod tempus posteriorum res ad parètes pertineat. Sed redcendum ad id de quo prius dubitabamus: ex illo enim fortasse etiam id, quod nunc queritur, considerabitur. Si igitur finē spectare oportet: & tunc beatum numquemque dicere, non quòd sit, sed quod prius erat beatus: quomodo absurdum non est, si quando est felix, non verè dici potest de ipso id, quod ei inest: iccirco quia eos qui adhuc viuūt, obmutationes appellare felices nolumus: felicitatenque stabile quid esse, ac minimè mutabile: fortunas vero sāpe circa eosdem reuolui existimamūs? Perspicuū enim est, si sequi fortunas velimus, nos eundem felicem, & rursus miserum sāpe esse diēturos: chamæleontem quendam imbecilliterq; stabilitum felicē facientes. An sequi fortunas minimè rectū est: quippe cùm in ipsis, vt benè vel male viuamus, nequaquam situm sit: sed ipsis humana vita, sicut diximus, solūmodo indigeat. Sed in operationibus secundum virtutem felicitatis in contrarijs, contrarij præcipua vis collocata

locata est, attestatur autem huic sententia, & id, de quo nunc dubitauimus. In nullo enim, ex operibus humanis, sicut in operationibus secundū virtutē firmitas est. Hę liquidē stabiliores etiam scientijs videtur: atq; ex his ipsis stabiliores, quæ præstantiores: eo quòd beati in his maximè & assiduè viuere consueuerūt. Hoc enim simile causæ est, quòd in ipsis oblio uio nulla cōtingit. Inerit igitur id quod queritur, ipsi felici: eritq; per totam vitam talis. Semper enim vel maximè omniū ea aget & contemplabitur, quæ sunt secundum virtutem: fortunasq; pulcherrimè feret, atq; omni ex parte prorsus accuratè atque aptè: quippe qui verè bonus & quadratus absque vituperatione sit. Cùm multa autem sint, quæ à fortuna eueniunt, quæ & magnitudine & paruitate inter se differūt, parua tam secunda, quā aduersa, vitæ nullum momētum afferre perspicuū est: magna verò & multa si bona sint, beatiorem vitam reddēt: nam & ipsa sunt ad augendum ornatum idonea, & usus ipsorum pulcher honestusq; est. Si cōtrà eueniat, premūt, ac lēdunt beatitudinem: quippe cùm & molestias afferat, & multis operationibus impedimento sint. Quòd si operationes vite domi-

dominæ sunt, quemadmodum diximus: nulus ex beatis miser efficeretur. Nunquā enim odiosum quippiam, ac prauum ager. Nam cum, quire vera bonus est, ac prudens, decorè omnem fortunam perferre, & pro facultatibus semper pulcherrima quæque atq; optima agere existimamus. Perinde ac ducem bonum præsenti exercitu maxime bellicè vti: & futorem ex datis corijs pulcherrimum calceū facere: atque eodem modo reliquos artifices putamus. Quod si ita est, felix quidem miserū quā efficietur: beatus tamen non erit, si in priami calamitates inciderit. Neque etiā varius quidā erit, ac mutabilis. Neque enim vel facile, vel à quibuslibet infortunijs, sed à multis & ingētibus à felicitate dimouebitur. Atque ex talibus effici rursus felix in paruo tempore non poterit: sed si modo id licet, in multo quodam ac perfecto tempore continget, si in eo magnas aliquas ac præclaras res fuerit consecutus. Quid igitur vetat, quò minus cū felicem dicamus, qui ex perfecta virtute operatur: exterisq; bonis abundè fuerit instrutus, non quolibet tempore, sed perfecto? an addendum, qui & victurus ita est, & secundū rationem vita defunctus: nam futurum incertum

certum nobis est, felicitatem verò finem, ac perfectum quid omnino, & prorsus constituimus. Si verò ita est: ex iis qui viuunt, beatos eos dicemus, quibus hæc quæ dicta sunt, & adsunt, & aderunt. Ac beatos quidem, vt homines.

Sumpta occasione ex adducto Priami exemplo, postquā de felicitatis causa disputauit, hic de tempore, quo aliquis felix appellandus sit, deque firmitudine & felicitatis stabilitate differit, præcipueq; cum Solone ex septem Græcię sapientibus primario, ac Atheniēsium legislatore sermonem cōserit. Qui suis carminibus edidit: Ante obitum, vltimęq; lucis functionem neminem felicem ob fortunę mutationes, quibus quilibet, dum viuit, obnoxius est, iure posse nū spiam ap cupari. At postquam supremo die luce orbatus, ac fortunę pellādus mutationibus exemptus fuisset, si absq; fortunę reflatu vitam cum ratione, ac studiosis actionibus ingenuè splendescensem finiuisset, felicitatis titulo meritò à quopiam posse cohonestari: quandoquidem securè de eius vita censuram quilibet prudens eo tempore proferre potest. Cui sententia maximè arridet: illa sapientis Ecclesiastici. 2. cap. cùm inquit: Ante mortem ne laudes hominem, quoniam in filiis suis agnoscitur vir. Atq; hanc sententiam tractando, hunc ordinem seruat: quodd contra eam primò vehementer arguit, deinde verò eius fundamentum in medium producit, idq; examinat: & tandem propriam dicit sententiam, & oppositis rationibus responderet. Primo ergo loco propolita quæstione, absurdum quoddam Solonis sententiam implicare, dicit: & præcipue contra ipsum philosophum, qui paulò antè felicitatem in operatione virtutis constituit: quippe cùm post mortem nulla contingat operatio humana, apertere sequitur, felicitate humana, & ciuii neminem tum temporis verè felicem posse nuncupari. Sed tamē quia Solon homo frugalissimus fuit, & qui in operationibus virtutis bonum humanum etiam censuerit: ob quod cætera fortu-

næ bona à se ablegauit, oleribus, & tenui vietū contentus, vt in decimo libro philosophus testatur: hinc subiicit, Quod si hoc contra definitionem positam est, minimè hoc Solonem sentire: operationum siquidem studiosarum vñq; adeò extitit amator. Quare solutionem adhibet, pro eo dicendo: non intendere hunc philosophum verè aliquem hominem post mortem esse, aut appellari felicem, sed quodd tunc huiusmodi appellatio secure ipsi poterit adiudicari, quia extra fortunæ rotam, & ambitum constitutus sit: cuius mutationibus felicitas hæc ciuilis subiecta existit. Sed hanc item solutionem statim excludit, dicendo: quodd nec tunc homo ita extra fortunæ imperium positus sit, vt ad ipsum eius ludibrium pertingere non valeat. Quod sic probat: ad hominem viuentem, non tamen sentientem, idest, suorum calamitates, & infortunia non patientem, neque item res secundas experientem, ipsorum prosperæ & aduersæ fortunæ pertingunt, euinq; mœrore conficiunt, aut flatu prospero delectant, ergo & ad ipsos mortuos: cura si quidem, & cognitione eorum, quæ affinis, & aliqua ratione coniunctis accidere possunt, utriusque æqualiter se habent. Itaque per non sentientem Philosophus hoc loco non intelligit hominem à suis absentem variisque distentum negotiis, qui bona & mala suorum propter distantiam non cognoscat, vt omnes qui hactenus hunc locum interpretati sunt, voluerunt: sed minus aptè, vt latius in sequenti capite videbitur. Sed intelligit (vt diximus) eum hominem, qui suorum calamitatibus, aut prosperis fortunis non affiliatur actu, quia impetum fortunæ in se non experitur, & si eam in suos affines, & coniuctos se reueluentem videat: & cognoscat. Quare si quemadmodum hic: ad posteros & affines se habent mortui, apertè sequitur extra fortunæ aleam eos omnino positos non esse, quemadmodum nec viuentes, qui suorum prospera, & aduersa cognoscunt. Sed quoniam hanc rationem aliquis hoc inconuenienti labefactare niti posset: quodd post mortem millies aliquis felix & miser efficeretur propter prosperas, & aduersas posterorum fortunas, cùm extra fortunæ dominium positus non

tus non sit: eandem difficultatem præueniendo: inquit, quandam dubitationem, & controversiam hoc afferre, si ita sit, quod postquam aliquis lucem hanc reliquerit, fortunæ subiectus sit. Nam cum filii, nepotes, & cæteri propinqui, boni, & praui esse possint, calamitosi insuper, & multis etiam fortunis cumulati, & variis denique distantiis, & discriminibus à mortuis distare: absurdum maximè est, dicere, perinde ac viuos millies mortuos, miseros & felices effici. Absurdum item esset, afferere, nec minimum eorum, quæ posteris succedunt, ad defunctum attinere. neq; etiam ad tempus. Quare hoc controversiam, inquit: habet, & questionem: quia tamen eius solutio ex priori difficultate pendet, eam in sequens caput reiicit, & ad suum institutum redundo, post digressionem hanc inquit:

Sed redeundum ad id, de quo prius dubitabamus &c.

Quo loco vehementius, contra eandem sententiam sic arguit. Si post mortem aliquis verè dicendus esset felix, hoc ideo esset, quia dum vixit, fuit felix & beatus: at proposicio hæc nunquam habuit aliquam de præsenti veram, hanc scilicet hic est felix, ex Solonis sententia: ergo neque post mortem hæc de præterito poterit esse vera, hic fuit felix. Quare absurdum, inquit, maximè est, quod post mortem aliquis dicitur felix, aut quod fuerit felix, & quod, dum vixit, de ipso non verè dicitur, id quod inest. Imò repugnatiā quandam hæc implicare videntur: quare minus sibi constat hæc sententia: cuius fundamentum statim subiicit, dicendo: idcirco eam in has angustias incidere.

Quia eos, qui adhuc viuunt, ob mutationes fortunæ appellare felices nolumus.

Ponit ergo hoc loco Solonis sententię fundamētum. Hoc tñ quasi autor eiusdē sententię noīc p̄prio p̄ducit: q̄ ideo facit, quod maximè Solō cū ipso in aſſerēda felicitate cōueniat, vt supra diximus: & quia ipse etiā statuit supra, totū splendorē, & apparatum felicitatis à prosperitate fortunæ pendere: ita ut ab eius impetu aliquando commaculetur. Aut quia ex

communi opinione omnium loquitur, qua receptum erat; Neminem felicē appellare: cui fortuna ipsa affatim nō aspi rauerit: vt superiore capite ex primere vilus est, cūm neminem, Priamum sic calamitotum felicem appellare dixit: ve cunq; tamen res se habeat, ratio, cui prædicta sententia initit huiusmodi est. Felicitas est quoddam bonum firmum, & stabile, ac omnino securum: homines autem dum viuūt, mutationibus fortunæ obnoxii sunt propter ipsius bona, quæ in actionum ciuilium vsum à natura sunt destinata, atque cūm ea larga manu aliquando pollicita est, fidem minimè seruat: quippe in eos, quibus largior aliquando visa est, sæpe reuolutur: ipsorumq; statum facile mutat. Non ergo homines villo pacto dum viuunt in tanta instabilitate constituti, felices appellari poterunt. Quam sententiam ipse philosophus nomine proprio propter rationes quas diximus confirmat. Nā perspicuè, inquit: sequitur, si fortunas sequi velimus: idest, si felicitatem ita ex ipsa fortuna pendere dixerimus, vt discerniculum statuatur: sit ne aliquis felix an non? quod cūm prosperæ, & aduersæ res in eius reuolutione se mutuò excipiant, neq; aliquando quiescant: eundem hominem millies felicem, & miserum pro flatu, & refatu fortunæ, nos esse dicturos. Ac perinde deniq; felix esset maturabilis, atq; Camæleo, qui vicinis coloribus semper afficietur: qua ratione intuentium oculos facile fugit. Sic nimirū & ipse felix fortunæ tactu modo splendesceret, & densissimi tenebris statim offunderetur: & infirmo deinde fortunæ fundamento stabilitus, & collocatus, inquit: esset, quare casui & ruinæ semper esset obnoxius, vt domus ea cuius basis firma, & constans non fuerit. Quare si hac ratione felicitas omnino à fortuna pendeat, felicis appellatione nullus ante mortem dignus erit, vt prædicta sententia asserit.

An sequi fortunas minime rectum est? &c.

Vt principalem quæstionem definiat, si in vita aliquis felix appellandus sit: ab eo, quod nuper de fortunæ, & felicitatis connexione disputabat, Solonis fundamentum statuendo, exorditur, atque de ea re & si interrogacione, more suo, vt supra diximus, hanc sententiam profert: sequi fortunas mi nimè

nimè rectum est: idest, felicitas non ita cum fortuna consentit, vt ab ea suum esse, & essentia pendeat, eiusq; mutationibus omnino sit subiecta. Quam sententiam primo sic firmat: in nostra potestate situm est, benè & male viuere: ac propinde tota vita nostra est, in nostraq; potestate, & non in temeritate fortunæ constituta, & si ipsius bonis ad vsum rerum, quibus actiones ciuiles versantur, indigat. Contrario etenim posito, præmia & laudes ob benè acta homines non merentur, neque ob prauè, poenas & supplicia: in causam si quidem externam peccata, & merita omnia reliquerentur. Est igitur rectè & probè operari, totaq; ipsa vita in nostra potestate, proprioq; arbitrio constituta. Sed ita est quod in operationibus studiosis, & secundum virtutem, felicitatis vis, imperium, & dominium collocatum est: vt in prauis vitium, & miseria, virtuti & felicitati contraria: nam vitium, habitus prauus in quavis agibilius materia est, miseria vero totius vitii profundum, & extremum: est igitur felicitas in nostra potestate, sicut ipsæ operations studiosæ, omnino posita. Quoniam nec aliter bonum nostrum est, sed alienum: siquidem nobis in uitis auferri posset, ab ipsa fortuna repugnante. Vnde nec bonum esset homini, in tam incerta & instabili causa fulcitum, nec firmam, & certam, in quam refereretur, haberet. Quod humanum bonum omnino requirit: quippe aliæ continuo metus, ne fortuna lacestrat, adesset, quo semel recepto, solida felicitas esse non posset. Bonum ergo humanum nostrum est, proprioq; arbitrio constitutum, cui minimè fortuna ipsa præsideat, aut dominetur: vt ratio Solonis intendere videbatur.

Attestatur autem huic sententiæ. &c.

Postquam superiori ratione ex parte illius, quod vero causa, & principium felicitatis existit, ab eius imperio, & dominio fortunam ciecit: eandem omnino à dicta prædicta alia rursus ratione, à firmitudine & stabilitate felicitatis sumpta, eleganter excludit. Quapropter, inquit: quod

*Virtutes  
scientiis  
firmiores*

attestatur huic sententiae id, de quo nunc dubitamus. Quasi dicaret stabilitas, & felicitatis firmitudo (propter quam an fortunæ iurisdictioni felicitas subiicitur, paulo antea dubitabamus) firmissimum huic rei testimonium praebet. Vnde ratio sic formatur: felicitas (quia securitate potissimum gaudet) maximè stabilis & firma esse debet. Non ergo in dominio fortunæ sed in hominis potestate, ipsiusq; virtutibus tanquam in causis à quibus profluat, ponenda est. Ex operibus nanque humanis operationes quæ secundum virtutem existunt, maximè permanentia & firmatatis sunt. Quandoquidem ipsa virtus respectu agendorum (vt supra etiam diximus:) natura ipsa multo certior, & firmior sit. Siquidem per virtutem natura hominis ad agendum regulata, & instruta, veluti in itinere ponitur: vt tantum gradum facere queat, quod suum finem assequatur, & recte omnino ad eum properare valeat: imo hæc præstare ipsi virtuti, individuum est. Sunt igitur virtutis operationes ipsius naturæ operibus hac in re certiores. Sed quod etiam aliarum artium, & scientiarum functionibus firmitate antecedat, sic item probat: Quoniam virtutes scientiis firmiores, inquit, sunt, & ex virtutibus hæc, quæ aliis præstantiores existunt: nam cum virtutum exercitium viris studiosis assiduum semper, & nunquam interruptum sit: atque felices insuper, & excellentes viri in præstantissimis virtutibus, vt iustitia, & fortitudine, quæ maximè ciuiles sunt: assidue se exerceant, ex eisdemq; maximè vitam traducere consueuerint: sit, vt huiusmodi virtutum actuum frequentia: quid simile causæ effectuæ (cui effectum conseruare annexum est) sit, quominus earum virtutum accidere possit obliuio. Atque cum aliarum artium & scientiarum actuum, & operationum, non tam frequens usus & exercitatio sit, vt facilius excidant, & earum accidat obliuio in causa existit. Quare vel hac de causa virtutes omnibus aliis habitibus firmiores erunt: vt merito instabilibus ipsarum operationibus felicitas collocetur, quæ omnium humanarum rerum firmissima extat. Non igitur felicitatem dominium fortunæ, sed ipsi virtutum operationibus tribuendum

tribuendum est. In qua ratione aduertendum est: duplē causam corruptionis habitum insinuari: alteram defecum cause conseruantis, qualis demonstratio, & ratio ex qua aliqua scientia, & habitus pendeat, existit: nam cum hæc exciderit, nisi aliunde sustentetur, statim scientiam, & habitum excidere necesse est. Alteram vero, actuum interruptionem, & cessationem: nam actibus ipsis repetitis scientia, & habitus sustentari, & augeri solent: secundum quam rationem præsens philosophi sententia constat, omnibus aliis habitibus actiuis virtutes stabiliores, & firmiores esse. Quippe quæ propriis actionibus fulciri, ornari, & augeri nunquam desinant. Nam agibilia, in quæ virtutes feruntur, vitæ obiecta sunt: vnde vir prudens & studiosus, virtutes ipsis & habitus bene operandi, ex vita, quam profitetur ab ignorantia, & errore agibilium libera (nam hoc potissimum virtutes præstant) necessariò exercitationis assiduitate perficiet, & ornabit: vt ipsarum virtutum nunquam contingat obliuio. Quare merito proinde aliis habitibus certiores ponuntur, vt posita ratio intendit.

Inerit igitur id, quod queritur ipsis felici &c.

Concludit iam ex dictis, omni proculdubio id quod queritur, firmatatem nempe, & stabilitatem inesse felici, quem ipse depinxit: ac omnino ipsum immobilem esse. Cuius duas subiicit rationes. Prima est: quia cum actionum moralium duo sint principia, appetitus scilicet, & actiuus intellectus sive ratio: & appetitus virtutibus moralibus optimè in felici homine, ad ingenuas, & elegantes electiones peragendas probè exercitatus, ac proinde munitus sit: & ratio rursus ad expendenda ea, quæ secundum ipsius regulam, & normam agenda sunt, prudentia omnium virtutum duce, tanquam totius vitæ exactissima arte, sit instruta: ab omnique errore, & ignorantia agibilium libera: præfatus felix quæ pulcherrima sunt, semper eligit. Atque electa ingenuè, & accurate aget, & circa præclaras & illustres actiones semper versabitur: inerit igitur huic felici

# IN PRIMVM ETHIC. ARIST.

lici magna semper stabilitas. Præterea eam non auferet fortuna: quare semper perstabit immobilis. Illationem hanc ita probat: nam fortunas, inquit: pulcherrimè feret, idest, cōcinnitate quadam, & animi æquabilitate, atque dignitate in omnibus seruata: ita quod rebus prosperis nunquam efferetur, nec in sole scet, neque tantundem aduersis & calamitosis consernetur, animuq; despondebit. Cuius causas subiiciens, inquit: Quia verè bonus, & quadratus, & absque vituperatione sit. Atque hinc quia bonus vir est, ea quæ verè bona sunt, cæterisque bonis longè præstantiora, semper anteponat: quia hæc magna, & ampla in aliorum bonorum obtutu continuò iudicabit. Quo circa pro sui animi candore, dignitate, & magnitudine, quæcunque alia, parua & exigua existimabit: & tantum prospera ad usum solum, & sui animi maiorem illustrationem apta discernet. Aduersa vero non tanta, vt vel in calcaneo animi magnitudinem, & dignitatem lacerare possint, nedum sibi eam subiicare: vt iis animus contractus, illustres & præclaras actiones, quibus anteā vacabat, deserat: quod consterni & frangi esset. Quin potius quæcunque fortuna obiecerit calando, ad easdēm virtutis operationes exercendas alacrius se accinget. Nam fortunæ succumbere, & animo deici, aut ipsius bonis efferri, illius profectus est: qui nunquam sui animi magnos, & diuinos spiritus concepit: cum terrenis rebus statim cum captiuare sinat: inādanti se æstimat: quanti res prosperæ, & aduersæ, quibus semper ducitur, ipsum faciunt. Bonus igitur vir sui, ac bonorum animi & spiritus memor, prospera & aduersa calcabit, vnde & eorum dominus constituetur: iuxta illud domini, Terra, quam pes tuus calauerit, tua est. Nam quæ semel contempleris, & vilipenderis, tua statim fiunt. Terrena quippe bona non aliud esse habent in ratione finis, & boni, quam id, quod cupientis attimus præstiterit. Quia igitur vir iste felix bonus est, omnia pulcherrimè feret. Et quia deinde quadratus, maxima stabilitate, & firmitudine in bono rationis & virtutis perseverabit, neque tactu aliquo fortunæ in hanc, aut illam partem facile flectetur, aut inclinabitur. Quinimo ut cunque

Homo vir  
quadra-  
tus.

# COMMENT. CAP. X. 115

vt cunque fortuna pepulerit, firmus, & erectus perstabit. Quemadmodum corpus, quod quadrata figura distinctum est, in quæcunque enim partem projectum cedecrit, semper plana, & æquali superficie innititur. & rectum manet, æqualiter semper à humo distans, eandem semper habitudinem seruando. Perinde igitur vir studiosus, qui virtutibus quadratus sit, quæcunque fortuna nitatur ipsum proiicere, æquanimitatem seruabit: id est virtutibus veluti æqualibus superficiebus subnixus, stabilem & planam sedem seruabit, pristinam animi stationem in sua dignitate, & magnitudine retinendo: vnde eodem modo semper se habens, æqualiter à fortunæ vndis distabit. Quapropter antiqui philosophi virum studiosum ante oculos habere præceptum illud sapientum iubebant: Nihil nimis: id est, quod ita iudicet, nihil tam amplum & magnum fortunam offerre posse, quod nimium ab eo æstimetur, vt inde animus efferatur: neque tam aduersum & calamitosum: vt animum frangere sufficiat, ipsumq; à sua dignitate deiicere. Quia igitur felix vir quadratus est, immobilem, firmum & fixum contra quæcunque fortunæ flatum se semper præstabit. Atque hac ratione scuto patientia (quæ mater, & custos omnium virtutum est) optimè munitus, cuncta, quæ ad animum, eiusq; illustrationem & vitam non pertinent, illico contemnet: quadratum quippe animum habet. Vnde & quadratorum pileorum habitus forsitan clericis contigit: vt vel ipso indumenti genere continuò stabilitatis, & firmitudinis in bono virtutis admoneantur, & tales semper se prebeant, quales tantum ministerium exigit: nec huius rei consideratio vñquam è memoria excidat. Hæc igitur christianus lector meditari, & considerare debet: continuò ad hæc opere præstanda, diuinum fauorem & auxilium, humilibus orationibus implorando, sine quo talia, vt depinximus, virum minimè se præstare poterit: sed infatus, & virtute vacuus iacebit. Perinde ac philosophi hæc docentes, qui omnia suis viribus adscripti sunt, dei omnipotenti, à quo omnia bona descendunt: ponitus immoveblos, vt supra latius discussimus. Oportebat sanque sub-

Q 5 omni

omnipotenti manu domini seipso humiliare, vt tenui vires sic ad bona virtutum præstanta, ab ipso domino specialiter corroborarentur, & adiuuarentur: qua ratione quodam potissimum virum felix iste se poterit præstare. Tandem, inquit: & quod sine vituperatione sit: quod ad bonum nomen, & famam sanè pertinet, vir enim studiosus ita virtù rationem statuit, vt nihil vituperio, reprehensione dignum admittat, sed maculam omnem & notam, quam illi populus murere potest, omni cura, & diligentia fugere nititur. Bonum etenim nomen virtutis animæ signum, & apertum indicium est, quo cæteri ciues ad iter virtutis sectandum maximè prouocantur. Quia igitur vir probus, & studiosus hoc virtù institutum colit, omnino male audire ob quæcumque fortunæ impulsu prosperum, siue aduersum fugiet: constantemq; in virtute se semper exhibebit, nihil reprehendendum, vt temeritati fortunæ subiectus, admittendo. Pulcherrimè igitur omnia feret quia vir probus, quadratus, & absque vituperatione sit.

Cum multa autem sint, quæ à fortuna &c.

Postquam superiori textu explicuit, qualem aduersus fortunam se felix exhibebit: nunc quid contra eum vires fortunæ valeant, ostendit. Atque hac distinctione vtitur: ea quæ à fortuna eueniunt, cum multa & varia sint, calamitosa item, & prospera: hac tamen partitione comprehenduntur, quod ea parua, aut magna sint. Et si parua, inquit: sint, siue secunda & prospera aduentent, ex communione omnium sententia (cui nec repugnat Solon) perspicuum est: virtù momentum non afferre: id est, nullam mutationem, neque virtù variationem valere efficere, aut quoquam versus eam posse inclinare. Cum tanta magnitudine felicitatis, omnino obruantur, & obfuscetur: atque insensibilia fermè reddantur: vt diuitiis cræsi, aut alterius ita copiosi viri, pauperis cuiusdam tenuis accessio. Si vero magna sint & secunda, felicitatem quidam ipsam augent, & condecorant: si autem aduersa, premunt, inquit: & lassunt: ipsam tamen felicitatem delicate, & mutare non valent: quod

quod Soloni magnam ingerebat difficultatem. Priorē partē huius enuntiati probat: qui hæc bona externa, ornamenta quædam & instrumenta felicitatis sunt: quæ eius pulchritudinem, & elegantiam excere, & omnibus conspicuam reddere valent: atque ita ornata maximo cum decole incedit. Perinde ac elegans puella quæ magnō ornamentorum apparatu composita, se videntiam præbeat. Et non solum hoc: sed ipsorum etiam bonorum v̄lus pulcher, & omnino studiosus redditur: ea nimis pulchritudine, & elegantia, quæ ab ipsa felicitate virtutisq; operationibus, huiusmodi bonis communicatur: perinde ac optimi artificis elegantia: instrumentis quibus vtitur. Est igitur magno ornamento ipsi felici ampliā fortunæ accelsio: quia præter hoc, quod vitam beatitudinem reddit: v̄sus etiam ipsorum bonorum pulcher & studiosus pro virtutum opportunitate, semper deponit. Posteriorem partē quod ad id, quod afferit, calamitates magnas aduenientes felicem premere, & lassere, sic suadet. Nam voluptatem eam quæ felicitati quodammodo insita est, hæc aduersa perturbant: tristitias plures & doloris afferendo, & multas insuper præclaras & illustres actiones, ob defectum virium & facultatum impediendo, quibus non accendentibus, exercebantur, & in dies magnis felicitas splenduisse. Nam propriis ornamentiis composita, continuè extenditur, & propagatur, nouum & nouum augmentum suscipiendo: contrariis verò vsum ciuilium extinsecum impedientibus, aut minuentibus, coarctatur, & premitur: in magnasq; angustias redigitur. Sed quod hac ratione eius essentiam fortuna immutare non valeat, sic probat: quia in his ipsis malis, inquit: honestas ipsa maximè splendor, atque fulget. Quippe virtutes semper integræ in animo manent, quæ pro opportunitatibus occurrentibus in suas prorumpent electio-nes, & actiones internas: in quibus felicitatis essentia primè consistit: & in externas etiam, eo modo quo fieri possit. Quod si in omnem vsum exteriorem virtutis felicitas seipsum commode, & pro omni occasione

ferte non posse, hoc coarctatio & laesio sanè felicitatis est: ut paulè antè dixit, non autem immutatio, & commotio. Quacunque igitur instantे aduersa fortuna, felicitas in sua essentia constans, & integra semper manet. Quippe quæ internis virtutum moralium actibus potissimum guadeat, & si visib⁹ externis exeratur, condecoretur, & pulchrior reddatur. Qui omnem bonitatem, & pulchritudinem, ab interna felicitatis pulchritudine, & bonitate sortiuntur: iuxta sententiam communem de bonitate actuum moralium. Quid vero felix iste in virtutibus, & earum operationibus integer maneat, hinc suadet. Quia magnas perferet aduersitates, non, inquit: quid eas non sentiat, sed quia generosus, & magnanimus est, eisdem nunquam consentiet: in quo miseria, & peccatum constituta esse, superius dixit. Perstat ergo stabilis felicitas, quibuscumque fortunæ incursum recepis. Item nullus artifex per amissionem suorum instrumentorum, quibus opera conficit, artem eiusù actiones, quibus in usum exiret, si instrumenta adessent, amittit: ergo nec felix suam felicitatem, quia fortuna in ipsum impetum fecerit, eius bona, & instrumenta deripiendo. Neque insuper honesta & elegans puella suam amittit venustatem, formęq; elegantiam, & pulchritudinem, si monilibus, & pretiosis omnibus ornamenti spoliatur: licet ita sit, quid ipsi priuata, decorum erga ciues integrum non maneat: perinde ergo felicitas suam pulchritudinem, & natum splendorem semper seruat, quamvis à piratis, fortunæ externis ornamentis, & pretiosis, quibus antea condecorata incellerat, spoliatur: & si decorum ipsum quantum ad ciuiles actiones suo modo laedatur. Præterea ipsa patientia, & tolerantia malorum, velut igne animus examinatus, ab omni fœce terrestrium bonorum defecatur, & purior redditur: atq; inde bonis spiritus magis auctus. Nam id quod sui ipsius cum externis bonis antea deciderat, totum iam sibi, & spiritualib⁹ bonis (examinatione, & probatione aduersę fortunę explorantibus) tribuit: quo tempore maximè bona anima ceteris

*Aduersa fortunæ anim⁹ hominis probatur.* pulchritudinem, & natum splendorem semper seruat, quamvis à piratis, fortunæ externis ornamentis, & pretiosis, quibus antea condecorata incellerat, spoliatur: & si decorum ipsum quantum ad ciuiles actiones suo modo laedatur. Præterea ipsa patientia, & tolerantia malorum, velut igne animus examinatus, ab omni fœce terrestrium bonorum defecatur, & purior redditur: atq; inde bonis spiritus magis auctus. Nam id quod sui ipsius cum externis bonis antea deciderat, totum iam sibi, & spiritualib⁹ bonis (examinatione, & probatione aduersę fortunę explorantibus) tribuit: quo tempore maximè bona anima ceteris

teris bonis imbalante constitutis propendere dignoscuntur. Quippe tum potissimum horum bonorum librato fit, quā do aduersa fortuna impetum in aliquem facit. Atq; tum temporis propterea quod communiter inertes, & desides homines illi spontanei succumbunt: mendacii arguuntur à domino, per prophetam dicentem: Mendaces filii hominum in stateris suis. Nam cūm spiritualia bona in ipsis præponde rare dicent, maioremq; animi partem, quām cetera bona occupare: reflante fortuna statim in mendacio deprehenduntur. Quæ maximè notanda sunt: pro intelligentia plurium locorum quibus de hac re in literis sanctis differitur. Ex quibus patet, quod si bona anima aduersa fortuna probante, maiora & auctiora redduntur: maximè tum temporis ut inquit Philosophus, felicitatem pellucere. Quare nulla ratione mutatur, neq; in essentia minuitur, quod intendebamus. Quo posito iam planum est, fortunæ mutationes non obesse, quin aliquis in vita felix dici possit: atq; de eo dicatur, quod inest. Siquidem haec quatuor per ordinem probauit. Primum, quod virtus, & eius operationes præsident felicitati & non fortuna. Deinde, quod ob id felicitas est maxime stabilis: & tertio loco, quod ad fortunæ quemcunque impetum pulcherrimè se habebit felix: & tandem, felicitatem ipsam fortuna aduersa minimè immutari, & essentialiter commoueri posse.

Quod si operationes vitæ dominæ sunt &c.

Primam rationem qua Solon nitebatur, Neminem invita ob mutationes fortunæ esse appellandum felicem, hactenus soluit, ipsam fortunam ab imperio, & dominio vita atque felicitatis relegando, nunc iam eam rationem soluit, quæ ad hoc inconueniens ducere conabatur, ut millies aliquis miser, & felix ex opposito diceretur. Quæ sanè è virginē videtur, quia & philosophus concessit, Aduersam fortunam felicitatem laedere posse, & si eam non immutare. Sed pro eius solutione hanc primùm statuit conclusionem. Qui felix est, felicitatem quām optimis actionibus erga ciues semel cōparavit, vt cung; calamitatibus, & aduersitatibus ipsum fortuna premat, nō pdit, nec propterea miser efficitur

efficitur: statimq; felicis nomē amittit. Quam sic probat, nā si non postrema contigerint infortunia, sed ea quæ vt im- plurimum accident, semper felix perstabit: & tali appellatiōne dignus censembitur. Etenim propter ea quodd vir pro- bus & prudens est, nunquam quippiam odiolum, aut prauum contra suum habitum aget: vnde neque efficietur miser. Miseria quippe non existente, in quam propter pecca- tum, & delictum solum incurritur: nunquam miser nomi- nabitur. Et pro facultatibus deinde quæ restant, semper pul- cherimè, & pro virtutum exigentia & opportunitatibus operabitur: per stabit igitur semper felix. Dux quippe optimus, inquit: optimi ducatus habitum non amittit, neq; no- tam aliquam in eo contrahit: si præsentibus utatur castris, atque eo modo, quem ars militaris in optimo duce requiri: & si non adsit ea copia militum, qua hostes superare, & vincere valeat, dummodo n. ita se gerat vt nihil eorum quæ ars imperatoria exigit, omittat, qualia sunt optimè dis- ponere exercitum, modum, & locum pugnæ, & similia, quæ ad victoriam conducunt, prouidere: semper dux optimus habetur. Neque rursus suam artem futor amittit, aut minuit, si copia optimarum pellium desit: quia optimi fu- toris tantum est, ex datis pellibus pulcherrimum confidere calceum. Eadem ergo opera nullo pacto felicitatem amittet, aut eam essentialiter minuet: quibona externa in magna, & ampla copia non habeat. Felici si quidem tantum incumbit, præsentibus bonis optimè vti: atque ex ipsis pulcherrima, & optima exercere opera, vnde si instrumen- ta maiori copia affluenter, plura & ampliora sanè effice- rentur: secundum exigentiam virtutum, & felicitatis qua- maximè gaudet. Perstabit igitur vir iste prudens sic à for- tunā lœsus adhuc felix. Quod si aduersa quæ contige- rent, postrema fuerint, vt si quis in Priami calamitates inciderit, hinc item nullo pacto efficietur miser. Aduer- sa quippe fortuna premi, non est aliquod delictum, aut flagitium committere: in quo solum miseria consistit. Qui igitur in bono rationis perseverat, neque à virtutis hone- state, nec villo(vt aiunt) recedit, miser profecto non erit: neque talis censembitur, aut dicetur: non tamen felicitate ciuili

civili(de qua sermo est) felix appellabitur. Hinc patet quod eum in huiusmodi postrema infortunia, quæ ultimum exitum parant: felix iste ciuilis inciderit, instrumentis o- mnibus care: quibus operationes liberè, & ingenuè in societate hominum, vt virtutes interne requirunt: exer- cere possit. Quibus sublati nullo pacto virtutum habi- tus exercere, aut depromere potest: quod necessarium est: iuxta ea quæ superius contra stoicos, & eos qui felicitatē in virtutibus constituebant, docuit. Nam sic necessa- riis orbatus, neque sibi neque familiæ neq; ceteris ratio- ne aliqua sibi coniunctis sufficiet: quod vna ex condi- tionibus quæ necessario felicitati in sunt, positum est. Quare talis nullo modo felix extrinsecus censembitur, aut dicetur: cum ciuilis felicitas non insit: eam quandoqui- dem non sentiunt, neque experiuntur, qui debuissent: vt parentes, vxor, liberi, cæteri q; affines, & socii, neque alii rursus eius splendorem, & lucem micantem cernent, aut eorum oculis clara, & perspicua subiicietur. Vt densio- tibus ergo tenebris circumfusus vir huiusmodi, felix non censembitur neque beatus dicetur. Sed contra hoc, argu- mentum vrgere videtur. Quia vir iste probus seruat ani- mum integrum sua dignitate, & magnitudine, sicut antea quam à fortuna pungeretur, aut extrinsecus dilaceraretur. Quare cum eius animus suis virtutibus præstet or- natus, ita vt pro opportunitatibus(quibus virtutes maxi- mè gaudent) in actus internos prorumpet, quando defec- tu instrumentorum extra prodire non dabitur, manebit ergo adhuc felix, talisque erit semper appellandus: fortu- nae oppressione non obstante. Quemadmodum perfe- ctiore felicitate felix ab Aristotele dicitur in. ro. libr. Sa- piens qui habitibus sapientiæ, & eius speculationibus orna- tus est. Vbi non est aliud, quæm perfectio, & animi quietus, & tranquillus status. Sed idem suo ordine, huic de quo dis- putamns, contingit: manebit ergo iste felix, talisq; appella- bitur. Premere sanè hoc argumentum videtur: sed lucu- lenter meo iudicio his duobus diluitur. Primum est, virtutum moralium actiones internas, animoq; latentes,

tunc

*Athus interior & exterior.  
Vnus mo-  
tus.*

tunc suam perfectionem naturalem, & sibi necessariò inesse debitam, consequi, quando propriis obiectis, tanquam propriis locis & finibus per operationem externam copulantur. Diximus enim suprà, obiecta loca quædam esse naturalia habitum, & inferiorum facultatum animæ: quare cum eam suis operationibus adipiscuntur, ut in proprio loco naturali conquietent: ibique perficiuntur, & rursus dictum est (atq; ex se est manifestum) actiones exteriores, latentium electionum, & actuum fines esse. Ut aperte in secundo libro philosophus docet, perficiuntur igitur prædictæ electiones, cum exercitio foras prodierint: atque obiectis in quæ naturaliter tendunt, coniungentur: iisdemq; ut finibus copulabuntur. Perficiuntur inquam, ea saltem perfectio ne, quæ ex obiecto actibus accedit: est enim ita natura constitutum: ut finis medium ad se ordinatum absoluat, & perficiat. Quocirca cum felicitas in virtutum operationibus absolutis, & perfectis consistat: planè sequitur prædictas operationes continuum motum quendam dicere, qui partim lateat, partim appareat, usque ad consequitionem, & adeptionem proprii obiecti. Vnde internæ electiones medio ipso itinere deficiunt: & quasi de fatigatae iacent: cum foras non exirent, quamobrem ne interruptionem hanc motus faciamus: quæ violentiam quandam incitationi animi, & spiritus, atque rei naturæ inferre videtur: continuò in sacris literis, bonis motibus, sanctisq; diuini spiritus illuminationibus, & inspirationibus admonemur. Quare cum externis operationibus vir iste probus tot calamitatibus oppressus, careat & si miser non sit: minimè tamen felix, & beatus erit. Secundo loco aduertendum est: eam differentiam, & discrimen existere inter moralium virtutum, & sapientiae actus internos, quod sapientiae actus & speculationes cum ad veritatis contemplationem, & indagationem ordinantur, sibi ipsis contentæ sunt. Nam ita suo fini copulantur, & suam naturalem perfectionem consequuntur: sed virtutum moralium actus interni, cum ad obiecta, extrinse cumq; exercitium suapte natura dirigantur: interim naturæ, & integra perfectione carent, quod extra non prodeunt, externisq; obiectis coniunguntur. Ex quibus cuiq; hæc consideranti

sideranti (quæ animo valde commendanda sunt) difficultatis clara, & perspicua solutio elicetur: concedendo nempe totum assumptum: & negando illationem, ex discrimine inter sapientem, & ciuem probum assignato. Vnde tantum infertur quod huiusmodi vir non est felix. Quod & philosophi conclusio afferit.

Neque etiam varius quidam erit, ac mutabilis &c.

Cum ex superiori textu hoc habeamus. Felicem ob nullum fortunæ impetum miserum effici: & si per extremum infortunium felicitatem atque felicis nomen amittere possit: hoc amplius examinando, rationem qua Solon insurge posset, hic producit. Atque, inquit: iam ex positis ad minus sequi, quod felix in vita varius & mutabilis erit, & si non efficiatur miser: si quidem nunc guadet felicis appellatione, nunc eam amittit, quod maximum inconveniens viderit. Huic igitur rationi occurrendo philosophus, inquit: quod neque hinc sequitur felicem varium, & mutabilem esse ut ante arguebatur, quod sic ostendit. Quoniam qui semel felix est nunquam ab eo statu, & appellatione dimouebitur, nisi multis, & variis, atque ingentibus infortuniis & calamitatibus, quæ postremum exitium parare videantur, cuius generis mala, rara in vita sunt, atq; extra communis vitæ cursum sic accumulata contingunt. Non ergo frequenter à felicitate, atq; felicis nomine cadet. Sed aduerte, quod quando hic dicitur: ob ingentia mala virum hunc probum à felicitate cadere, non intelligitur omnino: sed quantum ad splendorem, & micationem illam actionum externalium, quibus virtus moralis vim suam respiciendi foras exerit: iuxta ea quæ superius explicuimus. Atq; hoc pacto raro sanè à felicitate dilabetur. Vnde rursus est notandum. Quod si premendi, & laudandi de fatigata fortuna, iterum faciem conuerterit, bona sua cum viro isto felice decidēdo, propitiāq; se insinuando, non in parvo quidem tempore, sed magno & perfecto felicitatem secundū reparabit: nomenq; felicis resumet. Quare nō sèpe, & frequenter felix varius erit, nūc felix apprendo, & iterum felicitatem felicisq; nomē amitto:

R tendo:

# IN PRIMVM ETHIC. ARIST.

tendo: quod reptita Solonis videbatur intendere. Assumptum tamen ex eo primis patet, quod interstitium hoc temporis sub silentio actum, quod felicitatis casu pressus vir probus iste est: magnitudine, & claritate sequentis obrui, & obsecrari penitus debet: quapropter necessario magnum, & perfectum erit, ut excellentia, & ciuium actionum frequentia omnino illustrari queat. Ira sane ut huic rei praestanda residuum vita tempus vix forsan sufficiat: quare non varius, & mutabilis hac re, ipsa continuo erit. Deinde, quod hęc perfectio & absolutionem temporis requiratur, ad felicitatem, eo modo quod dictum est, iterum resumendam: sic patet. *Quoniam praeceps otio & silentio virtutes morales obtulit, & quodammodo hebetes, defectu exercitationis factae sunt: ut ergo propriorum obiectorum exercitio, veluti cote acuantur, magnisq; & plurimis actionibus, clarisq; facinoribus exerantur, aliisq; manifestentur: magnum, & perfectum tempus proculdubio requiritur. Quippe quod virtutes occasionibus, & opportunitatibus gaudeant: quae non semper offeruntur: ut maximè præclaras, & splendidas res quis pro re publica, & suis ciuibus exerceat, quod necessarium est: ut magna varietate, & ciuium actionum frequentia exigente, felicitatem alicui ciaes inesse sentiant, & iudicent, erit igitur magnum tempus hoc resumendum felicitatis. Siquidem tantum esse oporteat, quantum requisitum est & sufficiens, ad prædicta munera præstanda. Quod tempus perfectum & integrum philosophus appellat. Atque hac ratione hic interpretari videtur ultimam partem definitionis posuisse, inuita perfecta, id est tempore integro & perfecto, quod ad tot, & tantas operationes ciuiles ex virtute exercendas sufficiat, ut sufficienter vitam absolutam, felicem, & perfectam prædictas operationes indicare valeant. Quod si hoc sit, nunquam ea varia, & frequens mutatio felici contingit, quam dicebat Solon. Sua ergo ratione non obstante inuita felix appellari poterit.*

*Quid igitur quodminus cum felicem dicamus &c.*

*Concludit hoc loco philosophus cum, qui ex virtute dicto modo*

# COMMENT. CAP. XI.

130

modo operatur, bonisq; extenis abunde fuerit strutus, atque non in quoquis tempore sed perfecta, ut sufficienter suam deponat felicitatem: optimo iure felicem posse appellari: non obstante quod antea beatitudine priuatus iacuerit. Nam ei, inquit: competit felicitatis definitio posita: cum vita perfecta secundum rationem operetur. Vbi per vitam perfectam debitum tempus, & perfectum ad bonorum externerum usum erga ciues, virtutesq; ingenuè exercendas explicare videtur. Ita ut vita perfecta non dicat extensionem usq; ad finem vitæ, sed id tempus quo felicitatis officia quis in societate hominum sufficienter exercere possit, ut inde felicis appellationem nanciscatur. Quod sane non obiat iis quae cap. 7. dicta sunt, circa huius particulæ explicationem. Nam ibi quid felicitas essentialiter exigat, & quantopere miseria fugiat, explicuimus: nunc vero quid eius emicatio & splendor apud ciues quantum ad eius appellationem, & vim respiciendi foras, ut propria nominatione digna contetur, & aliquis felix appelletur, philosophus ducit: & nos secundum eum exponimus. Ad quod, statutum tempus definit: & non integrum spatium vite: quod felicitas exigit, ut amiseria maneat libera.

*An addendum est &c.*

*Quia forsan negaret Solon virum istum, cui aliquo tempore impedita est felicitas, & felicis nomen interdicendum, ite tum resumptis viribus, & fortunis felicem posse appellari. Felicitatis definitionem ut ipsa conuincantur, adducit, sufficiens:*

*An addendum est? &c.*

*Quasi diceret, vel non concedis integrę traditam esse definitionem, sed addendum esse quod tam gratis assiris (ut probatum est) quod ita est victurus, & secundum rationem vita defuncturus seu moriturus? quia futurum nobis incertum est: & felicitas quid firmum, & stabile ponatur. Et quod haec sit mens philosophi, neque intelligendus sit locus hęc, ita ut sit interpretatio illius quod dixerat in tempore perfecto: ea ratione ut idem sit dicere in tempore perfecto secundum rationem vivere, quod illud ita videtur & moriturus: ve*

R. 2 omnes

## IN PRIMVM ETHIC. ARIST.

omnes sequentes eustratum interpretantur, hinc manifestum est. Quoniam alii sibi philosophus repugnaret, atque finem virtutis expectandum censeret: ut aliquis felix appellaretur, cuius oppositum hactenus probauit. Et formaliter statim subiicit: viuentes felices esse nuncupando assrendo. Quare legitimam existimo huius loci interpretationem quā adduximus. Secundum quam statim infert: ex viuentibus eos quibus ea, quæ prædicta sunt inerunt, nihil prohibera quodminus felices appellantur: felices tamen, inquit: ut homines. Quia enim possum est felicitatem, ex communi omnium consensu quid firmum, & stabile esse debere, subdit: quod ex stabilitate, & firmitate in felicitate requirienda est, quæ homini contingere potest: qui continuis mutationibus fortunæ subiectus est, continuoq; corporis fluxu latitur. Et non ea quam petebat Solon, quam omnino immutabilem exigebat, ut aliqui felices appellarentur. Quod excludit dicendo: hanc omnitudinem immutabilitatem propriam esse angelorum, substantiarumq; separatarum, que simplices sunt substantiaz nullis mutationibus fortunæ obnoxiae. In quo deceptus fuit ipse Solon: quare nullum in vita felicem voluit appellare. Quibus tota sententia capitis perspicua manet. Sed ut veritas tandem elucescat, aduertendum est: quod nec inuita ut Aristoteles dicit, neq; post mortem ea ratione qua Solon censuit, hominem felicem esse appellandum. Quoniam omnes his titulis gloriosis nitebantur: qui humani fastus & arrogatio inventiones existunt: qui à corde christiano penitus est excutiendus, ut maximè vitæ christianæ contrarius. Nam superbia hæc, & animi inflatione insolenter omnia sibi bona arrogat, atque in primis se autorem & causam omnium secundarum rerum assertit. Vnde & quemcunq; fortunæ impetum, prauorumq; hominum incursus propriis viribus vincere, & superare posse, illisq; dominari, & proprio imperio, & robore valere compescere, continuo lactat. Ac deniq; ad culmen fastigiumq; virtutum omnium sua dignitate, & magnitudine ascendere posse, ibi q; propriam solium ponere, vento sancte subnixa, absq; dei optimi maximiq; gratia & auxilio, impiæ & arrogantes gloriantur. Vnde virtutum coronam, & lauream philosophi,

*Superbia  
ingenii.*

sibi

## COMMENT. CAP. XI.

sibi vendicare, gloriari, hæc, & similes felicitatis eius sibi ipsæ tanquam totius virtutis, & boni, quæ ciuitatis contingence, propria autoribus determinabantur. Quippe omnia que immaterialē recessimus, & cursus in bonis animis perseverantia (deus ipsum omnium bonorum auctor, & parentem quasi harum resum intemorem excludentes) nos felices non sanè quoniam à deo adiuuatissime, sed quod generosi, magnanimi, & viri quadrati essent, praesertim postea constantes affirmitabane. Est namq; superbia, vitium omnium impudentissimum: & quod cum ipso omni potenti domino vestigia sui patris diaboli insequens, & qualiter concendi audiret. Quare maximè fugiendum est. Atq; confidetur: quod quanto altius cristas erigit, magis iusti: bene suis felicis pollicetur, tanto in profundiore male, & supplicia demergit, atque deturbet. Vnde & benignitas magister, christus redemptor noster omnem ei filium, & sarcasmas nos omnes usq; effugere docuit: cum aliquando dixit: Cum feceris omnia, quæ debuisti fratre, dicere: ferri iuxiles sumus quæ debuimus facere fecimus. Et iterum specialiter has philosophorum inflationes amplissimosq; felicitatis, & beatitudinis titulos, & ultimas salutationes quasi in omni bono iam firmati esse, apud hibos euulgatoribus euangeli: cum ad suas functiones mittentes, dixit: Neminem in via salutis nisi. Nam præter hoc quod strictorem, & familiarem consuetudinem cum aliis probabuit, qua euulgandi euangeli negotiorum sic retardari, & impediri posset: quod ad ipsorum vita instructionem spectat. Procul dubio quantum ad instructionem eorum ad quæ eruntianda mittebantur, ut neminem sua salutis persistenti vita certum facerent, ut iam felicitatis, & beatitudinis nuncupationibus fungi se posse existimaret, ad quas assuntendas vehementer gentes propensa erant: coelitis ille spiritus instruxit. Coeli sicutur hac doctrina nos edocti viros virtutum cultores non felices aut beatos, quæ ultima salutatio est, ac quæ illi tantum qui in coeli patria deo ipso potuerint possent, appellabitur, ne sed probos viros, & studiosos. Appue tales orationes fieri, predicta virtutum opera se, quædam: quæ ratione ducere, hoc libro explicantur: ut ad

R 3 prestanta

## IN PRIMVM ETHIC. ARIST.

præstanda diuinitum auxilium, & præsidium assiduè implorando, quod nostra vires corroboret, atque ita, det velle, & perficere bonum pro bona sua voluntate, totis viribus procurandum erit. Ut vel hac ratione quibus philosophi bonis abusi fuerunt, eos spoliantes, deo optimo maximo cum ipsis gratia, & favore tandem placere valeamus. Sed quoniam diximus appellatioes has felicitatis, & beatitudinis, aut felicium hominum in hac vita diuino elogio prohiberi: cum in sacris literis viri iusti sepe beati appellantur, est ad vertendum: q; non ita nuncupantur, ve his appellationibus gaudere debeat, aut quod tales sint, sed quod si in eo generere vitæ permanescint, tales futuri euident. Quemadmodum arbor illa in Paradiso lignum scientiæ boni, & mali appellatur, antequam homo transgressione cognosceret, quid inter bonum quod amisit interesset & malum quod commisit, vt, inquit: diuus Augustinus. Et Iudas insuper in initio ferè suæ vocationis proditor vocatur, non sanè id quod esset: sed quod certò futurus erat. Cuius rei innumerata in sacris literis sunt exempla atq; de his hactenus.

## CAPVT V N D E C I M V M .



Ed de his quidem hactenus definitum sit. Fortunas vero posterorum atque amicorum omnium dicere nihil conferre, lögè esse ab amicitia alienum, quinetiam opinionibus cōtrarium videtur. Cum tamen multa sint ea quæ eueniunt, variasq; habeant differentias: & alia magis, alia minus pertineant: sigillatim omnia distinguere prolixum atque infinitū videtur: si au-

tcm

## COMMENT. CAP. XI. 132

tēm vniuersaliter ac figura dixerimus, satis fortasse erit. Si videlicet quemadmodum, & ex eius calamitatibus, aliæ pondus, ac momē tum quoddam ad vitam afferunt, aliæ leuiores videntur: sic quoque ea, quæ amicis similiiter omnibus accident. In singulis verò calamitatibus differentia ea est, viuētibus ne, an mortuis contingant. Quæ sanè multò maior est, quam si nefariæ res ac diræ in Tragœdijs præexistant, an agantur. Magis autem fortasse dubitandum de vita defunctis, an boni aliquius vel contrarij possint esse participes. Videtur enim ex his etiam si pertingat ad ipsos quippiam, siue bonum siue contrarium: exille quoddam ac paruum id esse, vel absolutè & simpliciter, vel ipsis. Sin minus, tamē saltem ac tale: vt neque felices eos, qui nō sunt, facere: neque eos, qui sunt, priuare felicitate possit. Conferre igitur quid defunctis prospici amicorum successus videntur: simili modo etiam infortunia: ita tamē ac tantum, vt neque felices reddere infelices, neque quippiam tale efficere valeant.

Postquam in superiori capite de felicibus ipsis latius disputavit, vbi qua ratione vir prudens contra fortunæ impetus se præmunire debeat, quidq; contra virtutem fortuna possit, & quam tandem mutationem ab ipsa recipiat;

R 4 luculeh-

luculēter explicuit: in hoc capite questionem eam superius intermissam, posteriorum ne fortunæ ad defunctos ita pertineat, vt eorum felicitatem augere, aut imminuere possint, restat discutiendum: cùm vt huius questionis definitionem quam supra pollicitus est, exhibeat: tum vt de stabilitate, & & firmitudine felicitatis disputatio sufficienter absoluatur. Vnde cōtinuando literā, inquit: q̄ postquam de stabilitate, mutatione felicitatis quantum ad ea, quæ ipsiſmet felicibus, ac iſdem ſentientibus, poſſunt contingere ſatis diffinitū eſt, reliquum eſt diſcernere, ſi ex mutationib⁹ amicorum, & posteriorum ſecunda & aduersa fortuna felices defuncti: & qui poſtrema luce in beato ſtatu diſcererunt, mutationē ali quam, quæ eos augeat, aut à felicitate deturberet, recipere poſſint. Quæ queſtio celebris ſatis apud antiquos philoſophos habita eſt: vt videre eſt apud Platonem in ea oratione funebri, quam Alſasia doctifima foemina hauiit, cuius etiam ſuſpranon nullam fecimus mentionem. Propoſita ergo queſtione hunc ordinem ſeruat, quod primū, quid in ea certū fit, ſtatuit: deinde quomodo ad eos pertineant aduersa, aut proſpera, quæ posteris contingunt (in quo maior difficultas eſt) diſſerit. Primo ergo loco hanc concludiſem poni: for tunę posteriorum & amicorum aliqua ratione ad defunctos pertinent. Quam quia vt notiſſimam ſupponit, leuiter, & facile probat. Primū quia contrarium aſſerere à legibus amicitiæ longe videtur alienum. Leges quippe amicitiæ (quæ vinculum quoddam naturale eſt) id poſtulant, vt mutuo ſe cundarum, & aduersarum rerum amici particeps fiant, ita vt gaudia, ſimul & luctus iſpīſ ſint communes, ad quod na tura iſpīſ humana homines inclinare videtur, quandoquidē ſociales maxime ſint, vt aliorum caſus doleant, & proſperos etiam ſuccesſus gaudeant, & gratulēter. Quare ſtrictius hoc quidem munus exigit iſpīſ amicitia. Felices igitur mortuos cum posteris amicis nullam communionem habere (qui, ſi dum viuerent, eam non haberent: maculam, & notam ma ximam incurriſſent) longe eſt ab amicitiæ alienum. Præterea inquit, idest opinionib⁹ omnium maxime cōtrarium, quibus aſſeritur amicorum omnia communia eſſe: ſiue bona, ſiue mala ſint. Cū autē defuncti ob id, q̄ luce hac orbati ſint, à legi-

legibus amicitiæ & propinquitat⁹ nō debeat alieni cōſeri, a runt igitur & iſpīſ communes posteriorum caſus, & fortunę. Quum rame multa ſint ea, quæ eueniūt. &c.

Hoc loco ad definitionem ſecundi, in quo maior difficultas poſta videtur, philoſophus ſe preeparat, aſſeritq; q̄ cū ea, quæ posteris & amicis in vita contingere poſſunt, multa ac varia ſint, magnitudineq; & breuitate diſferant, non oportere omnia hic recenſere, ac de ſingulis quam communionē cum defunctis haſere poſſint, ſtaruere: ſed ſufficiet (inquit) vniuersaliter & figura quadam, id est implice & ſub toto vniuersali de ſingulis diſſinire. Quo poſito ſecundam ſtatuit concludiſem. Non omnia posteriorum, ſed ea tātum, quæ magni ponderis & momenti ſunt, ad defunctos poſtulent. Quā ſic probat. in iſpīſ met felice, qui fortunę caſus, & proſperitates in ſe recipit, non omnia, quæ contingunt, viṭe mo mentum, & mutationem faciunt (vt ſupra oſtentum eſt) ſed ea tantum, quæ magna & grauia ſunt, imd cetera vt inſenſibilia fermē iudicantur: maiori ergo cum tatione iſpīſ deſuncto, qui extra corpus eſt, parua nihil erunt iſpīorum amicorum, aut posteriorum: ſed ea ſolūt quæ maximē in excellētia conſigerint: manet igitur vera concludiſem poſita, vt ad defunctos, quæ magni ponderis ſunt, aliqua ratione pertineat, leuia quidem ab iſpīſ ne conſiderenſur quidem.

In ſingulis vero calamitatibus diſſerentia ea eſt. &c.

Explicat iam modum, quo haec magna, quæ dixit, ad defunctos poſtulent, atque tertiam concludiſem ſtatuit, multo leuius, longeq; diſſerentius, caſus & fortunę amicorum, & posteriorum felici deſuncto accedunt, quātū dum viueret, preeſentiq; aura frueretur. quam hoc ſimili manifestat. Perinde ſe haſent ad proſpera, & aduersa posteriorum, & amicorum felices dum viuunt, & poſtquā vita excesserint, ſicut in theatro ſpectatores ad ea atrocia & horrenda, quæ imitātur, anteā vero re iſpīa preexiterunt, & geſta fuerūt, vel ad ea, quæ cū imitātur, gerūtur, ſimul & re iſpīa contingūt: ſed ſpectatores hoç ſecundo genere imitationis, multo magis per-

Hominū  
vita co -  
media i -  
mitatio.

mouentur, & irritantur, quām priori, vbi solum imitatio & repræsentatio est: ergo felices viuentes multo magis permouetur amicorū, & posteriorum rebus (quia tunc realiter contingunt) q̄ his, quæ postquā humanum habitum iidem exuti sunt, eveniunt: habent enim se sicut spectatores primi generis, qui leuius excitantur: minus ergo felices mortui fortunis & infortuniis suorum tanguntur, quām iidem, dum viuerent. Pro cuius rationis maiori explicatione duo animaduertēda sunt: primum q̄ visus est exemplo Tragœdij seu comœdij, quæ agitur: quia antiquum est apud Platonem vitam humanam cuiusdam actionis sive representationis instar & similitudinem habere. Vnde mundum hunc theatrū quoddam esse asserit, in quo homines diuersa imitantur, & repræsentent, prout cuiq; lōgum, aut breue huius, aut illius generis dictum, & enuntiatum commissum est. Spectatores autem facit Deum immortalem optimum, maximum, angelos item & mortuos omnes, quos felices illi appellabāt. Plato namq; (vt patet ex vndecimo Dialogo de legibus) asserit post discessum à corporibus animas sentire, vivere, atque vi gēre, atque id longe antiquissima fama acceptum esse, atque rerū humanarū ipsas curā habere, secundū quod diues ille euangelicus suorū frarrum curam habere indicavit, iuxta ea quæ de eorum vita in discessu cognoverat, cùm obnixē ab Abraham peteret, vt ipsis doctorein aliquē mitteret ex mortuis, ne & ipsis in eundem locum tormentorum veniret. Ponabantur igitur à Platone mortui prædictæ fabulæ etiā spectatores, atq; earum rerum contemplatores, quæ ad se attinerēt. Quod exemplum desum p̄fisse antiquos existimo ex sapiente Ecclesiastes primo, vbi plane sub actione, & cuiusdam comœdij representatione tota hęc vita inducitur. Secundū est etiam adnotandum, q̄ simul h̄c probando suam conclusionem, adducto exemplo eam rationem soluit, quā supra arguendo contra Solonem posuerat: vbi visus est respectu eorum, quæ posteris contingunt, defunctum cōferre cum homine viuo, cuius posteris aduersa contingent: eam (inquam) soluit, quia & si huiusmodi res ad defunctos pertinet, multo tamen minus, & leuius, vt dictū est. Vnde mirabilis breuitate magna, & notatu digna h̄c est amplexus.

Magis

## Magis autem fortasse dubitandum. &amp;c.

Cūm statuerit posteriorum res ad defunctos pertinere, leuitat tamen, vt atrociora, quæ in tragœdia aliqua solum imitantur, & repræsentantur ad spectatores: idem adhuc innuēs inquit, adeò leue id esse, vt magis conueniens sit dubitare, & considerare, an defuncti aliquo modo horū sint participes, quām affirmatiue asserere huiusmodi res ad eos conferre. Sed perstando in cōclusione immediate anteposita inquit: h̄c ad eos conferre, ita tamen leuiter vt illud in se minimū sit, & exile, vel saltem ipsis defunctis, licet in se esset magnū: vt patet ex iis, quæ dixit, id est ex exemplo adducto de imitatione tragœdij, in quo explicatum est, quām minimū id sit, quod ad defunctos pertingit.

## Sin minus,

Inquit, id est, si aliquis contendet non ita leue & exile esse, vt dictum est: subdit, q̄ quantum canq; illud sit, absque omni dubio illud non potest tantum esse, vt si sit bonum, miseros valeat felices efficere, neque si malum tantum, vt à sua felicitate, & beatitudine felices possit deturbare, neq; quoquā pacto eam augere, aut commouere. Quibus patet tota sententia capitīs, qua continentur defunctos ita extra foreunę lū dum positos esse, vt eorum felicitas nullo pacto ipsis subiciatur, quod in dubium erat revocatum.

Circa quem textum obiter, & quantum ad disputationē præsentem solum spectat, quid de animorum immortalitate philosophus senserit, in medium libuit producere. Nam cūm ex hoc loco ad eam rem firmandam apertissima adducantur testimonia, & alia loca ab Aristotelis expositoribus diligēter discussa sint, nescio, qua ratione is prætermisssus sit. De hac ergo re connectetur disputatione, cūm q̄ subiecta rei limites omnino non prætergrediatur: quinimo hoc explatum habere doctrina hęc morum summopere desideretur: tum vt quæ ab aliis prætermissa sunt, in medium proferatur, ne debito honore & nitore diutius eadem orbara faceat. Ex litera ergo huius capitīs hęc conclusio clare elicetur, animos humanos immortales esse, atque post huius vitę exitū macte, per seq̄; subsisteret. Quæ primū ex controversia ipsa mo

*Animos  
immorta  
les esse.*

ta

ta, firma videtur. Nam qui in dubium vocat, an posteriorum fortunæ ad ipsos defunctos ita pertineant, ut eorum felicitatem augere, aut imminuere valeant? mortuos ipsos durare adhuc, & persistere proculdubio supponit. Alias em̄ quæstio futilis omnino & vana esset. Existunt igitur post mortem defuncti, non tamen secundum corpus quia id morte solutum est: restat igitur secundum animam. Ex sententia ergo Aristotelis hominum animi à legibus mortis cum corpore ipso, eiūdemq; mortis iurisdictione excepti penitus, & liberi manent. At sunt quidam, qui hanc rationem enervare concertur afférentes, quæstionem propositam intellectu suum habere in opinione, atq; communi hominum estimatione tantum. Itaq; lensus erit, vtrum bona, aut mala posteriorum defunctorum felicitatem augeant, aut minuant, nō in se, sed prout in hominum opinione, & existimatione vigere videtur. Quapropter inquiunt: ex argumēto posito tantum colligi, post psoficationem à corpōbus in memoriis hominū defunctos viuerē, non autem in scipsis, vt intendit argumentum. Sed quodd̄ hęc ratio nullius momenti sit, sed mera fidio potius, quam negationi solutio, hinc cōstat: q̄i qui hoc affirmant, falsum crimen philosopho apertissimè inurunt. Quippe statim sequitur in fama, & gloria, atq; hominū opinione felicitatem ipsum afferuisse, atque omnino ab ea dependere: quo ab eius mente nihil alienius excogitari potest, cū superius vehementer eos impugnauerit, & grauius reprehenderit, qui in honore, aut fama hominum felicitatem & beatitudinem constituisserint, vt visum est capite quinto, & rursus in septimo, & etiam in sequentibus apertissimè operationem virtutis felicitatē afferuit, & defendit: id tantum abeft, vt felicitatem in honore, & clara hominum opinione esse censeat, q̄ planè in quarto libro omnes actiones, quę ob honorem, aut magnas laudationes, claramq; in memoriis hominum notitiā exerceantur (ceteris omnibus congreue out rationē se habentibus) à ratione officii, & felicitatis ob id ipsum solum penitus excludit. Non ergo propter hoc, quodd̄ aliqui in memoria hominum quoquā pacto splendebant, aut viuere videantur, eorum felicitas augetur, neque contrariò minuitur: siue inter viros agant, siue rebus huma-

nis exempti fuerint. Vniuocē siquidē, eodemq; tenore nūc de felicitate, eiusq; auctiōne ac diminutiōe habetur sermo, quo antea: at supra operationibus tantum virtutum eam locupletari: & condecorari docuit, & earum item cessatione solum cōmaculari: inaniter ergo nunc quereret, si per hoc q̄ eorum memoria claris posteriorū rebus illustraretur, aut contrariis, & abiectis offuscaretur, in mortuorum felicitas sic mutationem acciperet. Quæstio igitur est, si obscuris aut claris posteriorum rebus qui felices vita cesserunt, earūdem rerum cognitione, & apprehensione eorum status augeatur, aut obscuretur. At, quod appetit ex opposito sequatur in honore, & fama felicitatem philosophum constituere, omninoq; ab ea dependēre, manifestissimè patet: cū ab obscura & clara viuentium notitia defunctorum felicitatem omnino pendere sic assereret. Manet igitur ad conclusionem positam firmum & constans argumentum. Idem secundò ex disciōne quæstionis planè eruitur. Nam huius comœdia siue representationis, quæ vita hominum agitur felices defunctos cū Deo optimo maximo, omnibusq; angelis (quos philosophi Deos appellabant) spectatores atque speculatorēs facit: existunt igitur: operari siquidem esse supponit, ab eoq; oritur, & manat. Nam absurdū sanè esset, intellectusq; implicatiuum: posterius alicui concedere, id autem, quod prius est, & à quo hoc, essentialiter dependet, denegare. Si igitur felices, postquam corpore exuti sunt, huius vitæ ut coœdia cuiusdam ac fabulæ (vt philosophorum verbis utar) spectatores existunt: aperte sequitur eos esse, atq; oculis mentis, quæ inferius hic aguntur, & representantur, cernere: ac inde prospicere. Quo apertè satis manifestat tempus id, quo omnino liberè speculatio, seu intellectio homini cōueniat: quam propriam animæ operationem primo libro de anima constituit: vt latius infra patebit. Quod vt ab omnibus concessum præsenti loco supponit. Præterea tertidū idem cōstat ex eo, quod in calce capitū attenuādo (vt diximus) id, quod ex fortunis, & infortuniis viuētiū defunctis accedere potest, dubitat sub his verbis: an cuiuspiam boni aut mali viuētiū, defuncti sint participes? Quod dubiū soluit affirmando talium rerum participes esse mortuos (vt immediatè an-

te cōstituerat.) Nam particula illa, si, quis hoc loet, vtitur, ad peculiaē philosophi phrasim spectat: inquit tamē id, quod ad ipsos defunctos perueniat, aut pertingat bonum siue malum sive exile quidem & paruum esse. Rogo igitur iam, quis adeò xpcors, & ab humano sermone, menteq; alienus esset, qui hunc loquendi modum admitteret: aliquem alicuius boni, aut mali participem esse, partemq; illius sentire, ita ut bonus, aut malum, quod postetis accidat, ad ipsum pertingat, & perueniat: per hoc, q; huius memoria apud alios splēdeat aut obscura iacteat huiusmodi bonorum, aut malorum accessione? Certè nemo. Nam nullis aliis verbis aptius quenquam re ipsa tangi & affici exprimere possumus (verbi gratia) Petrum, quam asserendo huius boni, aut calamitatis ipsum esse participem, atque huiusmodi bonum & malum ad ipsum peruenire & pertingere: præsertim q; pronomen ipsum ethicasim dicit: huiusmodi autem locutionibus hoc loco philosophus est ysus: planè igitur sentit re ipsa bonis, & malis viuentium defunctos tangi, ac post mortem proinde extare, & permanere. Accedit præterea (quod paulo inferius subdit) quantumcunq; id sit, quod ad defunctos perueniat, siue bonum, siue malum; non tantum id esse, vt eorum statū immutare valeat, beatos ipsos efficiendo, aut miseros. Qui autem statuit neq; viuentium fortunas secundas, neque aduersas mortuorum statum mutare posse, pleno ore fatetur: imo vt indubitatum supponit eos quoquain pacto vere & realiter huiusmodi prosperis, & aduersis viuentium fortunis affici: persistat igitur ex mente philosophi post exitum à corporibus humanis animę. Eandem etiam sententiam lib. economicum. 2. cap. 4. asserit. Vbi postquam virum & uxore eam curam domus debere habere admōnuit, vt seipso studio, & diligentia superare studeant, inquit: Qui superauerit maximum præmiū à diis consequitur: vt Pindarus ait. Dulce enim sibi cor. & spes mortalium multiplicem alit voluptatem. Quo loco duo consideranda veniunt: alterum quod in senecta constitutus maximum præmium sibiē vixetit, à Deo consequitur & loquitur sane de præmio alterius vite: nam quod maximum præmium hic consequi à Deo is possit, cūm propter debilitatem senectus, & quis morti pro-

plinque est, vitam atiectam & praesentis exitu acutius inspiciens, sollicitudinibus & timoris plenus sit. Loquitur ergo de premio, futura vita accipiendo. Alterum est, quod in praetate sententiae confirmationem Pindari dictum adducit, qui praecepit animorum immortalitatis assertori extitit. Quod obrem vitam quam sanctissime agere monebat ut Aristoteles presenti loco, eius doctrinā sequendō. Quod primò constare poterit ex Platone in Menone, ubi Pindarum immortalitatis animofūm autorem cum aliis producit: deinde in Diálogo primo de repub. ubi inductam sententiam Pindari exponit, dicendo: quicunq; videlicet iuste sancteq; vita exigit, dulcis & iucunda spes etim comitatur; cor nutrione secundutemq; fouens, quia maximē hominum volubilem, gubernat animum. Benē igitur & apprimē mirandū dicit. Hec Plato. Ex quibus omnibus conclusio posita satis apertè colligitur. Quam etiam sententiam apertè protulit in libro de mundo ad Alexandrum, ubi quā futuræ felicitatis participes esse volunt, hīc alumnos esse iustitiae oportere admonet, ut supra latius produximus. Quod si felicitatem futuram asserrit, necessario etiam & eos existere: qui ea donandi sunt. Marent igitur post mortem rationales animi, ut postum est. Atque insuper cum hæc sententia expressa sit Platonis ferme omnibus suis Dialogis (ut supra etiam retulimus) & omnium etiam antiquorum, apertissimum argumentum est, si dō Aristotelem sensisse. Nam cùm semper quod aliquā se se offerat occasio, Platonem impugnare nunquam cesset, in re adēb graui, & in qua tam apertè Plato loquutus est, si aliud Aristoteles sensisset, ipsum laceſſere sanè non desiuisset. Sed forsitan aliqui huic sententiae semper repugnabunt, fidemq; adhibere semper renuent, quia expressam hanc Aristotelis sententiam nō legerint, animi hominum immortales sunt: qui in septimo libro huius operis sic disputantem audiant, oportet: qui locus nescio qua ratione hactenus ferme delituit: Vnde, inquit: est quod nulla res nos semper delectat, ex eo nimirum, ait, quia non est simplex nostra natura, sed inest & aliiquid aliud, quo corruptibiles sumus. Hæc sunt Philosophi verba, quibus plane dicit in nostra natura aliquid aliud esse, quo corruptibles sumus, nec ipse corpus. Nostra ergo

*Iucunda  
spes sene  
tutis op-  
timam nu-  
trix.*

ergo natura immortalis, & incorruptibilis existit. Ea autem est nostra natus, ut in decimo libro ex professo disputatur. Quod loco docet: secundum quod Plato in Alcibiade deficerat, haminem tantum animum ipsum esse, neq; corpus, neque totum compositum, imo sententiam hanc corrigendo, asserit: id quod verè homo est, esse animum humanū, ac proinde curare ipsum summopere oportere. Manet igitur indubitate hæc philosophi sententia.

Atque rursus huius rei confirmationem ex hac doctrina motum summum ducitur argumentum. Nam cū virtutem humanam hæc facultas componere, eiusq; integritati, & perfectioni prospicere studeat, vehementem quandam cogitationem, animiq; considerationem, vt debito fructu nō careat (qui exercitatione paratur) exigere videtur. Vehementē aut hæc cogitatio & consideratio absque reflexione, & motu in seipsum recurrenti, ac eiusdem animæ in seipsum, atq; in virtutis præceptiones (quæ humanæ vitæ leges firmissime sunt) vt opere eadem præstentur, existere non valet. Huius autem generis motus, ita proprius ipsius animi est, vt corporis functione nullo modo indigeat, imo quod, corpus ipsum obstatculo & impedimento sit, vt dicta operatio quam optimè fiat.

*Quando intellectus ex actione alteri aliisque cognoscatur.*

Est namq; peculiare humani animi in orbem se gyrandi res, quas semel apprehendit, perfectè, & exacte cognoscere. Quare sensus ob id, quod corporeus, & materialis est, huiusmodi motum & reflexionem facere non valet, neque se ipsum cognoscere: vt apud omnes in confessio est. Quod dū si humanus animus se ipsum cognoscere potest, motusq; reflexionis, atque in seipsum circumuerteretis est capax: euidenti id nobis argumento est, talem operationem ipsi animo eo contingere, q; incorporeus atque immaterialis sit: ac proinde ita propriam animi considerationem esse, vt ad suū exercitium corporis functione, & ministerio minimè ipse indigere videatur: imo visque adeo ad talem operationem ipsum corpus fugere, vt eius pondus, & ineptitudo quā maximo illi impedimento sit. Est igitur huiusmodi operatio propria ipsius animi, ex quo tandem positam cōclusionem deducemus. Sed interūn alio medio assumptum probatur. Negotio & vnu cōsiderationis, atq; p̄fati reflexiū matus, animus

animus hominis vniuersas scientias negotiatur, adquirit, & parat, atq; earū perfections adipiscitur: per hoc enim quod intellectus circa id, quod semel apprehendit, circumueretur, pluriesq; eum motū revoluit, purius magis semper veritatem assequitur, nouamq; rei cognitionem tali opera venatur, & in aliarum insuper rerum adiacentium veluti per antegressiones quasdam, cognitionem facile decurrit, atq; scientiam veram & perfectam ea ratione parat. Id autē, circa quod huiusmodi consideratio & scientia sic acquisita versatur, quid intelligibile ab omni materia, seceq; corporis secretum, & defecatum est: ergo & scientia, siue actus iste reflexus, quo animus in huiusmodi obiectum fertur, à corpore expeditus erit: ita, vt ex vi propria pro illo tunc, corporeā mole excutiat, atq; suapte naturā corporis ministerio minime indigeat. Nam rationē & qualitatem obiecti semper vti proptiam differentiam, per quam in specie reponitur, actus sequitur: vt mensurabile mensuram ipsam, qua eius perfectio taxāda venit. Indicat præterea p̄fatus actus, quādā animi in se ipso libertatem, qua se à corpore, eiusq; affectibus subducit, & quasi quicquam aliud ipsiusmet imperio, & dominio parens, quod corporis variis negotiis, diuersisq; functionibus sit impeditum & occupatum, ac veluti in regione, & loco corporeo agens, cuius mole & gravitas constringatur: sed dico: in seipsum conuertit, in locumq; & regionem spiritalem erigit, sursumq; attollit: quod quasi à loco corporeo & materiali ad incorporeum & spiritalem videtur commigrare. Diximus enim supra obiecta, circa quæ animæ facultates, & ipse animus versentur: veluti loca naturalia, quibus cōquiescant, gaudeat, & oblectentur, existere: atque cū varia, & diuersa loca varia & diuersa postulēt locata, hinc probè dictum est animum, cū semper idem, & vbiq; sui similis sit: quando corporis operationes & mura exercet, quasi aliud, & diuersum à se ipso estimari. Quia ratione motus Plato eleganter aliquando protulit, humanū numerū animum numerum seipsum mouentem existere: ipsum nē- seipsum peanimum quasi aliud, atque aliud cōsiderans, cū corporis vegetans, corporis negotia tractet: & rursus cū ad se conuersus, in seipsum ascendit, vbi intelligibiles res disquirēdo;

& contemplando, spiritualia semper officia exercet. Constat igitur ex his animum se ipsum mouere, ita ut se regere, sibi etiam iubere & resistere valeat. Habet ergo supra se dominium & imperium, quo sibi omnino secundum liberam à corpore, & propriam operationem dominatur. Vnde etiā potiori ratione corpori rursus, eiusq; cupiditatibus & motibus libero dominio imperabit, propriamq; libertatem supra ipsum exercebit. Quod hinc etiam manifestum est: q; si appetitiones & cupiditates eas attēdas, quæ ex corporis harmonia, & contemperatione secundum vim vegetandi oriri solent, penitus illis aduersatur: & contrarium s̄pē motum solet exercere. Vrgente siquidem siti, æstuq; in contrarium nonnunquam tendit: bibere recusans: premēte etiam fame, non vult aliquādo comedere. Atque si sese corpus exercere recuserit, vñmue medicinæ ad recuperandam sanitatem renuat, ipsum impellit, & medicinam sumere iubet, ceterosq; labores; asperius modò ipsum tractando, modò mitius. Per spicuum igitur est hac ratione animum corpori dominari. Verum eidem etiam imperat secūdum q; affectus, omnesq; cupiditates, quæ ex vi sensitua originem ducunt, cohabet, & moderatur, illisq; frenum adhibet. Nūc dolore, & minis comprimendo, nunc admonitionibus seipsum alloquēdo, & exhortando: qua ratione ab impetu cupiditatum se eximit, ipsarum subiectionibus nullo pacto acquiescendo. Ex quibus manifestè constat sciunctum à natura corporis animum esse, omninoq; ei dissimilem, tanquam ipsius imperatorem, & dominum, cui nulla cum corporis cupiditatibus, & eiusdem proprio actu, sit societas. Sed cùm animus corporis consilio, & arbitrio (vt dictum est) semper aduersetur: vt eius impetum, tyranicamq; voluntatem coerceat, contrariumq; propriæ voluntati motum cogat exercere, hominē seipsum exhortari, & alloqui (quod ultimo loco inter remedia ad cupiditates cohendas statim protulimus) plurimum valet. Nam cùm animum ipsum rationis atq; virtutis præceptionum (quæ humanæ vitæ tum monitores assidui, tum leges fermisime existunt) vera cogitatio, atque ex imo pectore, consideratio iteratè subit, prædictam vim, potentiam & dominium contra omnes corporis insultus maximè exerce-

re:

re valet. Etenim cùm corpus altera pars nostri sit, semperq; nobis id coniunctum habeamus: & si vi acerrimus hostis insidias moliatur, fraudesq; & dolos continuò machinetur: eius tamen suggestiones, consilia, & bene placita, tanquam à familiari amico propter dictam coniunctionem audientes, vt nostra excipimus, & tanquam vera iudicamus. Vnde facile ab his quisq; rapitur, totumq; vitiorum campum tanquam per proprium fundum diuagás excurrit, quod inde accidit: quoniam cùm his, quæ rationis & virtutis sunt, minimè assueverit, illico ea tanquam alpēra & peregrina, omninoq; aliena negligit, & vilipendit. Quamobrem vt corporis impetu superare, ipsumq; rationis obsequiis deuincire valeat, operæ pretium est: dictum ordinem inuertere, atque cōtra, quæ rationis & virtutis sunt, nostra (vt verè res se habet) iudicet: quæ verò ad corpus spectant, eiusq; volūtatem sapiūt, vt aliena prorsus, atq; vt res hostiles à se sēper abigat. Quod eo actu considerationis potissimum fit: quo quæ semel virtutum præcepta quis cognoverit, & apprehenderit, eadem semper ruminans continuò mente agitat, & reuoluat. Quæ potissimum ratione ea sibi amica & familiaria faciet, quæ verè naturæ consentiunt, vereq; ipsius sunt, atq; vt talia ea deprehēdet: quæ verò carnis & corporis clamoribus artiferint, vt aliena prorsus iudicabit, eaq; contemnenda esse fixo pēde decernet: & tanquam ementita & fucosa bona, vt nostra ruinam machinentur blandientia, cōtinuò calcabit: ea, quæ verè bona sunt, libenter amplectens, quibus tandem assūcens, spontaneum ad ea opere præstanta se accinget. Est ergo vera consideratio, conuersiusq; iste motus in ea, quæ agenda aliquando didiscimus, ad propriam animæ libertatē contra corpus, eiusq; factionem depromendā maximi pondēris & momēti atque rursus ad corpus ipsum propriis obsequiis, & rationis arbitrio, astringendum, & temperādum, vñquacadeò vt hac ratione motus eleganter cum Socrate, & Aristotele, proferat diuus Thomas: hominem cōsideratione honesti, & quod verè bonum est, actu existēte, neutiquā posse peccare, nisi veri consideratione remota, aut impedita, eror fabingrediatur: de quo latius septimo libro disputeret philosophus. Quod si prædictam considerationem & li-

S 2 bertatem

## IN PRIMVM ETHIC. ARIST.

bertatem animi in se, atque in corpus ipso renuente, exercere potest: propriam aliquam, & omnino à corpore immunem operationem habeat oportet: qua etiam gaudeat, & potiatur.

Et tandem iam cùm homo solus agens, seipsum alloquitur, & exhortatur, animusq; in seipsum, & in ea, quæ honesta cognouit, actu reflexu circumueritur, seipsum mouere, (qua ratione, morbo prauè cogitationis circa ea, quæ corporis sunt, medetur Plato nono libro de legibus) absq; corporis vlo adminiculo, cui sic repugnat: manifesto argumento deprehenditur. Nam huiusmodi actus, qui circulo semper agitur, & in seipsum cōtinuò recurrat, licet à sensibus & phantasmatibus (vt inquit Aristoteles) mouendi occasione inde accepta, excitetur: à nullo tamen extrinsecus inchoatur. Agitur ergo vi solum, & imperio ipsius animæ, quinimo vt se ipsum circulo excipit, à nullo est, cùm circulus siapte natura principio simul, & sine careat. Mouet ergo seipsum animus, propriumq; motum, & operationem, qua propriam in se, & in corpus libertatem indicat, absq; eiusdem functione & opere habet, vt satis ex superioribus rationibus, & aperiissimè constat. Permanebit igitur perpetuus & immortalis. Quæ consequentia primò manifesta est ex philosopho primo libro de anima, cùm de operationibus tam propriis, quā communibus differens, dixit: Maxime autem ipsum intelligere proprio simile est respectu ipsius animæ. Quod si ita est (inquit) separabile est, id est per se subsistens post exitū à corpore futura est ipsa anima, cùm propriam operationem habeat, quæ est intelligere. Nam cū dicit intelligere simile proprium esse animæ, affirmatio sanè est: sed sub genere quodā modestiæ in re p̄cipue tam graui, vt aliorū philosophorū animos sibi conciliaret, aut saltem aperta affirmatione nō irritaret: secundum suam phrasin nomē illud addidit (simile) ne apertè diceret propriū est ipsius animæ intelligere. Quod etiam patet ex mente eiusdem philosophi quarto libro de partibus animalium capite decimo, vbi inquit: solus homo animalium omnium erectus est, quoniam eius natura, atq; substantia diuina est: officium autem divini est intelligere & sapere, quod non facile esset, si vasta corporis moles asside-

ret

## COMMENT. CAP. XI.

139

ret. &c. vbi aperte dicit animi operationem propriam esse sapere & intelligere, & corporis mole etiam impediri. Item Plato in Phædro hac ratione motus eiusdem sententia multo ante assertor extitit, inquit enim. Quod se mouet, nunquam seipsum deseret: semper ergo mouebitur: semper igitur erit. Hæc Plato. Vbi clare docet rem aliquā seipsum mouere, propriasq; operationes sine corporis dependētia posse exercere, firmissimum argumentum esse ad eius perpetuam permanentiam, & stabilitatem prophanam: quod animæ humanæ conuenire eodem loco ex propria sentētia ipse afferit. Est ergo firma & stabilis illatio posita, si aliqua operatio propria animæ est, ipsa immortalis & perpetua erit. Accedit præterea ad idem, quod Aristoteles docet septimo libro phisicorum, quo loco ex hoc, q; nullum compositū naturale seipsum mouere valeat, sed necessario semper ab alio moueatur: à corporibus aliis continuò occidētibus, & orientibus, à quibus mouetur, pendere docuit, ac proinde cōsimilia entia caduca semper, & corruptibilia esse. Deum autē optimum maximum, qui seipsum moueat, à nulloque moueri possit, sed cuncta alia agitet, immortalem & perpetuum, æternumq; rerum omnium principium libenter asseverauit. Est siquidem sic natura constitutum, vt vnumquodq; à quo originem, & esse ducat, ab eodem suis motibus, & operationibus pendeat. Vnde apertè colligitur, quod et si rationalis anima quantum ad initium, & sui esse primordia ab omnipotenti domino mota fuerit, ab eo per creationem esse accipiens: quia tamen post acceptam semel naturā nullius adminiculi corporei à naturali agente mutuati indiga, seipsum mouere valet: euidenti argumenro ex Aristotelis sententia conuincitur ipsam immortalem, semperq; futuram esse.

Postremò hanc eandem rationem, q; animus nempe humanus propriam operationem habeat, quam absque vsu, & ope corporis omnino ad eam necessaria, exercere posset: alta mente philosophus perpendens, secundo libro de generatione animalium, cum de origine, & ortu animalium sermo nem faceret, coactus est afferere solam animam rationalem extrinsecus ingredi: corporiq; aduenire: quasi apertè diceret esto ita sit, q; ceteræ animæ ab elementis, corporumq; mixta

S 3 contem-

Rationa  
lis anima  
à Deo cre  
atur.

contemperatione, ortum habeant, ipsa tamen anima rationalis ab huiusmodi corporea propagatione solùm est libera: ex eo, q; ab omnipotéti domino ortu & originem immedia- tè ducat. Et pulchrè hoc quidem asseruit: siquidē perspicue nouit animam rationalem exemptam à corporis mole ope- rationem habere: cæteras verò omnino à corpore suis motibus, & operationibus pendere: & vnumquodque ab eo ori- ginem trahere natura ipsa docet, à quo suis motibus, & a- ctionibus pendere cernatur. Humanus igitur animus non corpoream, sed diuinam originem dicit, à Deoq; immedia- te existit. Sed quodd eo loco supra dicta fuerit Aristotelis sententia & mens, vel ex ipso literè ordine statim colligitur: vbi de animarum origine erat sanè disputatio, atq; per hoc rationalem animam ab aliis distare affirmat, quod cùm cæ- teræ ab elementis, eorumque mistione excidantur: sola ra- tionalis anima extrinsecus accedat, hoc est non à corpore, neque ab agente corporeo: ergo à Deo ipso optimo maxi- mo: vnde & sàpè eius operationem diuinam appellat. Per- spicum etiam idem est ex sententia Platonis in Timèo, qui optimus est Aristotelis interprès: cùm ex ipso cuncta de- sumpserit, quæ pulchrè & eleganter dixit, dixit autem om- nia. Afferit igitur eo loco animum hominis à Deo summo omnium Deorum patre (vt inquit ipse) factum fuisse: ad corpus autem propter eius imbecillitatem, & fœditatē ma- nus admouisse negat, sed minoribus Diis tradidisse forman- dum, & si in hoc poetice loquatur. Afferit ergo animum ho- minis à Deo immediatè esse creatum: est igitur rationi con- scitaneum hoc idem superioribus verbis Aristotelem ex- pressisse: Confirmatur præterea hæc eadē sententia (omis- sis pro nunc aliis antiquioribus philosophis) ex sententia Ci- ceronis, qui primo libro Tusculanarum questionum de hac eadem re edidit, luculenter hunc Aristotelis locum iux- ta sensum præhabitum explicuisse mihi visus est, cum in- quirit: Animorum in terris nulla origo inueniri potest. Ni- hil est (inquit) animæ mistum, atque concretum, quod ex terra natum atque factum esse videatur, nihilq; humidum, aut flabile, aut igneum. His enim innatum nihil inest (ait) quod vim memorie, mentis, cogitationis habeat, quo &

præ-

præterita teneat, & futura prouideat, & amplecti possit præsentia, quæ sola diuina sunt. Hæc Cicero: quibus ex- pressè Latinè declarat, quod concisè Græcorum, atque phi- losophorum more Aristoteles extrinsecus contingere, seu accedere dixit. Atque idem apertius primo libro de diuina- tione ex mente Cratippi exponit, eadem ferme verba pro- ferendo: animos hominum quadam ex parte extrinsecus es- se tractos, & haustos ob hæc præcipue (inquit) causam, quod in somno saltem propriam quandam animi operationē cer- neret à societate & contagione corporis sciundam. Qua ra- tione potissimum eo tempore dicit: præteritorum aliquan- do meminisse, præsentia cernere, & futura prouidere, cuius rationem subiicit, quod corpus dormientis vt mortui, tūc ia- ceat, vigeat autem, & viuat animus. Ex quibus statim Cice- ro colligit esse extra diuinum animum, vnde humanus dica- tur. Nam humani animi ea pars (inquit) quæ sensum, quæ motum, quæ appetitum habeat, non est ab actione corpo- ris sciuncta: quæ autem pars animi, rationis, atque intelligé- tiae sit particeps, tunc eam maxime afferit vigere, cùm pluri- mū absit à corpore. Quibus expresse posita Aristotelis sen- tentia videtur exprimi: & ea deinde ratio, qua in hanc senten- tiā potissimum proruperit: imo hæc omnia ex loco citato philosophi desumpta videntur, & etiam ex Platone in libris de republica, vbi de somno liberi hominis eleganter dispu- tat.

Et confirmatur tandem omnium Latinorum autori- tate, qui humanam animam extrinsecus accedere per hoc, quod est non educi de potentia materiæ, explicant, quod idem est, quod à corpore, & materia ortum non duce- re, vt cæteræ formæ, sed diuinam rem penitus esse, at- que à Deo ipso omnino constare, licet cùm materiam & corpus informare habeat, vt diuersorium tanto hospite dig- num disponi, præparari, & coaptari exigat. Circa quod du- plici peccato Neothericos philosophos (ni fallor) irretitos video: primo, quod cùm circa loci Aristotelis interpretatio- né soliciti esse debuissent, in declaranda eoru explicatione, & inuenito circa hunc locū, tēpus omne & opera consumunt:

S 4 nec

*Animam  
rationalē  
non educit  
de poten-  
tiā mate-  
rie.*

nec alia disputatione plenos libros omnes videas, quā quid sit educit de potentia materiæ: deinde in ipsam explicatione, cùm non causam pro causa accipiant. Nam ratio, quare animus noster separatus à corpore existere possit, atq; esse habere ab eo non dependens, sic ut cum eo non occidat, ea nimis est: quoniam ortum & originem à corpore & materia non trahit: per regulam superius positam, quæ afferit: ab eo vnumquodque ens in suo esse, & cōseruatione pendere, à quo per ortum & originem profectū fuerit. Causa igitur, quare animus post exitum à corpore per se existere possit, est, quod non sit educitus de potentia materiæ, id est, quia à corpore esse & originem non acceperit, non autem econtra ut communiter dicitur. Hoc autem ex eo colligitur, quia ita propriam operationem habet, ut cum ea nullo pacto actio corporalis communicet, ut Aristoteles est autor secundo libro de generatione animalium capite tertio, & multis etiam rationibus supra probatum est, quibus & Aristoteles motus extrinsecus eum accedere dixit, ut rem quandam diuinam, & quæ ab ipso Deo immediate dimanet. Quare & post interitum corporis permanere statuit: quia ab eo non educitur, neque in suo esse dependet. Sed obiiceret iam aliquis: si ita est, quod de origine rationalis animæ prædicto loco agebatur, quare Aristoteles non dixit eam peculiari ratione cōtra aliarum animarum ortum extrinsecus generari? Sed accedit seu contingit. Primum respondeatur, quod verbum illud cōtingit eo loco idem valet, quod generari. Nam paulò ante dixerat omnes animas corpori contingere, quas tunc constat generari, cum corpori copulaatur, ut ipse statim docet. Deinde animaduertendum est cum errorem Aristotelem hoc loco supposuisse, in quo Plato passim deprehenditur, sed præcipue in Timo, & decimo etiā dialogo de legibus, quem priscorum philosophorū rumor, & fama per manus ad eos usque deduxerat: animos scilicet humanos multo ante tempore creatos esse, quā in corpora ipsa descendenter, materiæq; copularentur. Quod ita esse, argumētum, quo ad dictam propositionem afferendam vtitur conuincere videtur. Nam cum posuisset omnes animas corpori contingere: in hunc modum arguit. Aut contingere (inquit) necesse est,

cūm

cūm antea non fuerint, aut cūm omnes antefuerint, aut partim cūm antea fuerint, partim cūm antea non fuerint. Ceterum omnes antea fuisse impossibile rationibus his esse ostenditur, quas statim subiicit: & tandem concludit: restat igitur ut mens sola extrinsecus accedat. Quam propositionem ex ratione, quam præmiserat, infert, quod ea népe sola sit, quæ corpori contingere potest, postquam antea fuisse, cuius p̄existētia, simul & aduentus extrinseci rationem subiicit: quia nihil (inquit) cum eius actione communicat actio corporalis. Ob quam causam statim posuerat, alias animas à corpore inseparabiles esse, ab ipsoque originē habere, quia earū scilicet actiones ita corporales sint, ut sine actione corporis existere nequeant, ut neque ambulatio sine pedibus. &c. Est igitur apertissima Aristotelis sententia humanum animum propriam operationem, à corporēq; sciūctam habere, qua propter & separabilis sit, id est immortalis, & multo etiā ante, quā corpori contingit, is sit ortus, & separatus per se extiterit. Vnde intellectum agentem, siue humanum in seipsum conuersum, in locoq; & regione intelligibilium iuxta ea, quæ superius diximus, operantem, passim in libris de anima separatum philosophus appellat: præcipue tamen quinto capite tertii libri, vbi postquam separatum, hoc est ante corpus fuisse ex antiqua, & communi philosophorum fama posuisset, ob id statim immortalem, perpetuum, semp̄erque futurum assuerat, quasi in hunc modum inferens: si separatus animus per seipsum ante corpus extitit: neque cum corpore, postquam ipsi per informationē fuerit copulatus, interitum ibit. Sed quoniam contra id, quod supposuerat de separatione, & præexistentia animi ante corpus, quis vrgere posset dicendo: vnde igitur est, q; nō reminiscimur eorum, quæ animus noster ante nativitatem, & generationem nostram comprehendit? Respondet non recordamur autem, quia hoc quidem passionis expers est, intellectus verò p̄ssi uus extingitur, & sine hoc nihil intelligit. quasi diceret, quia animus noster separatus immediatum ordinē habet ad res percipiendas, neque passione corporis ad id indiget, imo omnino (ut inquit) eius expers est, quare sine ea res antea perceperat: intellectus autē passiuus, id est phantasia cūm corpore

S 5 extin-

extinguitur. Quare dum est in corpore, eius passionis particeps est, imo ea media res percipit, & sine intellectu hoc & phantasia animus noster nihil intelligit, quoniam in medium ordinem ad res percipiendas iam non habet, sed medio corpore. Vnde evenit, ut immediate quod ipsi vnitus sit, ea quae ante cognoverat, non recordetur, quia recordari passio corporis est, cui accommodatè nunc cuncta percipit: sed ea penitus obliuiscitur animus in corpus descendens, ut passim inculcat Plato. Creatio igitur ipsius animi longo tempore corporis informatione præcessit, quod ut celebre ab omnibus philosophis traditum supponit, quare id non disputat; atque hinc toties de intellectu separato sermonem inducit. Vnde patet ratio, quare in re tam graui ita concisè Aristoteli predictis locis agat, quia id in vulgarium omnibus ex tota antiquitate supponebat.

At duo dubia circa ea, quae nuper diximus, aliquem premere possunt, quae breuiter perstringenda sunt: primù, quae ratione animos multo tempore ante corpora creatos, errorē esse comprobetur: deinde quo pacto constent, quae de animis immortalibus diximus, eorumq; à materia, & corpore separatione, cum intellectum illum agentem, separatum, materiae immutum, & impassibilem, immortalē, & perpetuum, quem toties in secundo & tertio libris de anima philosophus extulit: Alexáder Aphrodisiæus, Deum ipsum appellat, primamq; omnium causam. Themistius vero, atque eum secutus commentator unum omnibus hominibus comunicabilem efficiat, cui omnia, quae de immortalitate diximus, accommodari possunt. &c. Primum facillimis rationibus ex Aristotelis, & aliorum philosophorum sententia ductis aperte excluditur: quare non ex propria sententia, sed tantum ut ex veteri fama receptum id dixit. Nam humanus animus, cum ad officium & munus aliquod exercendum sua conditione destinatur, (quia nihil vanum, & otiosum natura admittit, id autem non sit, cœlum motibus agitare, continuoq; ipsum circulo vertere: quoniam hoc munus angelis, substantiisq; separatis demandatum sit, qui ab humanis animis genere maximè distant: neq; rursus ut singulis astris, & stellis inclusi vel coiunctileant, ut in Timo sentire vide-

tūr

tur Plato. Nā cum astra ipsa Integra perfectione, suęq; naturę debita, absoluta sint, propriis actionibus suapte natura sufficient, sicut sufficere fateri cogūtur aduersarii, postquam per migrationem in corpora, animæ ipsæ ab astris discesserint. Quare frusta & ociosæ in astris conditæ delitesceré, à quo natura maximè abhorret. A pertissimè igitur constat eorum munus, & officiū in corporibus ipsis positū esse: nō ergo antea extat, neq; esse antea in tempore accipiūt, q; ipsis vniātur & copulentur. Falsum igitur est prius animas in cœlo colligare. Item cœlū aduersariis attestantibus, ut videre est apud Platonem locis citatis, locus sacer est, qui nihil coquinatū, immundū, & sordibus affectum recipit: eadē igitur ratione neq; id, quod ad malum aniceps, imo quod in ipsum propensum est: cuius generis animæ omnes ibi creatæ extitissent. Et locus item, qui bonis & studiosis hominibus in præmium post tot superatos labores (ut ipsis philosophi docebāt) destinatus esset, prauos & sceleratissimos homines, qui ob sua extrema flagitia in inferū cercerē detruiderentur, & eos insuper qui ut ancipites, in carcere subterraneo ad tēpus detinerentur, qui aliquādo in brutorū corpora essent reddituri (ut Plato asserit) aliquādo in se excepisset. Vnde naturæ leges cōfunderentur, & iura locorū penitus soluerentur, neq; discrimē aliquod inter cœlū & terrā (ut loea sunt) poneretur: cū boni ad sua astra redeūtes (ut inquit Plato) ibi essent, vbi scelerati in brutorū formas transformati, & postremè nefandi, in tartara præcipites acti, aliquādo vitā traduxissent. Vnde & timor, quo maximè conabatur Plato ad virtutē, & honestatē homines prouocare, omnino cessaret, atq; nulla ratione homines eo à peccatis, & sceleribus abstinerent, cū compertū illis esset sceleratos & medios illos homines, qui nō in inferū perpetuò detrudebantur, sed ad tēpus, in formas bestiarū aliquādo inde exitu ros, & ad cœlū, suaq; astra tandem cōmigraturos. Languesceret præterea bonorū animus & virtus: cū eundem locū ipsis, & sceleratis hominibus post expletas suas cupiditates, & libidines in corporibus brutorum, pmiū esse cognovissent: imo mutationē quandā hoc in dico argueret, cū ē cœlo in terrā, nulla interueniente causa, animos deiiceret, veluti dominus aliquis, qui seruis beneficia ampla largitus

largitus sit, & post mutata sententia, eadem reuocet. Afferere igitur animos, antequam corporibus vniuantur, in cœlo, aut astris primò conditos esse error est temerariè assertus, & ipsorum philosophorum sententiis cōtrarius, vt planè probatum est. Et Cicero insuper proprio indicio innixus, rationēmque ipsam cōsulens, in loco iam citato apertrè dicit: nullam animorum originem in terris inueniri, sed neque inuenietur (ait) vnde ad hominem venire possint, nisi à Deo: loquitur autem de aduētu animorum in corpora singulis diebus: proficiscuntur igitur immediatè ab ipso Deo. Eundem etiam sensum explicuit Plutarchus, cùm de iis, qui à Deo servò puniuntur, orationem habens inquit: differt castigare Deus sciens, quantum virtutis insit animis venientibus ab eo in hunc mundum. Cōtrarium igitur afferere error est cum ratione ipsa omnino pugnans, fuit tamen à philosophis receptus, non ratione ipsa conuincente, sed vt fama quadam, & rumore antiquorum deductus.

*Minimè  
vnū intel-  
le&sum in  
omnibus  
hominib-  
us esse.*

Secundum præterea dubium, quod vsqueadè omnes adhuc philosophos torquet, sequentibus rationibus facile expeditum manebit, iis qui rationi obsequi velint, nullóq; pacto proptiæ naturæ repugnare. Atq; prima ratio huiusmodi est. Sivus intellectus poneretur in omnibus hominibus, statim sequitur eundem Deum afferere, vt voluit Alexander quod ex eo est manifestum, quod secundum sic imaginates talis intellectus scipsum, & cætera mouens, quadam vniuersali præsentia omnibus hominibus assisteret, vniuersalisque omnium esset illuminator, vbique præfens, toto orbe terrarum omnibus hominibus præficiens: qui vbique luceret, omnem veritatem subministraret: scientiamq; omnem, & cognitionem erueret. Eset igitur primus, purissimusq; intellectus semper in actu, ac ex consequēti prima causa, Deusq; ipse. Præfatæ namque conditiones ipsius Dei propriæ & peculiares existunt. Quare qui eas alicui intellectui concesserit, eundem esse Deum fateri necessario cogitur: perinde, vt qui admiserit aliquod animal existere intelligens, sagax, solers, loquens, bipes, atque erectæ ceruicis, idem hominem esse fateatur, oportet. Præterea factalem intellectum esse, longo iam interuallo omnem perfectionem, vim, & efficaciam angelicæ

angelicæ naturæ superaret ex perfectionibus positis: cū omnibus prospiceret, omnia, prouideret, omnem veritatem & scientiam luggereret: omnia permeans, atque penetrans. Esset igitur Deus ipse. Quippe non alia ratione philosophi antiqui Deum cognoverunt, & super omnem creaturam esse significarunt. Absq; dubio ergo huiusmodi intellectus Deus esset, primaq; omnium causa, vt dixit Alexander. Est tamen aduertendum, q; Alexander nō afferuit intellectum nostrum esse primam causam: quem Aristoteles semper in actu cognitionis, separatum, imparsibilem, & incorruptibilem ponit. Sed quod docet huiusmodi est: intellectum agentem sine operantem primò & principaliter de intellectu diuino, primaq; omnium causa, vt de primo fonte, & origine omnium dici, deinde vero de intellectu hoc nostro agente, quem incorruptibilem, & immortalem, quia extrinsecus adueniat, posuit Aristoteles. Atque huius assertionis ratio est, quoniam cōditiones positas primò & principaliter in intellectu diuino reperi vidit: secundò vero, & dependenter in mente, atque animo humano. Præterea huius intellectus à similitudine in natura ipsorum animorum, qua similia agnoscunt, & cogitant eademq; consilia, & vniuersales notiones semper incurserunt: & quod sequestrati insuper à materia essent, quæ principium divisionis existit, moti sic afferentes: vnum hanc intellectum in omnibus hominibus fecerunt. Quæ ratios si aliquid probaret, suaderet vtique: vnam & eadem animam in omni genere brutorum esse ponendam. Et mirandum sanè est, quo pacto in propriam naturam adè fnerint restricti vnum intellectum sibi ipsis concedentes, atq; in extraneam laxis habēnis, admodum liberales: singulis animalibus brutis singulas animas statuendo. Nā quid rogo, obstabat, quominus vnam animam omnium ouium facerent, luporu insuper, equorum, & cæterorum huiusmodi? Erga singula si quidem cuiusq; generis naturæ similitudo saluat, qua mutuas voces singulæ intelligunt, vt in gregem coeant, atque ad coniunctionem, naturæq; consuetudinem se inuitent: imo ad prædam etiā absque præceptore voce vnius percepta reliqua concurrunt. Ita enim se res habet, vt uno vllulante lupo, cæteri conueniant, vt vna rursus, balante oue reliquæ ad balatum.

balatum concitentur. Esset igitur vna anima, eademq; mens in omnibus. Quod si hoc concedere recusant, nec admittere volunt, multo minus in propriam naturam id afferere debuissent iniurios in eam se exhibendo. Nec præterea defectus materiæ, nec modus vniuersaliter intelligendi eos ad sic statuendū permouere debuisset. His etem rationibus vnuus intellectus omnium angelorum esset tantum ponēdus, imo solū vnuus angelus, siquidam vnuus est vniuersaliter intelligendi modus, & omnes insuper à materia separati agūt. Sed hoc non concedunt specie scipis differre afferentes, secundū quod magis aut minus à fonte totius perfectionis distat, atque discedunt: perinde igitur animos humanos multiplicari, ac scipis distingi fareantur, oportet: neque eandem legem distinctionis imaginari oportet spirituum, animorū, atque corporum: sed alio atque alio modo distinctio & differentia querenda est. Non igitur similitudo in natura, neque materiæ defectus, vnitatem intellectus in omni genere arguit: aut vnam animam in quoniam bestiarum genere, & vnuus intellectus insuper omnibus spiritibus assignandus est: quod fieri nequit, neque ipsi aduersarii concedunt. Postremò iam sic, si in diluio vniuersali temporibus Noe, quod forsitan antiqui philosophi Deucalionis appellant, totum genus humanum extinctum fuisset, neq; illæ octo animæ mansissent, aut si pestilentia, & morbo aliquo acerrimo grassante, omnes homines perirent: quo subiecto, quæc sede vniuersalis iste intellectus resideret, ubi habitaret, aut commoratus fuisset: atque nihil profectò rationi cōsentaneū, quod dicant aduersarii, commetari poterunt. Est igitur error omnino rationi repugnans. Quapropter in concilio Vienensi sub Cleméte quinto celebrato, ~~satis~~ satisime hæc assertio tanquam erronea, & vt heretica insuper condemnata est. Unde (inquit) quod omnis, qui pertinaciter præsumperit afferere, defendere, seu tenere, q; anima rationalis, seu intellectus non sit forma corporis humani per se, & essentialiter: sit tanquam hereticus censendus. Et post in concilio Lateranensi sub Iulio secundo, & Leone decimo celebrato, apertissimè excluditur fictione octaua sub his verbis: cùm diebus nostris nonnulli ausi sunt dicere, de natura animæ rationa-

lis,

lis, quod mortalis sit, aut vnicam in cunctis hominibus, & aliqui temere philosophantes (secundum saltem philosophiā) verum esse afferuerant: sacro approbante concilio dānamus, & reprobamus omnes afferentes animam intellectuā mortalem esse, aut vnicam in cunctis hominibus, & hæc in dubium vertentes, cùm illa non solum verè, & per se, & essentialiter humani corporis forma existat (sicut in Canone Clementis quinti continetur) verum & immortalis, & pro corporum, quibus infunditur, multitudine singulariter multiplicabilis, & multiplicata, & multiplicanda sit. Hactenus cōciliū, quibus & animorum rationalium interitus, vnitatis, & ante infusionem in corpora eorundem in cœlo creatio, in quibus exterminandis hactenus laborauimus, tanquā errores philosophiæ ipsi repugnantes damnantur.

Prædictus tamen error hinc originem duxit, q; s̄pē Aristoteles in libris de anima intellectus sperati, immisi, atq; à materia separabilis, mentionem intulit, immortalē & perpetuum semper eundem faciēs. Ex quibus aduersarii in hunc errorem prolapsi sunt, vt huiusmodi intellectum formam corporis essentialē minime arbitrarentur, neque quoquā pacto ab ipso dependentiam habere. Quare vnum tantum omnibus hominibus assistere statuerunt: arbitrantes (vt diximus) omnem multitudinem & divisionem ratione materiæ sensibilis tantum contingere, quæ à forma aliqua per informationem perficeretur. Decepti tamen sunt in hoc, quod non animaduerterunt præfatum loquendi modum ex eo. Aristotelem obseruasse, q; animas intellectivas multo ante, quam in corpora ingredierentur, ex philosophorū antiquorum placitis nemine excepto: in cœlo creatas fuisse, supponeret: vnde & intellectuam animam aliquando separabilem, eius immortalitatem attendendo, ex tritissima, & vulgata fama, ad eius antiquitatem oculos conuertendo: à materia separatam inducit. Quem errorē latius supra excussum u. Adeò tamen apud philosophos inualuisse hinc mihi persudeo, q; ab Ægyptiis accepissent corpus à Deo optimo maxima prius formatū fuisse, quam ipsum anima ingredieretur. Nam formato corpore sacer historicus narrat mississe Deum spiraculum vitæ. &c. Nec dicit fuisse creatū sicut corpus ex quo,

quo loco forsan simul cum Aegyptiorum narratione, corpus à Deo formatum, & in ipsius deinde Deum immisso spiraculum vitæ cognouere. Atq; deinde corundem prauo intellectu accedente(in quem necessariò incurruunt, qui vsq; ad eis suis viribus fidunt) hoc extorserūt: vt multo ante tempore humanos animos in cœlo creatos esse suspicarentur, q; eos in corpora omnipotēs dominus misisset. Cuius rei hinc argumentum dicitur, q; ipsorum philosophorum proceres diu apud Aegyptios vsl literatum versatos fuisse pañim eorum scriptis inuenimus. Ex quibus doctrina hæc sic infecta ad posteros omnes & successores philosophos veluti iure quodam hereditario propagata est, cui vincit manib; statim adhæserunt, quoniā ad immortalitatem animorum firmandam, ad quam rationibus supra adductis cogebatur, magnum pondus, & momentum afferebat. Nam si ante delcēsum in corpora per se substitissent, post discessum à corporibus futuros inde manifestum erat. Vnde tandem ex eodem errore reminiscentiam intulere, nostram scientiam reminiscentiam esse rerum intelligibilia, quas antea animi cognovissent, perperam arbitrantes.

Sed pro pleniori intelligentia eorum, quæ dicta sunt, animaduertendnm est rationalem animam dupliciter considerari: vno modo vt anima, idest in quantum forma, actus, & perfectio corporis humani existit. Qua ratione talē concentum, & harmoniam in corpore humano facit, vt omnē vegetandi vim ipsi tribuat, sensus omnes, & interiores facultates fulciat, & sustenteret. Secundum quam rationē ita à corpore pendet, quod nullam absq; eo operationem exercere valet:imo quod amplius est, eam hac ratione cum corpore desinete dicit, vt desinente cithara, aut quoquis alio musico instrumento simul cum eo musicam & harmoniam, quæ eo agebatur, desinere, & corrumpi dicimus, atque ita eam desinere dicit, quod prædicta harmonia in dissolutione corporis deficiat, non autem quod ipsa corruptatur. Quo pacto eam considerat, cùm animæ definitionem tradit, & ἡχη eam appellat, atque hoc intellectu habito, ad saluandā hanc Aristotelis sententiam non opus est animam cogitatiuā ponere, aut alias commentitias fingere. Alio modo eadem ani-

Multris  
modis, ab  
Arist. 4.  
minimā ac-  
cipia.

ma

ma notatur, vt à corpore abducitur, atq; vt in seipsum cōuerſa, in rerum intelligibilium regione versatur, quomodo intelligētia, seu intellectus dicitur, quem proprias habere functiones sine aliqua corporis actione s̄pē afferit, vt ex superioribus satis apertè constat. Quapropter incorruptibilem, impassibilem, & materiæ immutum, & ab ea separabilem s̄pē pronuntiat in tertio & secundo lib. de anima: vbi mente & speculatiuam facultatem aliud genus animæ esse, quod s̄pē parari possit, sicut semperiternum à corruptibili, dicit quē vñ appellat. Sed quoniam hunc passibilem & corruptibile ali quando censeret, est vltimo notandum: quod hoc nomine aliquando Aristoteles intelligit mentem ipsam, quæ res percipit, & intelligit, quam immortalem, & separatam semper dicit, aliquando vñ rem ipsam, quæ intelligitur, quatenus in intellectu existit, qua ratione corruptibilis ab Aristotele dicitur: quia secundum hanc rationem non est aliud, quam ipsa semet intellectiones, quæ cùm adsunt, facilè etiam discedunt: secundum quam rationem propriè dicitur ab eo nuncupatur, quæ cogitatio, seu discursus dicitur. Qua ratione loco superius citato dixit: intellectum passuum extingui, id est intellectiōne, seu intellectiones, aut discursus, qui media corporis passione fiunt. Quare locus hic minime cogit intellectum pro phantasia accipere, vt plures constringuntur: vt supra etiam insinuauimus, nisi ad sensum solum prædictum. Quocirca hæc distinctio maximè notanda est, quæ potissimum à Græcis ex eo loco Aristotelis eruitur, vbi afferit. Intellectus nihil est actu omnium, antequā intelligat, dico autem intelligentiam (inquit) eam, qua intelligit, opinaturque anima. &c. Ex quo planè elicitur metem seu intellectum aliquando accipi pro re, quæ intelligitur. Quocirca explicado quod dixerat, addidit, voco intelligentiam &c. ad insinuandum sanè, quod si accipiatur mens pro re, quæ intelligitur, mens siue intellectus actu est id quod percipitur: atque rursus in eiusdem sententiaz confirmationem aduerbio illo(tanquam) vñsus est: apertè insinuās, quod postquam anima intellegit, res, quæ intelligitur, mens & intellectus etiam dicitur, quod crediderim valde esse obseruandum, vt plura philosophica, quæ ad præsentem disputationē concernūt, colizant,

T reant,

## IN PRIMVM ETHIC. ARIST.

reāt, atq; vt philosophus sibi ip̄si semper cōsentire videatur.  
Sed restat iam argumentum id soluere, quod ex tertio libro huius operis delūmitur, quod maximē contradic̄ta vrgēre videtur, vbi philosophus afferit mortem esse vltimum vitæ terribilium, atq; subiiciens rationem ait. Quoniam nihil post homini mortuo aut bonum, aut malū esse videtur. Quod si ita est, quod extra ambitum boni, & mali per mortem homo ponitur, minime persistere videtur: quare ex hoc loco simul cum corpore & animus ip̄se soluitur. Sed huius argumenti solutio omnino facilis est ea, quæ superius de homine, humanisq; operationibus statuimus, in memoriā reuocantibus. Nam Aristotelis sermo de bono & malo humano est, & de eo, quod homini, vt homo est, accidere potest. Diximus autem supra hominem à philosopho censeri, qui ex corpore, & anima constet, atq; vitā vtrīq; parti cōgruentem agat. Vnde operationem humanam eam appellat, quæ ab homine ciuiliter & consentaneè paribus, ex quibus constat, viuenti, exerceatur. Qua ratione consideratur homo, operatioq; humana nouem huius operis libris. Vnde patet, quām probē & apē Aristoteles dixerit homini mortuo nullum bonum, aut malum posse accidere, humanum scilicet: nam cum compositum dissolutum sit, nō manet homo iste, de quo loquitur. Quare nihil ei aduersē, aut prosperē cōtingere potest, quod humanum censeatur, sed post mortem ad esse aliquid, quod diuinum, & non humanum sit, philosophus non negat, imo libentissimē fatetur, cūm tūc restet id, quod vere hominem ip̄se appellat, animus scilicet hominis vt apertē docet libro decimo, de vera felicitate vitæ cōtempatiuæ laquendo. Ex quo loco efficacissima & perspicua deprimuntur argumenta ad immortalitatem animorum ex mente Aristotelis confirmandam contra inuentum aliquorum philosophorum, qui tantum voce eius doctrinam profitentur. Quare vltiorem de hac re disputationem (ne pluries eadē repetantur) differre consultius duxi. Quo loco ea, quæ hic deficiunt, latius prosequentur. Sed forsitan argumento posito adhuc quis vrgebit, quid mortem vltimum terribilium appellat, post vltimum autem nihil restat. Ad quod responderetur mortem esse vltimum terribiliū hu-

ius

## COMMENT. CAP. XII. 146

ius vitæ, simpliciter autem si conferatur cum iis, quæ malis, & flagitiis hominibus post hanc vitam manēt, mors corporalis non vltimum, sed minimum malorum est, vt Plato est autor in nono atque undecimo dialogis de legibus, quibus omnino Aristoteles consonat: vt patet ex suprapositis.

## CAPVT DVODECIMV M.

**H**is ita definitis de felicitate consideremus: vtrum ex ijs sit, quæ laude, an potius quæ honore digna habentur. Nam eam non esse inter facultates reponendam manifestum est. Videtur autē omne laudabile propterea laudari, quia qualitate aliqua prædictum est, & ad aliquid quodammodo refertur. Iustum enim & fortē, & omnino bonum virum, quinetiam virtutē ob actiones & opera solemus laudare: robustum quoque, & cursui habilem, & vnumquemq; ex alijs, non alia de causa, quām quod qualitate quadam prædicti sunt, & ad bonū quoddam, honestumq; quodammodo se habent. Atq; hoc ex Deorum laudibus perspicuum est. Nam cūm ad nos referuntur, ridiculi videntur. Id autem contingit ex eo, quod laudes per relationem, vt diximus, efficiuntur. At si talium est laus, optimorum sanè nullam

T 2 esse



Ostquam in superioribus quædam, quæ felicitatem tum ratione temporis, quo hominibus contingere potest, tum etiam ratione adiacentium rerum, quæ in ipsam impetum aliquando faciunt, tranquillitatemue promittunt, satis copiosè disputauit, vt ultimam manum ciuilis felicitatis tractationi iam imponat, ea, quæ ipsa in se luscipit, suapteque natura ei accidunt, hoc capite explicare aggreditur. Supposito igitur eo, quod apud omnes indubitatum est felicitatem scilicet in genere bonorum collocari: cùm id triplici ratione notetur, sitque, quod laudibus extollitur, vt virtus: & quod magnificis item encomiis celebratur, vt illustria, & p̄clara facin ora, quæ ex omni virtute procedunt: & tandem honorabile bonum, siue quod honore & gloriacione dignum sit: quo horum bonorum ordine felicitas censeatur, presenti disputationi subiicitur: atque principiū cum stoicis disputationem philosophus conserit, qui felicitatem inter bona laudabilia numerabant: mo tantum bonum honestū, quod laudabile sit, constanter affirmarunt. Ita enim ex eorū sententia ex professo testatur Cicero tertio libro de finibus, & in quarto etiam afferens summum in unoquoq; genere animalium & optimum laudibus efferendum esse, bonumq; laudabile existere, vt in homine (inquit) id, quod optimum sit, altissimumq; locum tenet, vt virtus: & in secundo insuper libro addit bonum ipsum, quod perfectum sit, atque laudabile non ob eam causam sic dici, aut honestum esse, quod à multis laudetur, sed quia tale sit, vt vel si ignorarent id homines, vel si obmutuissent pulchritudine tamē sua esset, spe cieq; laudabile.

Contra horum igitur sententiam hanc conclusionem statuit, felicitas nō est bonum laudabile, sed honorabile, & gloriatione dignum. Quam aliquibus rationibus probat: & primò sic. Bonum id laudabile est, quod affectione aliqua, vel qualitate affectuum existit ad aliquid aptè, & cōmodè exercendum, & quod ad aliud insuper continuò refertur: hoc perspicuum est tam in animæ, quam corporis habitibus, atque virtutibus. Nam laudamus (inquit) virum fortē & tēperantem, atque vt uno verbo dicamus virum bonum &

T 3 probum

Postquam  
videtur illud, sed dicitur opinione ut nō  
honestum modum videatur. Donec enim ha-  
cerit ac felices dicimus. Beato item dicimus vi-  
tæ, tōs qui maximè diuinæ sunt. Simili modo  
cuam bona. Nemo enim felicitatem laudat,  
quemadmodum iustitiam: sed vt diuinus  
quid ac melius, beatam redicit, ac prædicat.  
Recte etiam videtur Eudoxus in defensione  
voluptatis principatum ei attribueret. Ex eo  
enim quod nō laudatur, cùm bonum sit, in-  
dicari existimat eam rebus laudabilibus es-  
se præstantiorem. Talem autem esse Deum,  
& bonū ipsum censebat: quippe cùm ad hæc  
reliqua etiam referantur. Laus enim virtutis  
est, idonei enim ad honestas res agēdas ex ea  
efficiuntur. Commendationes vero operum  
sunt, tam animæ quam corporis simili modo.  
Verum hæc exactè tractare forsitan eorū ma-  
gis est, quorum labor in laudationibus con-  
ficiendis versatur. Nobis vero satis id esse de-  
bet: quod ex ijs quæ diximus, ex honorabili-  
bus perfectisq; rebus esse felicitatem constat.  
Videtur autem ex eo ita se habere, quia prin-  
cipiū est: huius cū gratia reliqua omnia om-  
nies agimus. Principiū vero & causam bona-  
rū honorabile quoddā ac diuinū statuimus.

Postquam

probum, q̄ ea qualitate, & affectione ii muniti sint, & dispositi, qua fortiter, temperatè, & studiosè agere & operari valent: virtutes item ipsas, quia studiosarum operationū munitiones & artes sunt, quibus strenuè gestis mirificæ laudes & encomia virtutibus accedunt, sicut ex absolutis artificum operibus nō solū autoribus, sed ipsis artium instrumētis: laudibus. n. hæc celebrare solemus. Præterea habitus corporis, hominesq; qui his valeant, semper laudibus extollimus, vt manuum agilitatem, pedum velocitatem, corporis vim & potentiam, cæterasq; corporis facultates, & artes cum earū autoribus, & præfectis: atq; hoc ob id sanè, q̄ prædictæ facultates ad aliud, ad opera scilicet referantur, & ordinentur: nam his habitibus homines dispositi, ad singula opera exercenda expeditius & commodius properat. Quod si hoc ita est, manifester sequitur ea bona tantum laudari, quæ ad aliud referuntur, atque ea, quæ ad aliquid exercendū optime affecta sunt. Quare cū felicitas ad nihil aliud referatur, neq; affectio aliqua sit ad aliquid præparās subiectū & disponēs, extra ordinem laudabilem bonorum collocandam esse manifestum est.

### Atq; hoc ex Deorum laudibus. &c.

Laudabilis boni rationem positam, atq; conclusionem illatam alia ratione hic probat. Nam cū Dei optimi maximī, altissimīq; domini laudes célébramus, si eas ad nos (inquit) referamus, id est ad examen, & normam, qua homines commendare solemus: & nostras laudes, & Deos ipsos (ait) ridiculos reddimus. Cuius ratio est, quoniam laudare, & encomiis homines célébrare consuevimus, tum ob præclara & illustria facinora, quibus strenuè se gesserunt, optimęq; de republica sunt meriti: tum quia pro oportunitatibus, & occasionibus, quibus virtutes produci, atq; extrinsecus prodire desiderant, exerceat. Vnde antiqui philosophi magno studio præceptū illud cōmendarunt (tempori semper pendū esse) docere sanè cupientes ita temporis rationem esse obseruandā, vt nulla eius pars otiosa p̄tereat: sed q̄ ea diligentia quisq; virtuti sit intentus, vt cōtinuò fructum aliquem ex ea despere studeat, quo tempus ipsum suæ legationis functione

*Quibus  
ex causis  
laudētur  
homines.*

itione ornatum, simul & onustum in ævū habeat, à nobisq; p̄s discedat: nulla siquidem est temporis particula, cui agibile aliquid non respondeat, vt supra etiam insinuatum est. Quare huiusmodi occasiones & oportunitates summa cura obseruandæ sunt, vt pro cuiuscunq; virtutis ratione debitum cuilibet persoluatur, atq; ita tēporis rationi pareamus. Atque hinc cū pro oblata occasione opus aliquid exactū exeretur, eximiis laudibus id cōmendare solemus. Ex quibus patet duplice ratione homines aliquādo laudati: & propter opera iusta, quæ exercent, præclaraq; facinora, & propter occasionum diligentem obseruationem ad tunc operandum, quibus virtutes maximè gaudent. Sed ita est, q̄ Deus ipse perpetuam, & nullo paeto interruptam operationem habet, immo in operando suam essentiā obtinet, cū res simplicissima sit: non ergo propter operationes, tanquam propter aliud, neque quod oportunè occasiones attendendo operetur, aliquando habitum otiosum habendo ut homines, laudandus venit: sed propter seipsum tantum, cū ad nullū aliud referatur. At huiusmodi conditionem suo genere felicitas fortitur: ridiculum igitur similiter erit in numero laudabilem bonorū eam collocare. Ex quibus statim infert suā conclusionem, q̄ si talium (inquit) est laus, nempe eorū, quæ ad aliud referuntur, aperte sequitur optimorum, de quorū numero felicitas est, laudes non esse, sed quid maius & excellētius ipsis conuenire, quod propositum est.

### Deos enim beatos, ac felices dicimus. &c.

Conclusionem statim positam ex communi hominum consensu hoc loco firmat. Nam Diis, & viris (inquit) bonis maiora quædam nomina, & illustriores nuncupationes tribuere solemus. Appellam enim felices, ac beatos, virosq; diuinos: atq; simili modo, quæ his conueniūt, quæ simpliciter bona cōsentur: quare sine addito ea bona dicit. Nemo autem faciliter ut iustitiam, aut quemcunq; alterius virtutis habitum, qui aliquando otiosus sit, & per respectum ad operationes commēdetur, aliquando laudibus extulit: sed ut rem longe excellentiorem, penitus diuinam, & beatā quisq; prædicat: atque inde quidem, quod non referatur ad aliud,

sed per ipsam sit: cùm se per quodd suā pefectione fungitūt cum actu coniuncta sit, continuoq; absq; operis intermissione ea anima illūstretur, & condecoretur. Est igitur felicitas extra ordinem laudabilium posita, maximeq; honore, & gloriacione digna ex communi omnium cōsensu, qui ad veritatem firmandam magni momenti semper habitus est.

Recte etiā videtur Eudoxus in defensiōc. &c.  
Tertio loco eandem conclusionem suader sententia Eudoxi antiquissimi philosophi, qui voluptatis multo ante afferitor extitit, quam Epicurus. Is enim cùm pugnacissimè defenseret voluptatem finem, atque bonorum extremum, seu felicitatem esse: eam à laudabilium bonorum numero separavit, excellentiori ordini nempe honorabilium eā ad scriber do. Ad quod afferendum hoc argumento ductus fuit: q; voluptas nunquam ex aequo vñquam laudetar, neq; eius dignitatem laudibus aliquis consequi possit, esto de eorum numero sit, qui in laudationib; continuo versantur. Quare bonum laudabile eam non censeret, sed bonum honorabile, & omni gloriacione dignum: quia portissimum conditione felicitas præfulgere debet, cùm ad felicitatem ipsam tanquam ad extremum bonum cetera humana bona referantur, ipsa autem ad nullum aliud, quemadmodū & ipsemēt Deus omnium rerum principium & finis. Constat igitur autoritatē Eudoxi, atq; aliorum philosophorum à nostra sententia disidentium (inquit philosophus) laudes eius boni esse, quod ad aliud refertur. Quare merito felicitas à laudabilium consortio exempta est. Est igitur bonum honorabile.

**Laus enim virtutis est. &c.**

Ex dictis contra Stoicos philosophos hīc inquit: felicitatē minimē virtutem cēsendam esse, sed operationem, vt dixit. Ad quod probandum tanquam ad scopum propositum, ab octavo capite usque ad hunc locum omnia ispectant. Atque corollarium positum ex propria istorum confessione ostendere nititur, ac proprio gladio scipios iugulare. Nam ipsi asserterunt virtutes bona laudabilia esse, & opera insuper animæ & corporis, quæ secundum virtutem sunt: non igitur congrue in virtutibus felicitatem staterunt. Nam eo, q; bonū laudabile

laudabile virtutē affiūmantq; ipso ad aliud referri dicūt, quod ita sāne est: nam propterea eam laudamus, q; ea homines ad illustria opera exercenda idonei efficiantur. Felicitas autem ad nullū refertur: nullo ergo pacto in virtute cēseri debuit. Ex quo item infert, operatam animæ, quam corporis, quæ virtutis sunt, atq; præclara & ingenua habentur, quia laudabilia sunt, encomiisq; & laudibus mirificis continuo ab hominibus commendētur: vt quæ ab animi virtutibus & scientiis proficiuntur: & quæ à corporis habitibus insuper: vt à sanitate, agilitate, robore: &c. Felicitatem minime constituere: quoniam propter felicitatem ipsam existūt. Imo inde ab hominibus celebrantur, q; eximiū quidam gratus ad felicitatem consequendam ab omnibus cēsentur: vel q; ad eius illustrationem & actionem exercētūr, à qua tanto splendore profecta fuerunt. Est igitur felicitas supra virtutem, & quæcumque item præclara opera, quæ secundum virtutem tantum sunt, cùm ab ea non egrediantur. Vel hac potissimum ratione, quia bona laudabilia existunt, vt patet ex iis, quæ de eorum natura dixit, ex quibus tantum ea prærulit, quæ ad præsens negotium spectare videbantur, cetera iis, qui in laudationib; continuo versantur, relinquens, à quibus petenda esse dicit. Ex quibus omnibus vt perspicuum infert in rebus honorabilibus, atque perfectis felicitatem necessariò constituendam esse, atque tandem, voluti in modū epilogi ea, quæ hīc tenus docuit, repetens, eandem sententiam comprobat: quoniam felicitas omnium nostrorum actionum principium est, atq; bonorum humanorum causa, vt supra statuit. Est igitur bonum honorabile & diuinum, quod series est illarum operationū; quæ ex virtute procedunt eo modo, quo supra explicatum est, quibus felicitatis cuiuslibet tractationem philosophus finit.

## CAPVT TREDECIMVM.



Voniam igitur felicitas animæ per virtutem perfectam operatio quædam est, de virtute considerandum videtur. Hoc enim modo fortasse efficietur, ut melius de felicitate etiam contemplemur. Videatur autem & is qui reuera ciuilis est, circa hanc maximè laborare. Propositum enim eius est, ut ciues bonos, legibusq; obtemperantes efficiat. Atq; huiusc rei argumentum, tam Cretensium quam Lacedemoniorum legislatores habemus. Et si qui alij tales extiterunt. Quod si ciuilis facultatis hæc cōsideratio est, patet inquisitionem hanc perinde atq; à principio proposuimus, futuram. De virtute autem humana scilicet considerandum est: nam & de bono humano, & de felicitate humana querebamus. Virtutem verò humanam dicimus non corporis, sed animæ. Felicitatem quoque animæ operationē appellamus. Sed si hæc ita se habent, perspicuum est, ciuilem, quæ ad animam spectant, quodammodo cognoscere oportere: quemadmodum oculum, & totum corpus, eum qui curaturus est. Atque eo magis

gis, quo ciuilis facultas honorabilior, melior quæ medicina est. Elegantes quoque medici multa circa cognitionē corporis pertractant. Contemplandum igitur etiam ciuili homini de anima est: atque id, horum causa, & quatenus satis est ad ea quæ hic queruntur. Nam exactius absolutiusq; rem hanc excutere, laboriosius fortassis est ac difficilis, quam presenti negotio conueniat. Dicuntur autem de ipsa in extrarijs etiam disputationibus, nonnulla quæ satis sunt: vtendumque ipsis est. Quemadmodum alteram partē eius esse rationis participem, alteram expertem. Nā vtrū distinctæ sint, vt corporis partes & omnia diuisibilia: an ratione tātum duæ sint, re autem separari inter se minimè possint, vt in circūfere rentia cōvexum & concavum: illud verò nihil ad propositum refert. Irrationalis autem partis, alia cōmuni & vegetali per similis est. Ita appello eam quæ augendi, & alendi causa est. Talem enim animæ facultatem in omnibus quæ aluntur, statueret aliquis, & in fœtibus quoque: quinetiam candē hanc in perfectis: & conuenētius etiam, quam aliā quāpiam. Huius autem communis quædam virtus, non humana appetit, quippe cū pars hæc &

IN PRIMVM ETHIC. ARIST.

& facultas in somnis maximè operari videatur: bonus autem & malus discerni in somno minimè possit. Vnde inquiūt felices in dimidia parte vitæ à miseriis nihil distare. Atque hoc cōuenienter euenit. Otium enim animæ somn' est, quę vel bona vel mala dicitur. Nisi quatenus paululum motiōes aliquæ ad eam pertingunt: eatenus enim modestorum meliora, quām quorūlibet visa apparent. Ac de his quidem satis. Atque hæc nutriendi facultas (est enim humanę virtutis expers) omittenda est. Videtur autem etiam altera quędā natura animæ irrationalis esse, quæ rationis tamē quadam ex parte capax sit. Continentis enim & in continētis rationem, animæ item id quod rationem habet, laudamus: quippe cùm recte & ad optima incitet. Videtur tamē aliud quid etiā in ipsis in esse, quod pugnet, resistatq; rationi. Planè enim quemadmodū resoluta corporis membra si ad dextram mouere volueris, econtrariò in finistram deferūtur: sic quoque in anima contingit, in cōtrarias enim partes in continentium appetitio-nes ferūtur. Sed in corporibus quidem quod pr̄ter propositum fertur, videmus: in anima nō videmus. Fortasse autem nihilominus in anima

stris ratione & irrationali. Quod si ratione & irrationali  
confundatur, non solum est ratio & irrationalis confusa, sed &  
diffusa quatenus & inveniuntur in se, quia se-  
mper. Quod si ratiōne & irrationali confundatur, non solum  
participes videtur, qui non sunt ratione & irrationali  
contingentis enim ratione & irrationali. Amp-  
tiam magis fortasse incomptente ac fusi-  
ti obediens est: omnia enim in his ratione  
consonant. Esse igitur irrationalis vegeta-  
lis huc duplex videtur. Nam vegetalis anima  
modo cum ratione communicat: concepti-  
scibilis autem & oratione appetibilis, par-  
ticeps rationis quodammodo est: quoniam  
ipso obedit, imperioque eius obtinet per se ipsius  
profectio & patris & amicorum habere con-  
tionem dicimus, & non sicut mathematicorum.  
Paret autem quodammodo ratio-  
ni irrationali hanc partem, admonitio, &  
omnis increpatio, & cohortatio indicat.  
quod si dicendum est hanc quoque partem  
rationem habere, duplex erit ea quae ratio-  
nem habet: altera enim propriè & in se eam  
habebit: altera ita, ut is qui dicto patris au-  
diens est. Virtus quoque secundum hanc dif-  
finitiam distinguitur. Nam alias ex ipsis in-  
tellectibus alias morales dicimus: sapientia,  
per-

perspicaciam, & prudentiam, intellectuas: liberauntasem & temperantiam, morales. Cùm omnis de moribus loquimur, non sapientem aut perspicacem, sed mansuetum, aut temperantem aliquem dicimus. Laudamus etiam sapientem ex habitu: habitus vero laudabiles virtutes appellamus.

**V**num felicitatis humanae causa praeferentem moris disputationem philosophus suiceperit, postquam de ea hoc libro diffusè tractauit: cetera quo ipius gratia in residuo operis consideranda veniunt, in hoc ultimo capite (quod precedentium & sequentium sermonum nexus quidam est) iam proponit, Atque in primis hanc coadmissionem statuit: de virtutibus deinceps consideratio, seu disputatio futura est: quam sic deducit. Felicitatis ac beatitudinis causa, qua homines in hac vita beare possunt, praeiens sermò institutus est, ut scilicet ex precedentibus constat: sed virtus instrumentum quoddam est, quod ad eam ducit, securumq; iter parat, cùm non aliud felicitas, quam vndeq; perfectæ virtutis operatio sit: estigitur de virtute tanquam de via & medio ad felicitatem: consequam necessariò habenda disputatio. Aliás enim otiosa etiā sit tota procedens consideratio, si via, qua homini contingere possit proprius finis pro hac vita destinatus, perpetuò latecat. Item quoniam hac ratione felicitatis tractatio habita, exterior & illustriore euaderet: quod ab initio præstare philosophus est polliciatur. Nam cùm nullares perfectæ cognoscatur, nisi ad eius primas radices & elementa deducatur: cùm felicitatis causa & principium in virtute positi sit, planè sequitur nullum hominem felicitatem hanc perficie stringere posse, quia virtutis prius plenam cognitionem assolutam non fuerit. Perfecta igitur civilis felicitatis cognitio de virtutib; differuntiam minima requiri. Apud ergo hinc de ipsius ini tur

ter consideratio. Postmodum idem funderet exemplo eorum, qui scientia hac ciuili maxime pollent, seu pollere debet: vt sunt ciuiles homines, idest, magistratus publici, quorum consilio & prudentia ciuitatum gubernationes conservantur: & certiam legumlatores, vt Minos Lycurgus, qui Creteisibus, & Lacedemoniis leges rulerunt: & denique quicunq; alii, qui in hoc genere illa tempore floruerunt: & in hoc etiam nostro, seculo viget. Omnes (inquit) maxiemam curam in hoc adhibuerunt, vt ciues ad studium & studiorum virtutis prouocarent, atq; sic studiosos & beatos redderent. Leges quippe suas, & statuta condentes, in hoc oculos conuerterunt, vt ad commodam publicum & virtutis culturam omnes ciues prouocarent, atque inducerent. Ad moralem igitur facultatem necessariò virtutum disputatio exigitur, vt ipsa perfectè traxatur. Post considerationem ergo felicitatis aptè de virtutibus subiicitur sermo.

### Quod si ciuilis facultatis est. &c.

Ex conclusione posita quædam iam philosophus corollaria colligit, atque primum infert, futuram de virtute disputationem, ostensiue & figura quadam, omissis exactis demonstrationibus habendam esse, idest iuxta materię subiecta exigentiam rationes esse construendas, ita vt non ex necessariis, sed ex probabilibus tantum colligantur: quod sic probat. Ciuilis facultati, seu morali philosophiz facilis & ostensiuis procedendi modus accommodatus est, vt ex initio huius libri est manifestū: sed nunc virtutum considerationē ciuilis facultatis partem esse probauit: eidē igitur examinis regulæ, procedendique modo, eam subiectam esse necessarium est, quoniam aliter totius & partis alia esset scientię ratio, quod fieri nequit.

### De virtute autem humana. &c.

Secundo loco hic infert non de omni virtute, sed de humana tantum considerationē futuram esse, quod sic suaderet. Eatenus de virtute considerandum est, quatenus ciuilis felicitatis, quam ad hunc usque locum examinavit, exigere, & postulare videatur: nam cùm totius negotii moralis hæc ut primus scopus posita sit: proculdubio secundum exigentiam cetera

## IN PRIMUM ETHIC. ARIST.

*Gemina virtus humana & diuina.* cetera consideranda veniunt. Sed felicitas, quæ hactenus quæsita est, bonum humanum existit, quod suapte natura homini, in quantum homo, id est in quantum ex anima, & corpore constat, accommodatur: futurus igitur de virtute sermo eam potissimum considerabit, qua ipse homo secundum hanc rationem componitur, & ornatur, atq; in officio continetur, quæ virtus humana solet appellari. Ad cuius rationis clariorem intellectum notandum est id, quod supra etiam insinuatum est, duplē scilicet hominem in hoc opere Aristotelem considerasse, alterum ciuilem & politicū, qui ex corpore & anima constat, vitamq; moderamine rationis vtriq; parti congruentem agit, alterum ex mente, animoq; solum constantem, vitamq; ex intellectu tantum traducentem: quem verum hominem in decimo libro appellat, & nos iuxta doctrinam diuī Pauli hominem interiorē dicere consueimus. Vnde duplē etiā virtutem Aristoteles cognouit, alteram humanam, quæ primo homini congreuit, alteram diuinam, quæ secundo, & vero homini accommodatur. Primi generis virtus non expultrix, sed moderatrix tantum eorum affectuum, & perturbationum existit, quæ ex parte corporis homini cōtingunt, vt hac ratione imperio animi obsequentes reddantur. Nam dum indomitæ & effrenatæ permanent, sua feritate & agresti quadam immanitate, morbi & ægritudines animi censemuntur. Atq; id optimo iure, nam tunc corpus humanum morbo aliquo implicatum medici afferunt, quando eam affectionem præter naturalem patitur, quæ naturales eius operationes sensibiliiter lœdat. Omnes autem hominis actiones, quæ ex affectu, & perturbatione rationi repugnante & obſidente egrediuntur, læſe & infectæ sunt, si quidem à peccato nequeunt excusari, niſi ſubito, & in non perſpecto tempore fiant. Eſt ergo tunc anima morbo aliquo preſsa, & non alio, quā affectu effreni et indomito. Planū igitur eſthiusimodi perturbationes animæ morbos & ægritudines existere, quibus peccatorum vulnera homo facile contrahit. Virtus ergo hæc humana, quia feritatis & intemperaturæ, horum affectuum expultrix est, sanitas appellatur, & philosophia moralis huius virtutis ingenua cultrix, animæ medicina ab Aristotele censetur.

## COMMENT. CAP. XIII. 153

tur. Altera verò virtus, quæ mentem solum & animum hominis curat, & quæ nullum cum corporis insultibus negotium habet, diuina appellatur: quoniam sublimioris partis hominis, & quæ diuina penit<sup>a</sup> sit, perfectio existit, tum etiā quoniam hac virtute maximè homo ipsi Deo coiungitur, & copulatur, cum eorum contemplatio, quibus ad ipsum munere & officio proximè ascendimus, huiusmodi hominem solum occupatum teneat. Vt hanc igitur virtutē à praesenti consideratione excluderet, de virtute humana nūc dixit esse cognoscendum, quam humana felicitas vt proximā causam requirit. De diuina autem, quæ quodammodo supra hominem est, vt hic consideratur, cum de felicitate contemplativa agetur, opportunus habebitur sermo.

Virtutem verò humanam dicimus &c.

Hic tertio infert nō de omni virtute item humana sermonem esse conferendum, sed de ea tantum, quæ animæ, & nō de ea, quæ corporis est. Quod sic ostēdit: de ea virtute disputatio suscipitur, quam exigit felicitas, quæ superiori disputatione quæsita est. Nam hæc eorū, quæ tractanda sunt mensura & regula existit. Felicitas autem animæ operatio, & nō corporis, superius posita est: tantum ergo de virtute humana, quæ animæ habitus & perfectio est, futura erit tractatio. Quo loco aduertendum est corporis bona, vt vires, valetudo, velocitas, pulchritudo, quæ in toto sunt, & quæ etiā in partibus, vt sensuum integritas, peduum celeritas, manuum vis eximia, vocis claritas, & quævis alia partium corporis singularis præstantia, virtutes humanæ à philosopho appellari, in quantum ipsius corporis (quod altera pars hominis hic considerati existit) perfectiones & virtutes sunt: & rursus quia virtutis moralis ministræ & famulæ censemuntur, quam anima, quæ humani compositi principatum & arcem tenet, tota vi extollit, & veneratur.

Sed si hæc ita se habent &c.

Postremo iam loco ex superius positis infert ad philosophum moralem, hominemq; ciuilem cognitionem aliquā animæ ipsiusq; partium habere, omnino spectare, quam cognitionem residuo capitis tradere curat, vt ea supposita libe-

*Bona cor poris.*

## IN PRIMVM ETHIC. ARIST.

*Philos-  
phia ani-  
me que-  
dam me-  
dicina.*

re in sequentibus virtutum tractationem aggrediatur. Propositum tamen sic deducit. Medicus, cui corporibus medici curæ est, naturalem eorum constitutionem & temperaturam principio cognoscere studet, deinde ratione & arte curandi, ut cum prioris cognitionis præsidio quantu[m] à naturali et[er]e tatura corpus exturbatum fuerit, apprehenderit, posterioris auxilio in sanitatem, pristinumq[ue]; statu cōgruis adhibitis remediis restituere valeat, quod exemplo statim manifestat. Nam si peritus medicus oculos curaturus sit, in ipsorum substantia & naturali cōstitutione integrè cognoscenda prius desudauerit, oportet, atq[ue] optimè cognoverit, quæ sit humorū, tunicarū, venarū, & nerorum conexio, ac deinde q[uod] oculis à naturali dispositiōe distantib[us] remedia congruat, & q[uod] citius ad cōuenientē statu eos reducere valcat, ut hoc perspecto mederi & curare eos optimè possit. Quod si in curatione corporis res ita se habet, aperi[re] sequitur quandā animæ cognitione philosopho necessariā esse, ut ea prædictus sufficiēt de ipsa sermonem habere possit, quippe virtus nō est aliud, quā quædā animæ sanitas, ut supra explicatū est. Quare & philosophus moralis eius procurator, medicus animæ intra cancellos nature existimandus est, ut ipsa philosophia moralis, ingenua virtutis & sanitatis animæ administratrix. Exigit igitur tam philosophus, quā ipsa philosophia cognitione aliquā ipsius animæ, q[uod] ab ea ut subiectu, curanda est, & cōtra corporis furiosos impetus (secundū quod philosophus præstare poterit) munienda. Secundò idē probat ex dignitate & excellentia, qua facultas ciuilis medicinæ superat, inter quas ea distantia est, quæ inter corpus & animā. Quare si ea ars, quæ medēdis corporibus tota intenta est, exacta cognitionem subiecti requirit: absurdum erit sancte ciuilem facultatem adeò digniorē, quæ animabus curandis omnino studet: & quæ in hoc negotio omnem suam operā collocat, ab hoc munere penitus relegare. Quinimò cum tot artes curandis, muniendisq[ue]; corporibus sint inueniēt, tantoq[ue]; insuper studio ab hominibus exculte, ut penè ipsius animæ obliuiscantur: is profecto, qui animæ, præstantioris hominis partis, cognitionem à philosopho ablegaret, eamq[ue]; à medico corporis omnino requireret, totu[m] se corpus esse omnia existimaret: aut qui piam iumenti

## COMMENT. CAP. XIII.

154

iumenti simile, cui corporis cura solu[m] proposita est. Tertio loco idem ostendit ex præstantia & excellentia medicæ facultatis. Nam & si empirici & ignobiles medici plures sint, qui remedia diligētius exquirentes, corporis cognitionem negligant: elegantiores tuarem medicam minimè se tenēre arbitrātur, niſi humani corporis naturā & constitutionem, proprias tractationes de hac re componendo, vel ab aliis cōpositas diligenter euoluendo, exacta cognitione assequunti fuerint: strictiori igitur iure philosophi, & animarum medi ci nūcupatione nullatenus quispiam censembitur dignus, qui animam, singulasq[ue]; eius partes nulla cognitione persecutus fuerit. Ad philosophum igitur, ciuilemq[ue]; hominem cognitione quædam animæ spectare videtur, non exacta ea quidem, sed qualem virtutum disputatio (quarum gratia ipsa est cognoscenda) desiderat. Quam cognitionem hoc loco philosophus tradere intendit, ad externos sermones, siue ad exotericos libros eos mittens, qui exactius & strictius animæ facultatem, singulasq[ue]; eius partes assequi cōtenderint. Nam in illis satis de ipsa anima disputatum est.

### Quemadmodum alteram partem &c.

Sub compendio iam ea, quæ in libris de anima tradita sunt, & quæ ad hanc virtutum disputationem ex eo loco sunt accommodata, recenseret. Principio autem statuit: quemadmodum in libris de anima, in duas partes animam distributam esse, in partem rationalem, quæ ex sua natura & essentia rationem habet, qualis ratio & intellectus existit, & in partem rationis expertem, quæ omnes facultates, & potentias amplectitur, quibus corpus animæ connexum cernitur. Quam distributionem animæ probè tenēre ad sequentem tractationem maximè necessarium est. Sed tamen quia curiosus lector prædicta partitione minimè contentus, aptè posset querere, qua ratione præfatae animæ partes à se inuicem distent loco & subiecto, an ratione tantu[m] partis. Occurrit statim dicendo: quod licet ita sit, q[uod] duobus potissimum modis partes alicuius totius distinguuntur loco & situ, ita q[uod] singule partes singulis loci partibus disponantur, ut caput, manus, pedes, & cæteras hominis partes dispergitur.

*Duae ani-  
me par-  
tes, in  
quo pri-  
mo parti-  
tur.*

V 2 videamus:

videmus, quod etiam in quoniam alio partibili corpore certe nere licet: & in super ratione tantum, ut de concauo & conuexo circumferentia manifestum est. Nam cum haec vnum & idem in linea circulati sint, cum partibus secundum latitudinem careat, ut eius ratio & substantia afferit, dicens: esse longitudinem sine latitudine: ea tamen ut diuerla homo apprehendit, secundum corpori contento, & continentis coueniunt. Licet ergo ita se res habeat, quod dictis modis altius partes differre possint, tamen id explorare, & examinare nihil ad negotium refert, dum semel has partes anima habere apprehenderis, siue hoc, siue illo modo se habent.

### Irrationalis autem partis alia communis & vegetali &c.

Subdiuidit hoc loco partem irrationalis in eam, quae stirpibus communis est, & in eam, quae rationis quodammodo capax, quam latius infra prosequitur. Sed priorem partem triplici ratione manifestat, primo ab eius ignobilitate. Quia inter animae partes infimum locum teneat, cum plantis & vegetabilibus communis sit: quibus inter viuentia omnia primus & humilior viuendi gradus contigit. Secundo ab eius officio, cum dicit, quod alendi & augendi causa data est, quod est corporis munus: homo enim nutritur, & augetur, quare maximè hec pars materialis existit. Tertio loco a communitate & extensione. Nam non solum plantis, sed factibus recenter vteris maternis clausis (quo tempore stirpium naturam referre videntur, cum tantum potestate animalia sint,) communis est, & ad animalia ipsa iam perfecta latius etiam diffunditur: imo cum suam perfectionem asequantur, ea, quae  $\xi\mu\beta\varrho\alpha$  à græcis nuncupantur, perfectioneque sui generis funguntur, huius potentiae & facultatis, munus & officium conuenientius (inquit) sentiunt, id est naturalius. Nam cum ceteræ facultates in perfectis ipsis animalibus interimissas adhuc in vigilia operationes habeant, accedente somno eas omnino deserunt, & remittunt, cuius contrarium in vegetali facultate cernitur. Nam in vigilia absq; interrupzione, nisi morbo aliquo impedita sit, proprio muneri semper vacat, atq; tunc item efficacius & vehementius,

*vis vegetandi ex plicatur.*

quando

quando quiete & somno animal correptum est, aut ipse homo consopitus. Eo enim tempore alimenti coctiones, immutationes, atq; in singula membra aptissimæ digestiones fiunt. Est igitur haec vis animali iam perfecto, maximè naturalis. Quandoquidem id maximè naturale alicui dicitur, & valde iphi, atq; sui generis rebus commune est, continuumq; famulatum præstat, ut octauo huius operis libro Aristoteles est autor. Ex ignobilitate ergo, officio, atq; huius facultatis communione, satis haec vis explicata manet.

### Huius autem communis quedam vis &c.

Probat iam hoc loco huius partis altricis facultatem, virtutem humanam non esse, ita ut ea homo a ceteris animalibus possit discerni. Quod ex eius operationib; hoc pacto deducit. Huius partis munera & officia, maximè in somno, quando ratio & mens ipsa quiescit, persiciuntur: aptissimè siquidem tūc coctiones, & alimenti distributiones exercentur. Nō ergo à facultate propria hominis, virtuteque humana egrediuntur. Quandoquidē virtute & operatione humana studiosos homines à prauis distare cernimus, quos in somno, quādō potissimū hęc virtus viget, patres deprehendim?: quod vsq; adeò (inquit) verum est, ut omniū philosophorū cōsensus dimidia solū vitæ parte felices à miseria distare affirmet. Eo igitur tempore, quo somno hoīes correpti sunt, (quod dimidię vitę spaciū sibi vendicat) non humana, sed vegetalis & communis vis imperium in homine tenet. Quo argumento vehementer sane admonentur omnes, qui iure homines censeri cupiunt, ut in somno excipiendo parcissimi sint, ne eius immodica indulgentia, exiguum vitæ tēpus relinquantur, & quod deterius est, ne vires eo, vsq; adeò torpeant, virtusq; humana languescat, ut quād aurē & lucis vitæ restat, simile quipiam iumentorū vitæ inueniatur, nam diurna quies (ut inquit Cato) vitiis alimenta ministrat. Quamobrem vigiliæ curā, temperatūq; somnū longè ante accuratè nobis Aristoteles cōmendauit cōconomicorū lib. p.c. & ubi ante lucē surgere, ad sanitatem, ad curā rei familiaris, & ad studia philosophie quām plurimū conferre dixit. Atq; ante ipsum, & eleganter quidē Plato. & dialogo de legi

*Parcissimus somnus conserfert.*

## IN PRIMVM ETHIC. ARIST.

busin eiusdem rei commendationem de somno sic differit. Somnus enim multus, nec corporibus, nec animis, neq; rebus gerendis, natura conductit. Nemo quidem dum dormit, alicuius pretii est, nō magis quam si non viueret. Quare qui cūq; viuere & sapere cupit maximè, quam longissimo tempore vigilet, sola sanitatis cōmoditate letuata. Ad hanc verēdū multo opus est somno: si bene assueveris somnis. Hactenus Plato Ex quibus omnibus patet, parcissimè somno vnde esse, atq; ea ratione ut quam primum lucem aduentare sentias, ad reddēdas deo grates, qui noua luce te perfrui cōcessit, festinus surgere cōtendas, tu p̄cipue, qui literatum culturā ex animo exercere, atq; teiplum bonis moribus formare cupis. Prēterea idem sic confirmat, tempore somni, quēuis hominis anima, quatenus bona, aut mala est, laude aut vituperio digna, in otio omnino & quiete est: nulla ergo ratione felix à misero, nec probus à pessimo eo tempore discernetur. Quem admodum eo tempore, quo fructus ex arbore non pendent, nulla ratione ex ipsis cognosci poterit, secunda, an sterilis ipsa sit, dulces, an amaros fructus ferat. In hunc autem modum quietis tempore ipsa anima se habet: non ergo eo tempore, quo ab anima fructus bonorū operum & folia deciderunt, ipsis dignitas & præstantia deprehendi poterit. Est igitur in somno cum stirpibus & plantis homini vita communis. Sed quoniam statim aliquis vögere poterat, quod quādam motiones animæ soleat in somno homini contingere, quibus felices à miseriis discernantur, vt insomnia, & vīla ea, quæ tunc solent contingere. Nam felicis & probi hominis honestiora sunt, pessimi autem praua. Quare non vsquequaq; (inquiet) sententia posita sibi cōstat. Hūc obiectio philosophus occurrens, dicit: ita esse, q; differentia hæc reperi potest inter probos viros, temperateq; vitam agentes & inter prauos, atq; vt sensibilia occurrent temere eam traducentes: est tamen exigua, & quæ nō ex visorum differentia nascitur, neq; ex operationibus, quæ somnum conficiunt, sed ex iis, quas in vigilia anima operata est. Nam cū imaginatio circa eā versari habeat, quæ sibi ministerio sensuum aliquando oblata fuerint, ipsis in somno vacantibus, cum imaginatione phantasie (quæ habet sensata mouere)

## COMMENT. CAP. XIII.

156

mouere) eorū sensibiliū solet inducere formas, orationes cōnectere, quorū in vigilia quisq; intentè sensationes habuit. Vnde cū boni & studiosi viri, quæ honesta sunt, semp̄ sua vita diligentius tractent, sequitur eorum vīla honestiora semper contingere: prauorū verēdū turpia, secundum quod eorū vita postulat. Quorum vītae prauitati insuper accedit, quod cūm esculentis & poculētis plus nimio ii semper indulgeat, immoderato potu & pastu sensibilis partis obstupefacta fēritas maximè somniis exultat, immoderatēq; iactatur. Quare prudenter satis sic corporibus affectis, iussit aliquando Plato ad somnum proficiisci, vt nihil sit, quod errorem animis perturbationemq; afferat. Manet ergo firma sententia posita. Quare cūm virtus vegetalis, virtus humana non sit, à p̄senti consideratione omnino excluditur.

Videtur autem etiā altera quādā natura &c.

Partis irrationalis eam facultatem iam disputationi subiicit, quæ sensualitas cōmuniter appellatur, quæ ad propositum spectat, cūm certo quodā modo rationis particeps sit, vt nunc explicare cōtendit: quod vt apertius proferat, duo de hac virtute probanda assumit. Primum, q; hæc pars ex se irrationalis sit, imo quod semper contrā rationem diuinicare audeat: deinde q; quodā modo & ex parte sit itē rationalis.

Sed vt primū clarius percipiatur, animaduertendū est: ratio nem & appetitū sensitivū ea ratiōne inter se cōferri, q; rationalis ea pars dicitur, quæ ex sua natura & essentia rationē habet, & quæ ad optimā quāq; semper inuitat, & deprecatur, ita vt quod suę naturę cōueniēt, cogitare valeat, rationes deinde & argumenta ad id explorandū nectere. Habet itaq;

*Inferius  
à superiori  
re nature  
ordine sem  
per mouse  
tur.*

summā vim, & imperiū agēdorū. Vñ sequitur tanquā duce, & imperatorem quēdā facultatibus inferiorib⁹, vniuersoq; sensibili appetitui ipsam dominari: nō sec⁹, quā princeps populo, rex ciuib⁹, atq; dux militib⁹, imperādo, leges p̄scribēdo, atq; ad actionē mouendo. Perinde etiā, vt primū mobile reliquos inferiores orbes proprio motu defert, ita vt tūc secundum naturam res se habeat, fecis autem, si lūptemum illud corpus ab inferioribus traheretur, à quo ipsi nūc aguntur: ita etiam secundum naturam constitutus est, vt inferiore

V. 4 semper

semper à superioribus tādem in natura agatur, & moderentur, in conuenientesq; fines dirigantur. Quapropter iure optimo ratio ipsa tanquā superior circulus appetitū omnem sensituum, sensusq; insuper omnes sub proprio arbitrio tēperabit, atq; ad motus eorū naturā debitos exercebit. Sequitur deinde, q; sicut in vniuersali natura dispositū est, vt inferiora quæq; semper per media à superioribus gubernentur, vt verbi gratia inferiora hēc à corporibus coelestibus (mediis motibus elementorū) angeli inferioris ordinis à superioribus, ab angelis homines, & à sapientibus tandem & prudentibus hominibus ignorantes & imbecilles erudiantur, illustrantur, atq; purgentur: sic nimirū in natura hominis Deus optimus, è maximus dispositus, vt omnes sensus, sensitiusq; facultates, quæ inferiorem in hoc genere gradum tenent, per rationem, tanquam per superiorem quandam vim de agendis admoneantur, & illustrentur, atq; ad ea prosequenda eius arbitrio omnino subiiciantur.

Quo posito perspicuè iam manent philosophi rationes, quibus primò probat sensituum hanc animæ partem irrationalem esse: atq; prima huiusmodi est. Rationem continentis & incontinentis hominis, atq; omne id, quod rationē habet, rāquam bonū, & ad id, quod honestū est semper progrediens, laudare & cōmendare solemus: rationēq; ipsam, q; illustratio quædam diuinę mentis sit, quæ ad optimam semper nos incitat, atque inuitat: continentem item & incontinentem, q; dictam rationē, atq; mentis illustrationē sequendam sibi proposuerint, licet continentia id opere præstet, incontinentia vero deficiat, atq; in id, quod rationi contrariū est,

*Sensi-*  
*lis visra*  
*tioni sem-*  
*per ad-*  
*mersatur*  
Et corpori consenseretur tandem labatur. Vnde quia nec se ipsum freno rationis continet, nec cupiditates in officio retinet, vt in votis proposuerat, incontinentis appellationem fortius est. Alter vero è contra quia nulla hatum rationum deficit, sed voti ob�as semper manet, atq; victoria potitur, conscientia uncupacione digna confertur, de quibus latius in scriptis lib. philosophus disputat. Sed est etiam in huiusmodi hominibus appetitus sensitivus, voluntasq; carnis & corporis, quæ rationi super expositorum semper obsistit, conseruantq; bellum cum ea gerit, atq; ita incontinentem irritat ut ad

ut ad sua confilia tandem precipitans trahat, in miserorum casum cogat incidere. Est igitur semper huiusmodi sensitivis facultas rationi contraria: Quare merito irrationalis censetur, ita vt eius opera, nisi rationis examine explorata fuerit, semper in homine vituperanda veniat, quod exemplo rufus manifestat, in corporibus, sensuq; manifestis. Nam cùm membrum aliquod corporis virtute totius destitutum est, solutionemq; patitur, (vt in paralytico contingit) cùm homo ipsum in dextram partem mouere ntitur, in sinistram partem idem omnino labitur, atque contrarium semper motum intendit, quia virtute nempe animali atque mortice penitus in se destitutum est, perinde (inquit) sensitua hēc animæ pars ex se contrarium rationis motum semper intendit, ipsiq; obsistit, interimq; vi rationis adhibita, eius virtutem in se non sentit, sicut membrum illud resolutum, quando naturalem in fluxum capitis, & totius corporis non recipit, licet et a sit(ait) quod pugnantia hēc motuum clarus in corporibus cernatur, quam in partibus illis animæ, vbi oculis dicta contra pugnatia non subilicite, ita tamē statuendum omnino est, quipiam scilicet in anima esse, quod ei aduersetur semper, & resistat, licet quomodo haec partes differant, ac loco se habeant, nihil ad præsens attinet discutere, dummodo vt possum est, eas ad inalcom sic se habere firmum sit.

### Quod tamen etiam ipsum rationis &c.

Probat iam id, quod secundo loco propositum fuit, hanc scilicet animæ partem quodammodo rationalem esse, ita q; in hunc finem hēc appetendi vis homini data sit, & cū ratione in homine coniuncta, vt per eius consortium rationa petentes lis suo modo efficiatur. Sed q; in hunc usum hēc facultas homini cōtigerit, & quod huius muneris & beneficii à ratione perfectio deriuati capax sit, hoc modo philosophus probat. In hominem ne continente, in quo assiduum bellum ratio tanquam princeps & imperator aduersus appetitum sensitivum, eiusq; cū rationib; cupiditatib; perturbationib; & insolentias, tanquam cōtraria potest, rebellum, insolentem, & factiosum gerit, atq; tandem disunit, multis hinc inde inconfabilius habens, ratio ipsa vincit, atq; hi

cas obtinet, proprio imperio & editioni subiiciendo. Huiusmodi autem pugna ex parte rationis, quæ præcipuum locum & arcem in homine tenet, nunquam contingere, nisi præter naturalia essent omnes cupidinis motus, qui gubernacula rationis non moderantur: neque insuper cupiditas ipsa unquam rationi cederet, nisi in hoc nata, & ipsa coniuncta fuisset. Est igitur ex propria natura apta, ut rationalis communicatione fiat, ita ut cum talis evaserit, suam tunc perfectionem assequatur. Secundo lege idem sic ostendit: in homine continente præcedente pugna inter rationem & cupiditatem, siue inter carnem & spiritum (ut inquit) beatus Paulus. Nam ratio, animæ siue spiritus partes agit, sicut cupiditas corporis atque carnis. In huiusmodi igitur homine contineat, cum ratio semel suo voto potita fuerit, cupiditatemque prostrauerit, triumpho & victoria tripudiâs, ampliores semper vincendi concipit spiritus, & ecôtra cupiditas cum plagiis & ierbis posita pugna, affecta fuerit, tremebunda magis, majestiq; cum formidine (quacumq; pugnâdi occasione oblatâ) contra ipsam rationem insurget. Quapropter plures tandem in materia delectabilium superara, & sepe etiâ circa adundare certibilia, proprio impetu fracto, vis hæc cupiendi rationi obsequens fiet, atq; per virtutem temperantiz communicatione rationalis. Atq; rursus eadem ratione irascendi vis aded in omnibus rationi famulatum præstabit, ut tanquam pedis sequa famula ipsi semper pareat: ita ut in ratione agendorum eius consiliū semper expectet. Si igitur omnis appetitus in viro temperate & forti rationi obedient factus est, ita ut omnia eius opera illi consonent, cum in huiusmodi viris facultatum interiorum, quam exteriorum concentus quidam suauissimus adsit, aperte sequitur sub statu naturali tutu vim cupiendi & irascendi constitutas esse. Est ergo hæc pars animæ rationis capax, imò cum sic rationalis dicta communicatione facta est, propriam & naturalem perfectionem est assequitur. Nam si sit nunquam sic posita existeret: imò si preterea namcum hoc est, non quicunq; sic affluerisset, ut in secundo libro aperte philosophus docet.

Igitur rationalis quoque hæc duplex &c.

Concludit

Concludit hoc loco ex superiori disputatione irrationaliter aliis partes ea ratione inter se comparari, ut altera vegetalis scilicet nullam cum ratione communio tem habeat, sensu vero, hoc est cōcupiscibilis & appetibilis, cuius non minime irascibilem indicat, ex eo quod nemo iracundia in aliquem excederet, nisi aliquid aliud vehementer appetere. Tius consequentiæ quod sibi infestum est, impedimento sit, rationalis quodammodo existit, atq; usus rationis communicatione cōpos est: ut ex superioribus constat. Sed quia meritoq; quispiam rogare posset pressius rem considerando modum, quo hæc rationis communicatio fiat, difficultate hanc philosophus expediens, inquit: in auditione & obedientie, qua hæc pars rationi obtemperat, consistere, quod vegetalis pars minime præstare potest. Quam assertionem familiariter exemplo manifestè probat, nam cum filius patri, & amicus amico secundum legem amicitiaz obtemperat, rationem patris & amici obsequiæ communiter habere dicimus: atq; non ea ratione, q; ex se propriam deliberationem & consilium circa eam rem, circa quam se exceptet, adhibuerit, à quo persuasus ad actionem properet, perinde ac mathematici, qui non ante conclusioni assensionem præbent, quam euidentes de ea demonstratio proprium intellectum cogens præcurrerit, sed quia rationi & deliberationis (inquit) patris & amici fidentes, ex ea ad actionem mouentur, illoruq; nutu se omnino permittunt. Sicut igitur hos sic operantes ratione ut dicimus, rationalesq; appellamus, & appetitum perinde concupiscibilem, & irascibilem ex ratione carentes, dum rationi audientes & parentes exhibent, eiusdem appellatiōis merito dignos célébimus: quippe eadē est utrobicq; rō.

Parere autem quodammodo rationi &c.

Posito iam, irrationalis facultatis summā & perfectionem in consensione cum ratione, obedientiaq; consistere: quod ad hoc fastigium & rationis consortium leuari possit, post castigationes, quæ supra produxit, aliam hoc loco profert. Juuenes (inquit) & adolescentes, in quibus iracundia & cupiditas maxime videntur, parentum & magistrorum admonitione, incitatione, et cibis sanosis, sive quavis alia industria, sceleribus

*Vis appetitiva paricipari in ratione.*

# IN PRIMVM ETHIC. ARIST.

sceleribus & flagitiis abstinere, eorumq; affectus reprimi & temperari videmus. Atq; non solum ii, sed cuiuslibet etiā etatū fuerint homines, qui in turpiorem vitā prolapsi sint, eorum reprehensione, & correptione sanè cohibentur, quorū dignitas venerationi, & estimationi apud ipsos fuerit. Ergo irrationalis facultas modo quodam idest hoc aut illo modo ex nuper assignatis, rationi parere potest: atque ut ipsi semper obtemperet, assuefieri, alioquin admonitiones, increpationes, & exhortationes ad impetus & incitationes cupiditatum cohibendas frustra adhiberetur, ab aliquo, suo socio, ut vitam emendaret, quod dicere est absurdum. Cum quia cùm experientia domestica educandæ atq; instituendæ prolixi manifestè pugnat, tum quia ita res se habet, ut scientia timore & blanda etiā veri atq; honesti suasione à socio adhibita, à cupiditatibus feris homines auocentur, verosq; rationis & virtutis se præbeant cultores. Consilio etenim & sciœtia hostilem affectuū perturbationem indicans, vanumq; ipsorum exitum, atq; insuper rationis imperium & dignitate: quibusdā veluti calcatib⁹ appositis, ignorantia tenebris dopulsis ad virtutis viā homo properat, quod admonitio præstare habet. Timore vero veluti freno à corporis voluntate cohibetur, quem incutit increpatio, siue obiurgatio, que passionum impetum frenare & temperare habet. Nam corpus dolore & violentia coercetur, cuius irascibilis & concupisci bilis assidui sūt procuratores, sicut animæ, præstatoris hoīs partis, ipsa ratio. Et tādem leui & benigna oratio, quale posstulat exhortatio, ab irrationalibus perturbationibus plures subducuntur: atq; præcipue ii, qui ratione pollere videntur, aut saltē debet. Quippe rationem semper audiunt, ipsi⁹; parere semper consueverunt: cuius generis senes existunt, atq; grandiores etate viri. Quare cùm omne genus correptionis amoris, & cuiusdam dulcedinis, plenum esse debeat: potissimum tamen id, quod exhortatione adhibetur. Hæc enim cùm excitationem quandam rationis primò respiciat, ac vim quandam humanæ societatis, suavitatem quadam semper condita esse debet. Quamobrem exhortatione, siue obsecratione erga senes vii iubebat diuus Paulus prima ad Timotheum quinto capite, quando dixit: seniorē

ne incre

# COMMENT. CAP. XIII. 159

ne increpaueris, sed obsecra, vt patrem &c. Auocantur igitur, & abstinent à turpibus, quamvis suauibus his correctionis modis, & similibus homines, atque ipsorum affectus temperantur, obsequentesq; rationi redduntur. Possibile igitur est appetituum facultatem similiter obedire rationi, atque dicto modo per communicationem, rationalem fieri, quod intendebamus. Vnde Aristoteles infert velluti orationem superiorē temperando, qua dixerat vim hanc sensibilem irrationalem esse: hanc item animæ facultatem inter rationales connumerari posse, atque talem censem. Pro eius tamen clarius intellectu duplē rationalem facultatem notat, alteram, quæ ex se, suapteq; natura rationem habeat, alteram vero, quæ eius obedientia prudens & rationalis efficitur: ut irascibilis & concupiscibilis appetitus. Ex quo aperte colligitur vim hanc appetituum inter rationem & vegetalem facultatem medium quendam locum obtinere. Nam cùm ista, quia ex se nullam rationem haberet, conuenit, cùm illa vero, quod ipsi obtemperat. Vnde & ipsius dignitas quodammodo & appellatio sibi contingit, sicut prudentia & ratio patris, filio obtemperanti, & obsequenti. Vnde etiam rursus sequitur, rationem sensitivo appetitui, ut puero prudentia carenti, præesse, & imperare debet: atque ita ipsum moderari & erudire, ut assidua eius suasione, & admonitione, communicatione quadam prudentem efficiat, qualē filium pater semper efficere nititur: imo à tempore quo ratio ipsa à torpore corporis, veluti à sopore quodam profundissimo excitatur, in finemque proprium, suęque vita rationem consideratione ascendit, per residuum etatis hanc curam, legibus rationis appetitum vinciendi cuique homini demandatam esse. In quem usum primò & recentis etatis tempore tota anima corpore ipso depresso est, ut corpus nimisrum ipsum, singulaque eius organa functionibus rationis exequendis, firma & duxili accommodata reddantur, quoniam omnes corporeę potentias cum earum operationibus, ut fundamentum & instrumentum, quo cùm sui curam incipiet gerere anima, utatur, ipsi subiiciuntur. Omnes igitur inferiores facultates in homine, atque appetitionum vires, ut rationi seruiat, debitumq;

Cura ho  
minis a  
eius duxili.

debitumque ei famulatum præstent, ab ipsa natura ordinatae sunt. Quapropter tunc suam naturalem, & postremam perfectionem assequentur, cum ipsis subiecta manferint, pro eiusq; arbitrio & moderatione suos motus intenderint, ac remiserint, vel incusanda sanè esset ipsa natura, quod ad eum finem rem dirigeret, quem cum assequeretur, sub violentia & statu præter naturali constituta esset, quod omnino absurdum est.

Eandem etiam conclusionem ex professo docet Aristoteles primo politicorum capite secundo, vbi ex hoc, quod vir studiosus rationi subditas omnes appetitiones habet, qua propter & integriorem eum dicit retinere naturam, infert vitiosos & depravatos homines male & præter naturam se habere, ea sanè ratione, q; in his corpus in animam imperium teneat. Vnde infra colligit naturale & commodum esse corpori animæ parere, parti verò perturbationibus obnoxia menti, partiq; rationem obtinenti semper audire. Manet igitur firma posita conclusio, quæ vt prima basis & fundamentum totius moralis negotii accipienda est. Et si non defuerunt, qui contrarium afferent, imo potissimum huius assertionis opposito nostri temporis heretici nisi videtur, vsque adeò corporis indulgentiam omnibus concedentes, ne irrationalibus partibus vim quandam forsan & violentiam inferre videantur. Sed specialiter contra dictam assertionem scrupulus quidem sub oriri videatur. Nam si ita est, quod pars perturbationibus obnoxia per hoc, quod rationi paret, morigeramq; se præbet, rationalis euadit, aperte sequi videtur: brutum animal, quod manus est, quodq; absque contradictione & pugna homini se tractandum permittit, atque pro officiis necessariis ipsis semper pareat, dicta communicatione rationale effectum esse, perinde ac sensualitas. Par siquidem vtriusque videtur obedientia. Quam difficultatem philosophus diluit libro Politicorum supra allegato, negando nimium bruta animalia,

*Interest* quæ in usum familiarem homini se permittunt, vt cicures, inter obe ipsi propriè obedire. Vbi notandum est inter esse, inter obedire & dire, & subiici alicui. Nam id obedire dicitur, quod ratione subiici. nem imperantis sentit, ita vt quid sibi faciendum intimetur,

tur, percipiat, ex qua perceptione ad id exequendum, quod impositum est, properat, quod vires appetitivæ faciunt, postquam rationis cultura propriam & antiquam illam exuerint feritatem, perinde ac filius id percipit, quod à patre sibi insunctum est, vnde ad id exequendum se accingit, ac similiter in aliis. Subiici autem id alteri dicitur, quod ipsis absq; contradictione & pugnantia se tractabile exhibet, non tamen quid sibi faciendum proponatur, percipit, vt ex cali perceptione quiescente domino ad actionem properet, quod brutis animalibus iam dominis conuenit. Quare subiici hominibus proprie dicuntur, non autem obedire: ac perinde de toto corpore, organicisq; eius partibus dicendum est, subiici nimium imperio & dominio animæ, non tamen obedire, aut saltem non proprie dicitur. Nam cessante animæ agitatione & stimulatione ad opus aliquod præstandum, non sequetur opus, perinde neq; a bruto quopiam animante. Quare eleganter loco citato afferuit Aristoteles animam in corpus dominium & imperium herile tenere, in vires autem appetitivas ciuale tantum, vt Deo dante eo loco latius videbitur.

Secundo etiam loco poterit quis vrgere hoc pacto, cuiusque rei id sibi maximè naturale est, quod ex se, suapteq; natura præstare & consequi potest. Natura nanque quam rem in aliquem finem, & perfectionem destinat, necessariis instrumentis ad eius assevationem accurate munit, vt late in omnibus natura constantibus cernere licet. At appetitus perturbationibus obnoxius ex se, & propria virtute ratione vti non valet, imo ipsis semper aduersatur: est igitur hoc sibi naturale, & illud præter naturale. Et confirmatur, si appetitus sensitivus huius hominis Pythagoræ verbi gratia ponetur in bruto, fieri rationalem præter naturam esset: ergo nunc quando in homine residet, siquidem nullo pacto eius natura immutatur, neq; obiectum altius, in q; tēdat, est ipsis propositum. Cui difficultati satisfit: negando minorem illam propositionem, appetitum scilicet non sufficiēter munium, & instructum fuisse à natura, vt dictam perfectionē assequi possit. Nā licet ex se, & propria virtute eam ad ipsici non valeat, tali tamen consortio eū natura copulauit, vt illu minari

minaci & illustrius ab eo facile quae secundum quandam naturalem vim, quam ipsi indidit, qua illuminationem illa prstantis socii excipere possit, atque ex ea ad agibile, quod eo lumen monstratum est, progredi. Quemadmodum lux naturale est, ut lumine suo noctis tenebras excutiat. In hanc enim functionem à natura ordinata est, apertissimum tamen est eam proprium lumen non habere, neq; excipere posse, nisi ad solem se prius conuerterit. Quemadmodum diuina mentis lumen nunquam anima communicatur, nisi ipsa, ceu luna ad solem, ad Dei optimi maximi mentem penitus convertatur, quod prius non facit, quam ipsa etiam mens sit, omnes sensuum deceptiones & phantasias nebulas & caliginem deponendo. Idem ergo de parte hac irrationali dicendum erit, nullo sane pacto rationalem communicatione fieri, nisi ad rationem, in cuius consortium à natura destinata est, in ipsiusq; etiam usum se conuerterit, eiusdem rationem & consilium semper expectando. Ad id autem, quod inculcabatur, sensibili facultati aduersari ratione esse naturale, responderetur hoc falso esse. Quippe id maximè naturale est, quod secundum naturalem proportionem ex directione & ordinatione naturæ conuenit, quod in proposito non contingit, siquidem sensitiva hæc vis ut rationi obediatur, ipsi q; ministerium prebeat, à natura ordinata est. Neque insuper sibi naturale hoc est, quia commodum & utile sibi sit. Cum potius vehementer sibi hoc noceat, ut constat ex sententia Aristoteles loco iam allegato primi Politicorum. Quid si aliquis contendet hoc naturale cupiditati esse, non simpliciter, sed secundum habitum ex fornicate quadam affuetudine ab ortu ipso semper corporis indulgendi cōtracta, & primi peccativi & labi semper coagulata, quemadmodum in rebore cubica contingere videtur, quod ipsius patienti color extraneus, & præpos naturalis nomine quoddammodo factus est. Argue hoc ratione sic sane, quia nullo pacto affarta conciliacioni repugnat. Imo naturale hoc in super sensibili. Quid nō sit aliisque potest indicari, quia id valde commiscetur. Nam cupiditas rationi aduersari, lata in operibus

bus cernitur. Secundum illud beati Pauli: Caro concupiscit aduersus spiritum, & illud Geneseos: Omnis sensus & cogitatio humani cordis ab adolescentia sua prona est in malū, & Dauid in super: In quo corrigit adolescentior viam suam in custodiendo sermones tuos, innuens sanè omnes in adolescentię tempore in hanc sensuum feritatem pro lapsos, aut valde propensos ex dictis causis esse iudicando. Quomodo hanc luctam appetitus cum ratione naturalem appellare, in nullo positam inficit assertionem. Nam hoc loco ab Aristotele non dicitur naturale, quod fit, & quod omnes communiter in uadat, sed quod secundū naturæ ordinationē fieri debeat. Et quod perfecta rei generatione ipsi conueniat, secundum quod c. 1. 1. politicorum ipse docet. Confirmatio ni autem iam respondeatur: concedendo appetendi vim in bruto animali nullo pacto rationalē fieri posse, neq; huius hominis, si bestiæ alicui coniungeretur, ex hoc tamen nō interficitur eam in homine rationalem non posse fieri. Cuius ratio est. Quia in bruto vicē gerit formæ principalis, cuius nutritum cōpositum gubernatur. Atqui cūm ex se vim non habeat rationem exerendi, neq; ad sit superior forma, à qua suppeditetur, ea penitus caret: neq; ad eam dignitatem vlo pacto ascendere valet. Cūm autem cupiendi & irascēdi vis homini coniuncta est, non vicibus fungitur principalis formæ, sed potius materia, à qua sumitur: vnde & vicem gerit parentis, minimè autem imperantis. Nam æqualitatem & oppositam imperādi rationem natura in omnibus eius opera constatibus penitus abhorruit, parendo aut superiori & obediendo: eius dignitas quodāmodo inferiori mutuatur, vt supra declaratū est: iure igitur prædicta facultas rationis capax in homine ponitur, minimè autē in brutis. Atq; quando amplius vrges, facultas hec secundū suam naturā non est immutata, neq; altius aliquod obiectum sibi in homine existenti propositū est, quia semper est quid sensibile & corporeum, vt ipsa facultas sensibilis & corporea existit, quare similiter semper erit iudicandum. Totū assumptum libenter conceditur. Nā eadē semper est sensibilis natura in casu posito, neq; in sua substātia & essentiā quoquā pacto est mutata, in homine tamen rationis ministeriū rāquā instrumentum sibi

*Vis sensi-  
tiua in  
homine  
ab ea que  
est in bru-  
to max-  
ime distat*

sibi coniunctū omnino subdit, quo munere caret in animali bruto. Neq; insuper facultas hæc irrationalis in homine, & in animāte bruto eius rationis & speciei continuo inuenit, esto in vtroq; idem obiectū sensibile propositum habeat, quippe ea, quæ in homine residet, hac excellētia & præ uilegio gaudet (vt diximus) & rationem sentire & percipere valet, ex qua ad præscriptum opus exequendum se mouet, qua vi bruti animantes omnino carent. Quapropter licet idem obiectum sensibile vtriq; propositum sit, modus autē id amplectendi aliis & aliis homini & cæteris animantibus præfinitus est, quippe homini ad id tantum obiectū sensibile iure aditus patet, quod intra quosdam rationis limites & terminos continetur, secundum q; eleganter elegans poeta dixit. Est modus in rebus, sunt certi deniq; fines, quos ultra citroq; nequit consistere rectum. Vnde dum hos cancellos egreditur, meritò à propria degenerans natura homo feritate quadam, & immanitate brutis animantibus confertur. Quod perspicuè considerans diuus Hieronymus in regula monachali. Sensus hominis ratiōe nō cohibitos eque in domitis & sine freno currentibus aptè comparauit. Hoc nimis docens: vt saltem eam curam, quā scientia herili in dominis & quis ad corporis ministeriu debitè præstandum apponimus, in curandis & temperandis animi affectibus, cuius functionibus à natura accommodati, & coaptati sunt, non negligamus. Atq; hæc de questione proposita dicta sufficient, reliqua, quæ eam concernunt, in disputationem secundi libri reiicientes.

### Virtus quoq; secundum hanc differentiam distinguitur &c.

Virtutibus iam accōmodādo ea, quæ de animę partibus philosophus differuit, iuxta diuisionem animę partiū traditam duo etiā genera virtutum constituit. Primiū intellectualium virtutum, quæ in ipsa parte rationali per essentiam existunt, atq; in ea disciplina parantur, quas sapientiam, prudentiam, perspicaciam, & scientiā solemus appellare. Aliud est virtutum moralium, vt liberalitatis, temperantiæ, fortitudinis, & aliarū hujusmodi, quæ in parte cōmutatione rationali sedē habent,

habent, vbi assuetudine, & exercitio parantur. Atq; tunc potissimum, cùm à superiori ratione huius partis impetus reprimuntur, & incitationes moderātur. Ex quo loco aperta & vniuersalis deducitur conclusio, omnes virtutes morales in appetitu participatione rationalem, tanquā in propriam sedem & domicilium relegatas esse. Cuius etiam ratio planè ex Aristotelis dictis deducitur. Nā morales virtutes castigatione, & repressione insultantium appetitionum acquiruntur, sicut intellectuæ eruditio & disciplina: sed intellectuales in parte per essentiā rationali collocantur, quia hæc pars per se solū eruditionis & doctrinæ capax est: ergo & morales omnes in vi appetendi ex se irrationali: hæc siquidem est, quæ castigatur, & reprimitur, & quæ in se rationis moderationes suscipit.

### Quum de moribus loquuntur &c.

Secundo loco ex cōmuni hominum consensu positam conclusionem firmat. Nā cum ratione morū, probitatisq; vītæ aliquem homines cōmandant, non sapientiæ, solertiæ, huiusmodiq; nuncupationibus ornare solent, sed modestiæ nimirū, liberalitatis, & temperantiæ, quæ nomina cohibitionē, & moderationem affectuum statim indicant. A pertissimū ergo argumētum est virtutes morales in appetitu sensitivo constitutas esse, vbi huiusmodi repressiones & castigatioēs exercentur. Quapropter & cùm sapientem aliquem laudat, encomiisq; celebrant, nō dictis nominibus efferunt, sed qui busdam aliis ex habitu intellectus prodeuntibus, vt q; prudens nimirum sit, solers, perspicax, & sapiens, qui habi-  
tus rerum peritia, & eruditione perficiuntur. Per  
spicuum igitur ex his est virtutes, quas intelle-  
ctuas nuncupamus, in parte per se rationa-  
li propriam sedem, & domicilium habe-  
re, reliquas vtrō absq; vlla distinctio-  
ne in parte per communicatio-  
nem rationali, vt latius etiā  
in sequenti libro  
ostendetur.

Finis.

*Virtutū  
moralium  
subiectū.*



¶ Errata sic corrigito. ¶

Fo. Pa. Ver.

- |         |   |          |                            |
|---------|---|----------|----------------------------|
| 6 1 29  | lege amouēdus.  | 55 2 30  | vbi, etiam.lege.<br>tamen. |
| 6 2 30  | lege fluxerit.  | 62 1 7   | lege tamen.                |
| 10 2 16 | lege vltimam il-<br>lam definitionis partem.                        | 67 1 2   | lege at.                   |
| 14 1 28 | lege allectat.  | 83 2 37  | lege amplius est.          |
| 15 1 7  | lege referri.   | 106 1 12 | lege vero.                 |
| 15 2 25 | lege. quod. & se-<br>quenti versu. lege arbitrii-<br>que libertate. | 115 1 23 | lege orbatione             |
| 19 2 30 | lege quod   | 124 2 11 | lege anteponet.            |
| 22 1 27 | lege honorem  | 128 1 1  | lege quod hinc             |
| 31 1 11 | redūdat, prima.   | 130 1 26 | lege cōuincatur.           |
| 33 1 23 | l.philosop̄hi ipsi  | 135 1 29 | lege quod                  |
| 38 1 8  | lege diuinius.  | 136 1 17 | lege particeps             |
| 40 2 29 | lege quas.  | 141 2 31 | lege receptum.             |
| 43 1 8  | lege oportet.   | 142 2 5  | lege iudicio.              |
| 54 1 6  | lege præceptis.   | 157 1 14 | le.interim quod            |
|         |   | 160 2 33 | lege calor.                |
|         |   | 161 2    | vlti.le.cōmunicatiōe       |

Fo. Pa. Ver.

X